IO. GOTTLIEB
HEINECCII,
POTENTISS. PRVSSORVM REGIS

A Consil. Sanctior., Iur. ac Philosoph. in ill. Frideric. Academ. Professoris publ. ord.

OPERVM
AD

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM
PHILOSOPHIAM ET LITTERAS HVMANIORES
Pertinentium,

TOMVS QVARTVS.
PARS SECVNDA,

In qua

ELEMENTA IVRIS GERMANICI
TVM VETERIS, TVM HODIERNI
De Re Iudiciaria, & Iure Actionum,

ACCESSERVNT
ELEMENTA IVRIS CAMBIALIS,
ET VITA LVDOVICI GERM. IMPERAT.

* * *
* *

NEAPOLI MDCCLXXI.
IMPENSIS DONATI CAMPI.

I N D E X I.

C A P I T V M,

QUAE IN HAC SECVNDA PARTE CONTINENTVR.

L I B. III.

DE RE IVDICIARIA ET IVRE ACTIONVM.

LIBRI

LIBRI III.

DE

RE IVDICIARIA ET IVRE ACTIONVM.

TIT. I.

DE IVRISDICTIONE ET IVDICIIS GERMANORVM.

§. I.

Expensis omnibus, quae vel ad PERSONARVM, vel ad RERVM IVRA pertinere videbantur: nihil iam superest, quam vt et de IVRE ACTIONVM et omni RE IVDICIARIA Germanorum agamus paullo accuratius. Qua in re ita versabimur, vt primo loco de iurisdictione generatim differamus; hinc porro de iudiciis ciuilibus, et praecipuis eorum partibus: postremo de criminalibus modoque persequendi facinorosos, ea, quae scire nostra interest, subnectamus. **Transitio ad librum III. eiusque partitio.**

§. II.

Et iurisdictionis quidem quae apud Germanos fuerit ratio, tum demum intelligemus rectius, si rei iudiciariae faciem in omnis aeui monimentis paullo accuratius perspexerimus, qua in re nescio, an noui quid adferri possit post incredibilem virorum **Optimi scriptores de veterum Germ. iudiciis.**

doctissimorum, HERM. CONRINGII, IO. NIC. HERTII et CHR. THOMASII, diligentiam. * Attamen operam dabimus, vt et, quae tres viri isti doctissimi obseruarunt, in ordinem, quoad licebit, redigamus, et multa passim, quae ipsi obseruauimus, adiiciamus, adeoque rem iudiciariam Germanorum omnem quam accuratissime describamus.

* HERM. CONRINGII extat insignis dignissimaque tanto auctore dissertatio *de iudiciis reipublicae Germanicae*, primum anno 1647. edita, postea anno 1677. eiusdem *exercitationibus academicis de rep. imperii Germanici* numero 6. p. 214. ac demum ipsis eius operibus inserta. IO. NIC. HERTIVS eamdem rem egit non modo in *Notitia populorum Germ. et regni Francorum*, verum etiam in dissertatione, bonae frugis plenissima, *de consultationibus, legibus et iudiciis in specialibus imperii Rom. Germ. rebuspublicis*, defensa primum Giessae anno 1686. ac deinde *opusculis* eius inserta *Vol. I. Tom. II. p.* 406. Denique CHR. THOMASII dissertatio praestantissima *de iurisdictionis et magistratuum differentia secundum mores Germanorum* Halae nostrae lucem vidit anno 1703. Exstant et alia huius generis opuscula, inter quae nescio an primus locus debeatur FRIDRICI BRVMMERI *exercitationi de scabinis antiquis, medii aeui, et recentioribus*, et IO. PAVLLI KRESSII *dissertationi de iurisdictionis criminalis in Germania generibus*, Helmst. MDCCXXX. sed haec similiaque suo singula loco laudare non pigrabimur.

§. III.

Iulii Caesaris locus de Germ. iudiciis.

Germaniam ante Francorum epocham tot habuisse respublicas, quot populos, neque in commune regnum ante ea tempora vmquam coaluisse, tam est notum, quam quod notissimum. Hinc nec communem iudicem habuit Germania, sed vere scripsit CAESAR *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 23. *Quum bellum ciuitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, vt vitae necisque habeant potestatem, deliguntur: in pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt, controuersiasque minuunt.* At quamvis TACITVS *de mor. Germ. cap.* 7. in eo a CAESARE dissentire credatur, quod ingruente bello, potestatem vitae et necis non tam ducibus, quam sacerdotibus, videatur tribuere: illa tamen, quae de iudiciis, tempore pacis institutis, refert, praeclare conueniunt iis, quae ex CAESARE retulimus, vt alter ex altero quodammodo possit illustrari.

§. IIII.

Itemque Taciti.

Nam *cap.* 12. quo ex instituto de iudiciis Germanorum disserit TACITVS, primum obseruat, *licere etiam apud concilium accusare, et discrimen capitis intendere:* eiusque rei exemplum adfert iudicia de proditoribus, transfugis, ignauis, imbellibus et corpore infamibus instituta: deinde vero statim subiicit: *Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque red-*

reddant. Quos itaque CAESAR *principes regionum ac pagorum*; eosdem TACITVS *principes pagorum vicorumque* vocat, et quum hic eos in comitiis electos, iisque SCABINOS ex plebe, vti paullo post adparebit, adiunctos esse referat: non videmur nobis errare, si eos, ex nobilium ordine adlectos, COMITIBVS * similes fuisse, dicamus.

* Pagus enim Germanis fuit regio quaedam vel tractus, in quo plures vici. De iis plura alii. His qui praeerant principes a Germanis patria lingua, *grauen* quasi *graue*, cani, vel, vti CAESAR *de bello Gall. Lib. IIII. cap.* 13. loquitur, *maiores natu*, seu, vt DIO CASS. *Lib. XXXVIIII.* πρεσβύτεροι vocabantur. *Comitum* vocabulum Romanum est, quumque Romani Germaniae vtrique sequiore aeuo *duces* et comites praaficerent: CONRING. *de ducibus et comit. Germ.* §. 10. factum est, vt Germani postea suos principes, quos belli tempore eligebant, *die hertzoge*, duces; reliquos, qui iura per pagos et vicos reddebant, *die grauen*, comites adpellarent. Commune forsan vtrique nomen fuit *vorste* quasi *der vorderste*, atque inde factum arbitror, vt CAESAR aeque, ac TACITVS, illos omnes, qui iurisdictioni tum militari, tum ciuili, praeerant, *principes* adpellarent.

§. V.

Eiusdem descriptio scabinorum.

Neque tamen soli comites pro lubitu ius dicebant, sed iis adiungebantur quidam, qui in eorum essent consilio, de quibus idem TACITVS *cap.* 12. *Centeni*, (alii *certi*) *singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt*. Qui sane non alii sunt, quam adsessores, de quorum sententia comites ius reddebant, dicti postea *scabini*, *schoepffen*, *rachiburgii*, vti pluribus demonstrauit FRIDR. BRVMMER. *de scabin. cap.* 2. *p.* 280. *sequ*. Hos vero dum ex plebe lectos esse docet TACITVS, procul dubio non intelligit faecem seruorum seu propriorum hominum, (quum ne libertorum quidem aliquod momentum in ciuitate esset, TAC. *de mor. Germ. cap.* 25.) sed ingenuos, quos deinde equestris nobilitatis nomen sumsisse, nouimus, vel, vti multis post saeculis vocari soliti sunt, *schoepffenbar-freye leute*.

§. VI.

Consectaria ex locis Caesaris et Taciti.

Itaque inde colligimus, (1. iuris dicundi potestatem illo tempore fuisse partim penes ordines ciuitatis, in comitiis congregatos, partim penes comites. (2. Illorum iurisdictionem per totam ciuitatem vel rempublicam; horum per vicos vel pagos, quibus praeerant, porrectam fuisse. (3. In comitiis caussas procul dubio grauiores, et ad ipsam rempublicam, apud comites leuiores, et ad priuatorum magis vtilitatem pertinentes, fuisse diiudicatas. (4. Comites et illis temporibus nihil decreuisse, nisi de collegii scabinorum sententia. (5. Probabile esse, et minora fuisse iudicia, ab iisque ad maiora fuisse prouocatum *.

 * Non

* Non fine ratione CAESAR *principes regionum et pagorum* : TACITVS principes, *qui per pagos* , *et qui per vicos iura reddant*, iunxit. Fuere nimirum comites, qui maiori terrae tractui vel pago; quo plures minores comprehendebantur, praeessent, quos recte dixeris *regionum principes*. Fuere, qui in minoribus pagis, maiore illo comprehensis, ius dicerent, quos recte adpellaueris *pagorum principes*. Immo et celebriores vici habuisse videntur iudices suos, qui simul vice principum iudicarent, de quibus HERM. CONRING. *de vet. Germ. iud. c.* §. 15. *Hac non difficili ratiocinatione licet colligere, fieri vix potuisse, immo non potuisse, vt omnibus iudiciis ipsemet princeps interfuerit, cum quod integrae regionis, aut pagi vnius tantum fuerit princeps, huiusmodi autem tractus sat amplis limitibus constiterit: tum quod in ea hominum multitudine non potuerint non in dies variae enasci controuersiae, praesentibus iudicibus minuendae. Verosimile igitur fit, iam tum singulorum pagorum principes vicariis hic alibi usos. Quomodo sequentibus saeculis semper mos tulit, praeponere iudiciis, Scultetum quem adpellant, qui principis vice curaret iudicia.* Neque sane dubitandum est, quin ii, qui sibi a minoribus iudicibus grauamen aliquod illatum existimarent, adpellare potuerint iudices maiores vel principes. *Num vero, per adpellationem a iudicio principis adsessorumque eius, caussae potuerint ad concilia deuolui, quoniam haud perinde liquet, nec fas est, inanibus coniecturis indulgere, in medio merito relinquimus* cum CONRINGIO *ibid.* §. 14.

§. VII.

Litium in Germania paucitas.

Laudatissimus CONRINGIVS *ibid.* §. 18. ex ipsa gentium Germanicarum indole colligit, lites ista tempestate perraras fuisse. Tam probis enim moribus, quales in Germanis laudauit TACITVS, talibusque institutis in mores translatis, raras admodum lites, et compositu faciles habere locum, nemo paullo prudentior ignorat. At sunt et alia indicia, lites olim fuisse paullo rariores. Nam praeterquam quod multa, alibi iure disceptari solita, armis disceptarent maiores: VELLEI. *Lib. II. cap.* 118. TAC. *de mor. Germ. cap.* 21. multa etiam reliquisse videntur iurisdictioni cuiusque domesticae, adeoque caussas vxorum, filiorum familias, quin et seruorum ac rusticorum, raro admodum cognouisse iudices vel principes, probabile est *.

* Vxores, adulterii reas, adhibitis in consilium propinquis, damnasse maritos, domoque exegisse, verberibusque per vicum egisse, iam supra vidimus. *Adulterii* ergo, et aliorum fortassis delictorum, ab vxoribus admissorum, *poena praesens, et maritis permissa*. TACIT. *ibid. cap.* 19. Eamdem vitae necisque potestatem saltim Gallos in liberos suos habuisse, testatur CAESAR *Lib. VI. de bello Gall. cap.* 19. Idem vero ius et Germanis supra vindicauimus. (Lib. I. §. 135.) Denique multo minus dubitandum videtur, quin in suos quisque seruos exercuerit hanc potestatem, quamuis id magis per impetum, quam seruato iuris ordine, vel, vt ita dicam, pro tribunali factum esse videatur. Id enim vult TACITVS *de mor. Germ. cap.* 25. dum scribit: *Verberare seruum ac vinculis et opere coercere rarum. Occidere solent, non disciplina ac seueritate, sed impetu et ira, vt inimicum, nisi quod impune*. (Lib. I. §. 41.) Itaque late patuit patrumfamilias in suos potestas, adeoque fieri non potuit, quin multas illi minuerint controuersias, quae alias iudices fatigassent, et hodie fatigant quam maxime.

§. VIII.

§. VIII.

Eumdem morem et postea seruarunt Germani. Quemadmodum enim omnes fere gentes eius originis regna sua in certos pagos descripserant, veluti Alamanni, AMMIAN. MARCELL. *Lib. XIIII. cap.* 10. *Lib. XV. cap.* 4. *Lib. XVIII. cap.* 2. *et Lib. XXVIIII. cap.* 4. Saxones, ADAM BREM. *Lib. I. hist. eccl. cap.* 1. Frisii, apud quos *Austrachia*, et *VVestrachia*, (*oostergavv* et *vvestergavv*,) pagi, notissimi, iam sub Carolo Martello memorantur in adpendice ANNAL METENS. *init.* porro Burgundiones, LEX BVRG. *tit.* 89. et Franci: CAPITVL. *Lib. II. cap.* 73. ita dubium non est, quin iis more maiorum praefecerint COMITES, * qui iura, adhibitis in consilium scabinis, redderent.

Eadem iudiciorum facies et medio aeuo

* Tales sane videntur fuisse *comites regum* Alamannorum, quorum meminit AMMIAN. MARCELL. *Lib. XVI. cap.* 12. Satrapae Saxonum, apud BED. *hist. eccl. Angl. Lib. V. cap.* 11. et de quibus poeta vetus apud LEIBNIT. *script. rer. Brunsu. Tomo I. p.* 121.

Plebs omnis habebat
Quot pagos, tot paene duces, velut vnius artus
Corporis in diuersa forent hinc inde reuulsi.

Nec alios, quam comites, intelligo per *seniores* vel *maiores natu*, qui apud Ostrogothos ac Wisigothos in comitiis consulebant in medium, de quibus CLAVDIAN. *de bello Get. v.* 479.

Primosque suorum
Consultare iubet, bellis ANNISQVE *verendos.*
Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia.

Et paucis interiectis: *v.* 485.

Heic aliquis grauior natu, cui plurima dictis
Consiliisque fides.

Et SIDON. APOLL. *in panegyr. Auito Aug. dicto v.* 452.

Luce noua VETERVM *coetus de more Getarum*
Contrahitur. Stat prisca annis viridisque SENECTVS
Consiliis.

Et *v.* 458.

Postquam in concilium SENIORVM *venit honora*
Pauperies.

Addatur PROCOPIVS *de bello Goth. Lib. I. et III.* vbi a Vitige in consilium adhibitos esse ait πρεσβυτέρων τινάς, itemque Totilam inducit, conquerentem, interemtam a Graecis γερόντων ξυνετωτάτων πολὺν ὅμιλον, *magnam seniorum prudentissimorum multitudinem.*

§. VIIII.

Iam vt luculentius demonstremus, primo omnium satis constat, iudiciis apud VVISIGOTHOS praefuisse *comites*. Eos vero saepe alios substituisse, patet ex LEGE VVISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 14. *Nam et hi, qui potestatem iudicandi a rege accipiunt, siue etiam hi, qui per commissoriam* COMITVM *vel iudicum iudiciali potestate vtuntur, vices suas aliis, quibus fas fuerit, scriptis peragendas iniunxerint, licitum illis per omnia erit, similemque et ipsi, qui informati a iudicibus fuerint, in iudicando, sicut et illi, a quibus determinandi acceperunt vigorem, habebunt in discernendis vel ordinandis quibuscumque negotiis potestatem.* Habebant ergo VVisigothi et *propriam* iurisdictionem, et delegatam

Apud Wisigothos ius dixerunt comites, eorumque vicarii.

tam vel *mandatam*, aeque ac Romani *.

* Quin et in *arbitrum* compromittere licebat partibus, modo id fieret presentibus tribus testibus, et compromissum sua subscriptione suisque sigillis confirmantibus. Eo enim pertinet locus eiusdem LEG. WISIG. *Lib. II. tit. 1. §. 14. Dirimere caussas nulli licebit, nisi aut a principibus potestate concessa, aut ex consensu partium electo iudice, trium testium fuerit electionis pactio signis aut subscriptionibus roborata.*

§. X.

Comitibus subfuerunt thiuphadi

Apud eosdem tractus illi, quibus comites praeerant, in minores regiones, quas *thiuphadias* dicebant, diuidebantur, LEG. VVISIG. *Lib. VIIII. tit. 2. §. 1. 3. sequ. et 9.* eo quod iis praeessent *thiuphadi*, quibus praeter curam militiae, quae et comitibus incubuit, iurisdictio etiam erat in illo tractu, tum in ciuilibus, tum in criminalibus caussis. LEG. VVISIG. *Lib. II. tit. 1. §. 15. 23. et 26. et Lib. IIII. tit. 5. §. 6.*

§. XI.

His defensores villici saiones.

Quemadmodum vero sub comitibus erant *thiuphadi*: ita his suberant ex officiis militaribus *millenarii*, *quingentarii*, *centenarii*, *decani*, *exercitus compulsores* et *annonarii*: ex iudicibus *defensores*, *pacis adsertores*, *villici*, et *saiones*. *Defensores*, qui in ciuitatibus; (LEG. VVISIG. *Lib. II. tit. 1. §. 26. Lib. XII. tit. 1. §. 2.*) *villici*, qui in villis de caussis minoribus cognoscebant: LEG. VVISIG. *Lib. VI. tit. 1. §. 1. Lib. VIIII. tit. 1. §. 8. et 9. Lib. XI. tit. 2. §. 2.* pacis adsertores, qui *sola faciendae pacis intentione regali auctoritate destinabantur*, *nec alias dirimebant caussas, nisi quas illis regia deputauerat ordinatio*: LEG. VVISIG. *Lib. II. tit. 1. §. 16.* denique *saiones*, i. e. exsequutores litium, qui et in damnatos animaduertebant, et iussa ac sententias magistratuum exsequebantur. LEG. VVISIG. *Lib. II. tit. 1. §. 17. et 25. et alibi passim*. CASSIOD. *variar. I. 24. II. 4. III. 20. & 48. etc.* *

* Occurrunt hic quaedam vocabula vere Germanica. Thiuphados CAR. DV FRESNE a quibusdam deriuari ait a Germanico *tieff*, profundus: sed id ne speciem quidem veritatis praefert. Vere est a *thiuda*, gens vel populus, *vers. Gothic Luc. VII. 5.* et *fads* vel *faths*, (*vogt*) quod in compositione postponi solebat, et praefectum significabat. Sic *synagogafads* est archisynagogus, *ibib. Marc. XV. 22. hundafads* centurio, *ibid. Luc. VI. 7. thusundifaths*, mille hominibus praefectus vel tribunus, *ibid. Io. XVIII. 12.* Ergo *thiudafaths* vel *thiuphadus* nihil aliud est, quam genti alicui vel tribui praefectus. SAIO vel SAGO, (nam vtroque modo scribitur,) vnde sit, intellectu paullo difficilius videtur, nisi quod plerique locuti ex ISID. HISP. *Origin. Lib.* X. pro-

X. proferunt, ex quo pateat, *saionem* ab *exigendo* dictum esse. LINDENBR. et DV FRESNE *voce saio*. Sed ego qui eum locum illum reperire nondum potui. Si vere ita scripsit ISIDORVS: vocabulum illud derivarim a Germanico *suchen*, quod veteribus *saicken*: quamuis vnumquemque hic facile patiar suo sensu abundare.

§. XII.

An adsessores in consilium adhibuerint WISIGOTHORVM iudices, nondum liquet. Probabile tamen hoc esse dixeris, quia et apud Ostrogothos, quibus eadem fere erat reip. administrandae ratio, adsessores adiunctos esse magistratibus et iudicibus, testis est CASSIOD. *var. Lib. VI. cap.* 5. vbi quaesturam aliasque dignitates inter se contendens; *Aliae*, inquit, *dignitates adsessorum solatia quaerant: tua vero dignitas principi consilia subministrat.* Neque tamen diffitemur, Ostrogothos haec instituta, Italis iam pridem sollemnia, retinuisse magis, quam inuexisse. De magistratuum enim Romanorum adsessoribus omnia tam nota sunt, vt verbum addere nolimus. An et adsessores adhibuerint in consilium?

§. XIII.

Certius multo est, apud VVISIGOTHOS quoque permulta relicta fuisse iurisdictioni domesticae, non quidem mariti in vxorem, vel patris in liberos, siquidem vtraque potestas paullo adstrictior apud illos erat, (Lib. I. §. 282. et §. 136.) sed dominorum in seruos vel homines proprios. Inde enim est, quod in LEGE VVISIG. *Lib. VIII. tit.* 5. §. 6. iudicibus iunguntur *seniores loci*, et *Lib. VI. tit.* 1. §. 1. domini loci, quamuis et horum apud VVisigothos non fuerit tanta potestas, vt ob crimina in seruos animaduertere possent. * Quid domesticae euiusque iurisdictioni reliquerint?

* Discimus enim ex hac lege, dominos seruos suos, atrociorum criminum accusatos, offerre iudici debuisse. Itaque probabile est, eos minora quidem delicta ipsos coercuisse, et caussas inter ipsos seruos agitatas cognouisse, at maiores relinquere debuisse iudicibus: vt Wisigothi ea in re ius Romanum habuisse ob oculos, videantur.

§. XIIII.

Nec BVRGVNDIONVM instituta a VVisigothicis admodum diuersa fuerunt. Nam apud hos quoque comites per pagos ius dicebant, iique in Burgundiones et Romanos diuidebantur, *addit. II.* §. 10. et vtrique a regibus videntur constituti, dicti quippe *iudices a regibus deputati. addit. I. tit.* 3. §. 1. *et* 2. An vero et alios iudices sub se habuerint, itemque, an scabinos illis adiunxerint tamquam consilium, hodie fere ignoramus, quamuis posterius plures adfirment ob ea, quae habet PERARDVS *in Burgund. p.* 36. Nec magis certi quid adfirmare licet de iurisdictione domestica, quam late illa apud Burgundiones patuerit, quum praeter legem Gundobadam monimenta eius gentis quam paucissima aetatem tulerint. De Burgundionum iudiciis.

§. XV.

§. XV.

Varia Francorum iudicia.

Sed magis operae pretium fuerit, Francorum expendere iudicia. Ii enim et ipsi mores patrios sanctius, quam reliquae gentes originis Germanicae, custodiuerunt, eosque postea cum gentibus a se deuictis communicarunt, vt, qui horum instituta perspecta habet, is et reliquorum Germanorum, qui eorum imperio subfuerunt, mores non minus perspectos habere videatur. Quamobrem nec absurdum fuerit, hos eum illis coniungi, et tot gentium eiusdem originis concentum semel simulque demonstrari. Ceterum, quum recte obseruarit CONRINGIVS *de iudic.* §. 22. illa tempestate iudiciis praefuisse partim concilium ordinum, partim regem ipsum, partim constitutos a rege duces et comites cum scabinis adsessoribus, partim missos regios, partim episcopos: de singulis ordine erit paullo accuratius differendum.

§. XVI.

Caussae in comitiis publicis, vel in palatio regis agitatae.

Et in *conciliis* quidem vel publicis conuentibus, ad quae quotannis maiores minoresque natu, vti loquebantur, id est, episcopi, abbates, duces, comites optimates et alii ingenui, confluere solebant, ipsorum regum, principum, primariaeque nobilitatis caussae arduae, et maioris momenti controuersiae agitabantur, quamuis de his et apud regem, qui tunc comites palatinos, aliosque proceres in consilium adhibebat, aliquando disceptaretur. Cuius rei tot exempla, quae exstant in Francorum annalibus iam ab HERM. CONRINGIO *de iudic. reip. Germ.* §. 22. *sequ.* et HERT. *Notit. regn. Franc.* §. 36. collecta sunt, vt eorum scrinia expilare nolimus. *

* Attamen quaedam alia eius rei exempla, quae se nobis obtulerunt, addere iuuabit. Sic auctor est NITHARDVS *de dissens. filior. Ludouici Pii, Lib. I. p.* 437. controuersiam inter Ludouicum Pium patrem et Lotharium filium ita terminatam esse in conventu publico, vt iis, qui adhuc Lothario adhaeserant, capitis damnatis, at postea in exsilium missis, Lotharius sola Italia contentus esse iussus sit. Similem conuentum Ludouici Germanici caussa conuocatum esse Wormatia, idem refert, *ibid. p.* 446. sed quem mors Ludouici Pii turbarit. Ita et caussam Thassilonis in conuentu publico actam, iam supra vidimus, aliudque exemplum Abbatis S. Benigni Diuionensis in conuentu procerum iudicati, est apud HIER. BIGNON. *ad Marculfi Lib. I. cap. 25, p. 909. Tom. II. capitul. Baluz.* vbi et rationem horum iudiciorum eleganter hunc in modum explicari animaduertimus: *Reges olim proprio ore ius dixisse notum est, episcopis et proceribus adsidentibus, praesertim de maioribus caussis, et inter episcopos, abbates, comites, et potentiores personas*, CAPITVLAR. *III*, 77. *et V.* 308. *et de vassis et fidelibus suis*, CAPIT. *III*, 61. *V.* 101. *item ex caussa prouocationis, negati, vel diu dilati iudicii a comitibus*, CAPIT. *V.* 243. *III.* 7. *et cum quis iudicatum facere negligit, aut se iudicio sistere recusat*, CAPIT. *II.* 19. MARCVLF. *I.* 26. 27. 28. *tum demum de neglectu regalium constitutionum, et decretorum, et ex variis caussis, de quibus alias singillatim.*

§. XVII.

Iurisdictio archicapellanorum et

Rarius tamen ipsi reges ius dicebant: at plerumque eorum vice tum archicapellani, si caussa videretur ecclesiastica, tum comites palatii,

latii, si ciuilis, iudicabant. Hinc auctor est ADELARDVS apud HINCMARVM *Epist. XIIII. cap. 19. potiores in regio palatio duos regios ministros fuisse*, CAPELLANVM, *et comitem palatii, e quibus praecipue duos, apocrisiarium, vocatum apud Francos capellanum, vel palatii custodem, de omnibus ecclesiasticis, vel ministris ecclesiae, et* COMITEM PALATII *de omnibus saecularibus caussis vel iudiciis suscipiendis, curam instanter habuisse, vt nec ecclesiastici, nec saeculares prius dominum regem absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque ille prouideret, si necessitas esset, vt caussa ante regem venire merito deberet*. * comitum palatii.

* De ista archicapellanorum iurisdictione in caussis ecclesiasticis plura dabunt PETR. DE MARCA *de concord. sacerd. et regni cap.* 7. §. 3. CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. voce capellanus*, MALLINKROT. *de archicanc. et cancell. imper. p.* 7. 17. 37. de comitum palatii iurisdictione et potestate MARQV. FREHER. *orig. palat. cap.* 1. *p.* 27. *sequ.* PETR. PITH. *dans les memoires des comtes de Champagne et Brie*, quam obseruationem in Latinam conuertit et *originibus suis Palatinis p.* 1. praemisit laudatus paullo ante Freherus. TOELN. *hist. Palat. cap.* 5. *p.* 137.

§. XVIII.

Sed ordinaria erat COMITVM per pagos suos iurisdictio, qui ideo *κατ' ἐξοχὴν* vocati sunt *iudices publici*, vel *iudices*. Ita sane VENANTIVS FORTVNATVS eos fere promiscue modo *comites*, modo *iudices* vocat, veluti *Lib. IIII. vit. S. Martini*, vbi Auitianum, quem antea vocauerat COMITEM, moribus *tumidum*, mox vocat iudicem: Comites iudices ordinarii.

IVDICIS *inde feri coniux aegra Auitiani*.

Ita eodem modo comites per pagos vicosque ius dicebant apud Baiuuarios, Saxones, Alamannos, Frisios. Quod multis exemplis ac testimoniis probare nihil attinet, quum id extra omnem dubitationis aleam positum sit. Memorabilis tamen de Francorum comitibus est formula MARCVLFI *Lib. I. cap.* 8. de comitibus per Saxoniam, praeter diploma de comitatu Trutmanni, a MEIBOMIO *in vindiciis Billingianis* primum editum, quod nonnullis sublestae fidei videtur, videndus est locus poetae veteris apud LEIBNITIVM *script. rer. Brunsu. Tom. I. p.* 153.

Tum sub iudicibus, quos rex imponeret ipsis,
Legatisque suis permissi legibus vti
Saxones patriis, et libertatis honore.

§. XVIIII.

His apud Francos quoque adiungebantur SCABINI, eligendi a missis regiis, qui et indicem eorum scriptum ad reges deferre cogebantur. CAPITVL. *Lib. III.* §. 33. *edit. Lindenbr.* Eos esse oportebat *Deum timentes, mansuetos et bonos*; IBID. §. 56. veraces, *addit. IIII.* §. 74. et ingenuos: (Lib. I. §. 74.) ac proinde malis etiam abrogare magistratum iisdem Missis regiis licebat, CAPIT. *addit. IIII.* §. 73. Eosdem apud Francos dictos esse RACHIMBVRGIOS, vel RA- Comitibus adiuncti scabini vel rachimburgii, nec non sagibarones.

THINBVRGIOS, (quos frustra distinguit WENDELINVS *glossar. sub rachimburgiis*,) recte viderunt GOLDAST. *ad Rat-pert. de casib. S. Gall. cap.* 8. HIER. BIGNON. *ad Marculf. p.* 588. BRVMM. *de scabin. cap.* 5. §. 11. ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 96. At diuersos ab vtrisque esse SAGIBARONES,* vel inde patet, quod et numero pauciores adsiderent iudiciis, et similes haberentur ICtis Romanorum, a quorum sententiis discedere iudicibus nefas erat. LEX SAL. *tit.* 57. §. 4. BRVMM. *de scabin. ibid.* §. 4.

* *Sagibarones*, *sagbarones*, *sacbibarones*, ipsi quoque comiti adsidebant, sicuti scabini et rachimburgii, vt vtrique veluti in consilio essent. Quemadmodum ergo apud nos iudicibus et scabinis saepe adsunt *syndici*, qui vtrique, iuris fortassis paullo imperitioribus, suggerant, quid facto opus sit: ita idem apud Francos factum videtur, apud quos comites aeque, ac scabinos, militiae, quam rei iudiciariae, peritiores fuisse, probabile est. Ceterum scabinos dictos esse a *scepen*, vel *schoepfen* haurire, argumento est loquutio qua saeculo adhuc XV. vsum est imperium in *reformatione Fridrici V. Imp. declar.* 2. *art.* 5. *apud Goldast. in Reichs-Satz. p.* 171. *Recht sprechen*, SCHOEPFEN, *oder beschliessen*, quamque Suecones et hodie exprimunt *skipa ratt*, teste LOCCENIO. Rachemburgios a *rache* caussa et *bergen*; seruare deriuat ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 96. *Sagibarones* manifesto dicti a *sache* et *baro* vir, quasi *sachmanner*, nisi credere malis, *baro* esse terminationem Germanicam *bar*, vt *sachbar* eadem forma dicatur, ac *schoeppenbar*, *mannbar*, *dienstbar*, etc. Eosdem dictos esse *bonos homines*, ostendit ECCARD. *ibid. p.* 100.

§. XX.

Eorum numerus. Nimirum scabini plerumque septem cum comite constituebant iudicium, CAPITVL. *Lib. III.* §. 40. *et Lib. VI.* §. 238. totidemque rachimburgios exigi animaduertimus in LEGE SAL. *tit.* 53. §. 3. *tit.* 60. §. 1. LEGE RIPVAR. *tit.* 34.* At sagibaronum tres tantum iudicio interesse poterant ex LEGE SAL. *tit.* 57. §. 4. *Sagibarones in singulis mallebergiis plures, quam tres, esse non debent, et si de caussa illi aliquid sanum dixerint, penitus grauio nullam habeat licentiam remouendi*. Quod simile est priuilegio illi, quod ICtis ab Augusto datum esse nouimus. §. 8. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* Tantum vero abest, vt comes ius dicere posset absentibus scabinis, vt hi et in castra sequi comitem iuris dicundi caussa cogerentur. CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 5.

* Tot scabinis opus fuisse videtur ad quaestiones sollemnes, quas in iure fieri oportebat, expediendas. At aliquando tamen plures in consilium adhibitos esse patet ex LVDOVICI PII *Capitulari II. ann.* 819. §. 2. *p.* 605. *Tom. I. Vult dominus imperator, vt in tale placitum, quale ille nunc iusserit, veniat vnusquisque comes et adducat secum duodecim scabinos, si tanti fuerint, sin autem, de melioribus hominibus illius comitatus suppleat numerum duodenarium*. Sed et octo scabinorum numerum in placito de mancipiis S. Remigii euindicantis obseruauit SAGITTAR. *de ducatu Thuring. Lib. IIII. cap.* 9. §. 5. Immo et pauciores, veluti sex aliquando adsedisse comitibus, idem probauit ex notitia iudicii pro monasterio S. Andreae Exalatensis apud BALVZ. *Tom. II. Capitul. p.* 1489.

§. XXI.

Vbi mallus vel iudicium habitum? Ceterum hi comites et scabini vel rachimburgii conueniebant in *mallo*, id est, olim sub dio, in loco, certo signo, veluti arbore procera, statua, cruce, notato; postea in templo quodam, vel alio loco publi-

publico. At vtrumque morem abrogarunt Carolus M. et Ludouicus Pius, qui in ecclesiis vel atriis earum iudicia institui prohibuerunt, iusseruntque certa praetoria exstrui, *vt propter calorem solis et pluuiam publica vtilitas non remaneret*. Vid. CAPITVL. I. *ann.* 809. §. 25. CAPITVL. I. *anni* 819. §. 14. CAPITVL. *Lib. III.* §. 57. CAPITVL. *anni* 867. *cap.* 14. Ceterum diuersos fuisse scabinorum ordines, vel inde patet, quod *primorum scabinorum* mentio fit in CAPITVL. *anni* 823. §. *vlt.* Eosdem vero et in leges iurasse, et dignitatis illius incapaces habitos esse, simul ac vel publico iudicio fuissent damnati, vel sordide et iniuste iudicassent, discimus ex CAPITVL. *anni* 829. *tit.* 2. §. 2. CAPITVL. I. *ann.* 809. §. 28. *et* 30.

§. XXII.

Vicecomites vel vicarii.

At quemadmodum comites non modo iuri dicundo praeerant, sed et in alia incumbebant reip. negotia, quin et ordines ducebant, quoties bellum aliquod ingrueret: ita fieri non poterat, quin aliquando aliis mandarent iurisdictionem, SAGITT. *de duc. Thur. Lib. IIII. cap.* 9. §. 8. certosque constituerent homines, qui vice sua iudicarent, quos in vetustis monimentis VICECOMITES vel VICARIOS adpellari, animaduertimus. CAPITVL. V. *ann.* 803. §. 17. CAPIT. II. *anni* 813. §. 5. 6. 13. 25. CAPIT. 874. §. 9. Neque enim diuersos fuisse vicecomites a vicariis, contra HIER. BIGNONIVM demonstrauit SAGITT. *de ducat. Thur. Lib. IIII. cap.* 9. §. 4. *sequ.* Hi ergo *vicarii* vice comitis iudicabant, * simulque, quod ex CAPIT. II. *anni* 813. §. 8. discimus, praeerant *lupariis*, i. e. venatoribus duobus, qui lupis struebant insidias, bestiisque tam noxiis purgabant prouinciam.

* Praeter vicecomites etiam *sculdasium* vel scultetum vice comitis iudicasse, aliqui existimant; veluti CONRING. *de iud. reip. Germ.* §. 27. et SAGITTAR. *antiqu. duc. Thur. Lib. IIII. cap.* 11. §. 2. Sed testimonia tantum non omnia, quibus vtuntur viri doctissimi, ad Langobardos, non ad Francos pertinent. Quin et CAR. DV FRESNE *in glossar. Lat. Tom. III. p.* 758. *sequ.* vbi omnia veterum loca de sculdasiis corrasit, ne vllum quidem attulit, quod non vel ex LEGE LANGOB. vel ex PAVLLO WARNEFRIDO, CHRONICIS CASINENSIBVS, diplomatibusque Italicis, depromtum sit. Hinc a Langobardis tantum vicarios comitum dictos esse *sculdasios*, arbitramur; non a Francis reliquisque Germanis, quamuis post Francorum tempora vbique non modo per vrbes ius dixerint *sculteti* vel *sculdasii*, *stadtschulzen*, verum etiam qui vicis et pagis praefuerint, dicti sint *dorff-schulzen*, *gerichts-schulzen*, et *lehn-schulzen*, si officium cum praedio quodam in feudum accepissent.

§. XXIII.

Comitibus suberant centenarii et decani vel tungini.

Quin non solum vicarios suos habebant comites, sed et judices inferiores, et, vt ita dicamus, pedaneos, qui certo pagi alicuius tractui praeessent et de minoris momenti caussis ius dicerent. Hinc singuli pagi, maxime ampliores, in certas descripti erant *centenas*, * DECRET. CHILDEB. *ann.* 595. §. 12. *et* 21. DECRET. CHLOTAR. II. *ann.* 595. CAPIT. I. *ann.* 819. CAPIT. *ann.* 529. quales et Angli-Saxones in suo regno habebant, vocatas HVNDREDAS. GVIL. MALMESB. *Lib. II. cap.* 4. GVIL. GEMETIC. *ad ann.* 892. Immo et centenas in

decarias CAPIT. CAR. CALVI *Tolosan. ann.* 843. §. 3. Quemadmodum ergo intra *centenas* de minoribus caussis ius dicebant CENTENARII, CAPIT. III. *ann.* 811. CAPIT. III. *an.* 813. §. 28. CAPIT. V. *an.* 819. §. 19. LEG. BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 1. LEG. ALAMANN. *tit.* 28. §. 3. qui et CENTENI, *Epist. Franc.* LXII. apud MARQ. FREH. *script. rer. Franc. p.* 218. et CENTVRIONES dicti, in *Tradit. Fuld.* apud PISTOR. *Lib. II. n.* 45. ita decaniis cum eadem potestate praeerant DECANI, LEG. BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 5. CAPIT. CAROLI M. *de vill. suis* §. 10. *et* 58. MARCVLFI *adpend. cap.* 10. HINCM. *epist.* IIII. qui et DECVRIONES vocantur a WALAFR. STRAB. *de offic. eccles. cap. vlt.* et in LEGE SALICA *tit.* 47. §. 1. *tit.* 49. §. 1. *tit.* 63. TVNCHINI vel TVNGINI adpellantur.

* Equidem ad *centenam* centenas, ad *decaniam* denas domos vel familias pertinuisse, vulgo existimant, eique sententiae etiam suffragatur SAGITTAR. *antiqu. ducat. Thuring. Lib.* IIII. *cap.* 5. §. 1. Sed probabilius est non tam praedia numerasse Francos aliasque gentes, quam ipsum pagum in certos tractus vel ditiones, quales apud nos sunt praefecturae *ambter*, *voigteyen*, *gografschafften*, diuisisse. Erat sane in singulis centenis vicus quidam primarius, a quo illis nomen haerebat. Sic *villae*, *sitae in pago Osismensi*, *in centena Noviacense*, meminit CHRON. FONTANELL. *cap.* 7. in cuius *cap.* 8. *Digmaniacum*, villa, *sita dicitur in pago Osismensi*, *in centena Alancionensi*. Plura exempla protulit CAR. DV FRESNE *gloss. Lat. voce centena*. Id vero commode fieri non potuisset, si singulae centenae centenas numerassent familias. Vnde ipse SAGITTAR. *ibid.* §. 3. *p.* 114. *Sonst ist leicht zu ermessen*, *dass weil die pagi vnd villae nicht von gleicher grosse gewesen*, *dass es auch nicht allemal mit denen centenis so genau konnen gehalten vverden*, *dass eben hundert*, *vnd nicht mehr*, *auch nicht vveniger hauser*, *darinn gevvesen*, *sondern bisvveilen die hunderte zahl uberschritten*, *auch vvohl nach gelegenheit nicht einsten erfullet vvorden*, *so doch*, *dass der nahme centenae verblieben*.

§. XXIIII.

In vrbibus etiam ius dicebant comites.

Ceterum tam aequabilis, sibique per omnia similis apud Francos erat iurisdictionis ratio, vt ne vrbes quidem ac vici celebriores alterius cuiusquam, quam comitis et scabinorum, iurisdictioni subessent, siue speciatim earum vrbium cura demandata esset his comitibus, siue ii praeter illa et tractibus vicinis ius dicerent (Lib. I. §. 104.) Vtrumque luculenter demonstrari potest. Et quidem in CAPITVL. *ann.* 805. *tit.* 7. ybi comites emporiorum Bardewicensis, Scheslensis, Erfurtensis, Forchheimensis, Breembergensis, Ratisponensis et Lauriacensis memorantur. Et aliunde constat, Hamburgenses sub Francorum imperio obtemperasse comitibus, ius dicentibus, hosque simul praefuisse vicino Nordalbingiae tractui. Bernarius sane comes, vir illustris, qui in Nordalbingia ius dicebat sub Ludouico Pio, etiam Hamburgi praefecturam tenuisse dicitur REMBERTO *in vita S. Anscharii cap.* 34. Et GVALDVS *in vita eiusd. cap.* 35.

Non erat obsessis arcere pericula mortis
Virtus, *quum* PRAESES, *Bernarius*, VRBIS *abesset*.

Conf. LAMBEC. *orig. Hamb. n.* 17.

§. XXV.

§. XXV.

Comites et ciuilem, et criminalem habebant iurisdictionem.

Comitum porro et scabinorum tam late patebat iurisdictio, vt penes eos et ciuilium, et criminalium caussarum esset diiudicatio. Quamuis enim et magistratus minores delicta quaedam, veluti furta leuiora, coercerent: ad comitum tamen cognitionem praecipue pertinebant *homicidia*, *raptus*, *incendia*, *depraedationes*, *membrorum amputationes*, *furta*, *latrocinia*, *alienarum rerum inuasiones*, ceu patet ex LVDOVICI *Pii praecepto pro Hispanis cap.* 2. *et* 3. Nec personae, quae in pago isto reperiebantur, vllae praeter episcopos et abbates, exemtae erant a iurisdictione comitum, LEG. ALAM. *tit.* 36. §. 5. * adeo vt et clerici minores a comitibus ob delicta quaedam coercerentur, DECRET. CHLOTHAR. *II. anno* 615. §. 4. CAPIT. CAROLI CALVI *ann.* 844. §. 3. modo id praescitu episcopi vel praelati fieret. CAPIT. *Caroli M. I. ann.* 769. §. 17. et CAPIT. *Lib. VI.* §. 156. *Lib. VII.* §. 89. ISAACI *Episc. Lingon. canon. tit.* 11. §. 21.

* Diserte illa lex: *Qualiscumque*, inquit, *persona sit*, *aut vassus ducis*, *aut comitis*, *aut qualiscumque persona*, *nemo negligat ad ipsum placitum venire.* Itaque et ingenui, vel, vti hodie vocantur, equestris nobilitatis viri a comite et scabinis iudicabantur. Atque hinc lucem capit lex Caroli M. qua cauetur, *ne quis ad mallum*, *vel ad placitum*, *infra patriam*, *arma*, *id est*, *scutum et lanceam*, *portare velit*. CAPITVL. *III. ann.* 806. §. 1. Armati enim, vt supra obseruauimus, soli incedebant ingenui, iique ante Caroli M. tempora procul dubio et ad tribunal armati veniebant, more maiorum, qui et in comitiis considebant armati TAC. *de mor. Germ. cap.* 11. et ad conuiuia armati procedebant, ID. *ibid. cap.* 22. et nihil publice priuataeque rei, nisi armati, agebant. IBID. *cap.* 13. Quum vero ob faidas parum tutum videretur, in ius venire, et tamen non liceret amplius armatis se sistere: mos postea inualuit, vt accusatores peterent a iudice, *ihnen den frohnbothen zu leyhen*, *dass er seine geschliffene vvehr ausziehe*, *vnd ihnen dieselbe mit gevvaffneter hand vortrage*. (*Lib. II. Part. II.* §. 28. *).

§. XXVI.

Missorum dominicorum officium.

Talia erant comitum, eorumque, qui vel eorum vice, vel sub eorum dispositione, caussas cognoscebant, iudicia. Proximum ergo est, vt et ad MISSOS REGIOS progrediamur, qui et *legati*, *missi dominici*, *missi palatii*, *palatini*, vel *de palatio*, immo et *missi de latere*, vel *ex latere*, et *legati a latere missi*, dicebantur. CAR. DV FRESNE *gloss. Lat. Tom. II. pag.* 586. Hi enim extra ordinem e palatio in certas prouincias mittebantur cum amplissima potestate, *de omnibus caussis*, *quae ad correctionem pertinere viderentur*, *quanto possent studio*, *per semet ipsos regia auctoritate corrigendi*, *et si aliqua difficultas in qualibet re eis obsisteret*, *id ad regis*, *vel imperatoris notitiam deferendi*. * CAPITVL. *anni* 810. §. 3. *cap.* 3. *sequ.*

* Praeclarum laudeque dignissimum erat hoc regum Francorum institutum, quo et Romani aliquando vsi videntur, si quid in prouincia esset turbidum. Sane enim in marmoribus memoratur P. AQVIVS SCAEVAE ET FLAVIAE FILIVS EXTRA SORTEM AVCTORITATE. C. CAESAR. EX SC. MISSVS AD COMPONENDVM STATVM IN RELIQVVM PROVINCIAM CYPRI. CAR. DV FRESNE *glossar. voce missus*.

§. XXVII.

§. XXVII.

Tum circa rempublicam.

Inprimis vero id negotii dabatur missis illis, vt in comitum, reliquorumque magistratuum acta inquirerent, CHRON. MOISSIAC. *ad ann.* 815. iudicibus, sordide fungentibus officio, potestatem abrogarent, sanctioresque surrogarent, CAPITVL. *Lib. III.* §. 33. de episcoporum, abbatumque vita et moribus ad regem referrent, monasteria et ecclesias coram lustrarent, CAPITVL. *Lib. I.* §. 121. prouinciamque latronibus, aliisque prauis hominibus purgarent. CAPIT. CAROLI CALVI *tit.* 11. §. 1. *tit.* 12. §. 4. *tit.* 13. §. 1. *tit.* 20. §. 7. * Itaque similes hi missi fuerunt iis, quos principes nostri aliquando per dioeceses ecclesiasticas mittunt extra ordinem, vt, si quid praui moris paullatim irrepserit, id prudenter emendent, vel, si impares se esse emendandis illis vitiis animaduertant, rem ad principes vel eorum sacra tribunalia deferant. Id enim sibi consilii esse, satis perspicue docet Ludouicus Imp. apud ERMOLD. NIGELLVM *Lib. II.* editum a MVRATOR. *Tomo II. part.* 2. *p.* 44.

Nam mihi mente sedet, dederim quod nuper in urbem
Legatos, populos qui pietate regant.
Nunc, nunc, o missi, certis insistite rebus,
Atque per imperium currite rite meum.

* Demandabatur itaque hoc negotium non vilioris conditionis hominibus, in quos corruptionis cadebat suspicio, sed ditioribus et honoratioribus in palatio, puta *archiepiscopis, et reliquis episcopis, et abbatibus cum ducibus et comitibus, qui iam non opus habebant, super innocentibus munera accipere*, vt est in CHRON. MOISSIAC. *ad ann.* 802. Quamobrem cum his *missis maioribus*, vti vocantur in CAP. CAROLI CALVI *ann.* 860. *tit.* 32. §. 8. non confundendi sunt, minores, seu *discurrentes* apud FREDEGAR. *in chron. cap.* 88. Videntur hi sane ex minoribus vassis fuisse, et extra ordinem repente in hanc illamue prouinciam esse ablegati, si quid incideret, quod accuratius nosse vellent reges. Simile fuit Imperatorum Romanorum institutum, qui vel libertos suos per prouincias dimittebant, acta praesidum exploraturos, vel FRVMENTARIORVM eam in rem opera vtebantur, vti ex SPARTIANI *vita Hadr. cap.* 11. discimus, vbi plane egregia sunt, quae ad locum illum adnotauit CLAVD. SALMASIVS *p.* 27. *sequ.* obseruans simul, eorum in locum a Diocletiani temporibus successisse CVRIOSOS, ex corpore agentium in singulas prouincias missos, *ad explorandum annunciandumque, si qui forte motus exstitissent.* AVREL. VICT. *in Dioclet. p.* 172. *edit. Annae Tanequ. Fabrae.* His plane similes esse missos illos regum Francorum minorum gentium, seu discurrentes, facile vnusquisque animaduertit.

§. XXVIII.

Tum circa priuatorum caussas.

Quemadmodum vero omnia, quae emendanda videbantur, ad horum legatorum curam et sollicitudinem pertinebant: ita et, si cui iustitia vel a comite et scabinis, vel a quibuscumque aliis, esset denegata, ipsi ius dicebant, et viduarum praecipue aliarumque personarum miserabilium curam gerebant. CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 66. CAPITVL. CAR. CALVI *tit.* 17. §. 7. EDICT. PISTENS. *cap.* 2. Hinc missi dicuntur *ad iustitias faciendas, et oppressiones populorum releuandas* ANNAL. MET. *ad ann.* 798. *et* 814. RATPERT. *de cas. S. Gall. cap.* 5. eoque consilio quatuor per singulos annos conuentus iuris dicundi caussa, diuersis locis

eis statisque temporibus, puta mensibus Ianuario, Aprile, Iulio et Octobre agebant, eosque Francorum more *placita* communi conuentibus et iudiciis vocabulo, adpellebant. * CAPIT. *III. ann.* 812. §. 8. *et Lib. III.* §. 83.

* Exstant passim notitiae huiusmodi placitorum, seu iudiciorum, a missis dominicis institutorum. Sic inter STEPH. BALVZII acta vetera *Capitularium Tomo II.* adnexa *num.* 34. *p.* 1416. habes iudicium pro episcopo Gerundensi, ob villam, cui nomen Baschara, anno 817. habitum, et ex archiuo ecclesiae Gerundensis depromtum, et *n.* 80. *p.* 1467. placitum missorum dominicorum, in quo terminata est lis, quae fuit inter Agilmarum, Archiepiscopum Narbonensem, et Wigerigum, comitem, vbi in priore instrumento memorantur *missi a gloriosissimo domino Ludouico, Imperatore, Nifridus, Gerundensis Episcopus, Christianus item episcopus, seu et iudices, qui iussi sunt dirimere caussas, Adroarius, Cirella, Adaulfus, Calbus, Prouasius, Seulpilsarius, et Remulus, seu et Magnentius et Salo, qui in praesentia aliorum multorum hominum, qui cum ipsis ibidem adfuerint*, caussam terminarint. Nifridum tamen archiepiscopum inter missos tum fuisse, vix verosimile est, nisi credere velis, eum iudicem in propria caussa fuisse.

§. XXVIIII.

Non male ergo coniecerunt IOACH. VADIANVS *de colleg. et monaster. pag.* 27. apud GOLDAST. *rer. Alam. Tom. III.* et CONRING. *de iudic. vet. Germ.* §. 36. prouocationi locum fuisse a comitibus eorumque scabinis ad missos aut legatos regios, si quis se neglectum fraudatumque, aut iniquius ab illis tractatum conquereretur: quamuis et ipse rex et palatii comes possent adpellari, si caussa esset maioris momenti, vel talis, vt impares essent vel comites vel missi illi definiendae, eo tamen seruato discrimine, vt *caussae pauperum et minus potentum* per adpellationem ad regem deuolutae, a palatii comite; potentiorum ab ipso rege deciderentur. CAPIT. *Lib. III.* §. 77. Vnde et *addit. Lib. IIII.* §. 82. edicitur, *vt missi notum faciant comitibus et populo, regem in omni hebdomade vnum diem ad caussas audiendas et iudicandas sedere velle.*

Ad eos prouocari poterat.

§. XXX.

Superfunt ergo iudicia EPISCOPORVM. In veram enim iurisdictionem paullatim euasisse episcopalem illam, quae a principibus illis indulgebatur, audientiam, in vulgus notum est. Recte autem obseruatum est a CONRINGIO *de iudic.* §. 30. *sequ.* sacra illa iudicia partim ad mores et vitam Christianorum, partim ad lites clericorum et monachorum, partim ad alias caussas, in quibus licebat prorogare iurisdictionem, pertinuisse: immo fuisse caussas, quae vel ad concilia et synodos, vel ad Papam fuerint delatae: denique de bonis ecclesiasticis etiam aduocatos ecclesiarum ius dixisse, putat. De quibus iudiciis omnibus quaedam hic differere operae pretium omnino fuerit.

Iudicia sacra quotuplicia?

§. XXXI.

In vitam et mores Christianorum censuram agere semper licuit episcopis, eatenus, vt extra legem viuentes, si lenioribus remediis locum non dederint, abstentos reddere, iisque sacrorum vsu caussa cognita interdicere possent. Apud Francos autem tantus fuit disciplinae

Iudicia episcoporum de vita et moribus Christianorum.

illius

illius ecclesiasticae rigor, vt excommunicatus nec sacris interesse, nec cibum potumue cum vllo Christiano capere, nec osculo aut munere excipi, nec salutari a quoquam posset. CAPIT. *Lib. V.* §. 42. *et Lib. VI.* §. 130. Si ne sic quidem ad frugem redibat diris deuotum caput, regis iussu exsulatum ibat: quin et is, qui cum illo quidquam habuerat commercii, eadem seueritate sacris arcebatur. CAPIT. *Lib. V.* §. 42. Nec prouocationi ab illa episcopali sententia locus erat, nisi ad judicium metropolitani, * CAPIT. *Lib. V.* §. 42.

* Recte ergo obseruauit CONRING. *de iudic. vet. Germ. reip.* §. 30. maiorem apud Francos fuisse episcoporum potentiam, quam vllibi terrarum. *Tam late enim*, inquit, *patebat hoc iudicium sacrum, vt nihil fere non criminum illuc sensim traheretur. Quod ex multis capitularium locis percipere est. Seorsum de perfidis* CAPITVL. 141. *libri VI. decernit, ne iudices quidquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conniuentiam iudicare praesumant. Quae omnia potestatem sacerdotalem supra modum et morem Germanicarum gentium auxerunt. Etsi enim iam alibi indum idem effectus excommunicationis dudum obtinuisset, ceu liquet ex epistola CVII. Synesii, qua excommunicatur Andronicus Pentapolitanus praeses: tamen non passim hactenus is vigor inualuerat, certe apud Germanicas gentes tale quid fuerat insolitum.* Quamobrem non mirum est, saeculo VIIII. in SYNODO WORMATIENSE *cap.* 13. cautum esse, *ne episcopi pro leuibus et paruis caussis quemquam excommunicent.* Et notae sunt HINCMARI Rhemensis aliorumque testium veritatis ex illo saeculo VIIII. querelae de insigni excommunicationum abusu, quas ex parte sistit MATTH. FLAC. *catal. test. verit. Lib. VIIII. p.* 96. *Tom. II.*

§. XXXII.

In clericos, monacos, et moniales.

Deinde mature sibi episcopi vindicarunt iurisdictionem omnem in clericos, monacos et moniales suarum dioecesium. Nota enim est hac de re sanctio CONCILII CHALCEDONENSIS *can.* 9. *Si quis clericus habet cum clerico litem aut negotium, proprium episcopum non relinquat, et ad saecularia iudicia non excurrat, sed caussam prius apud proprium episcopum agat, vel de episcopi sententia apud eos, quos vtraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem praeter haec fecerit, canonicis poenis subiiciatur.* * Quem canonem repetit, suaque constitutione firmat CAROLVS M. *capitul.* 1. *ann.* 789. §. 27. CAPIT. *Lib. I.* §. 28. Conf. *Lib. I.* §. 3. *et Lib. VI.* §. 434.

* At saepe tamen, vbi se crimine quodam, veluti homicidio, furto, vel simili, indignos reddiderant illo fori priuilegio, cum episcopi praescitu ad tribunalia comitum et scabinorum rapiebantur. poena, quam meruissent plectendi. Exempla ex EDICTO CHLOTARII *ann.* 615. §. 4. CAROLI CALVI *Capitul. tit.* 6. §. 3. iam supra adduximus (§. 25.) Sed paullatim et hoc ab vsu recessit, vt ne de his quidem atrocioribus criminibus vlla iudicibus relinqueretur cognitio, ac ne animaduersio quidem, nisi auctoritate et iussu episcoporum.

§. XXXIII.

Caussae in quibus sponte iurisdictio prorogabatur.

Id vero mirum, ac monstro paene simile videtur, Francorum regibus persuaderi potuisse, vt et alias quascumque caussas ciuiles, siue de possessione, siue de iure et titulo litigaretur, ad episcoporum tribunal pertrahi paterentur. CAPIT. *Lib. VI.* §. 366. *edit. Baluz.* Ita enim fieri non potuit, quin episcopi omnem paene iuris dicendi potestatem paullatim sibi vindicarent. Sed prorogatae illius iurisdictionis aequi-

aequitatem tanto maiorem esse existimabant, quanto minus ipsi principes Romani id ciuibus suis indulgere dubitassent, *L. 1. C. Theod. de episc. iud.* * quam cum aliis quibusdam eiusdem generis constitutionibus, tamquam extrauagantem, Lib. XVI. laudati codicis subiunxit IAC. GOTHOFREDVS *Tomo. VI. p.* 303.

* Dici non potest, quam haec constitutio, quippe episcopis vtilissima, placuerit canonum compilatoribus, qui ideo omnes eam in suis collectionibus exstare voluerunt. Praeter CAPITVLARIVM enim auctorem citatum, illam constitutionem iactare animaduertimus IVONEM *Parte XVI. can.* 312. et GRATIAN. *c.* 11. *qu.* 1. *c.* 35. Sed quamuis illam integram et sinceram esse contendant IAN. A COSTA *in Decretales p.* 281. et SELDENVS *de Synedr. Hebr. Lib. I. cap.* 10. tamen eam, permultis adductus argumentis, falsam esse, probauit IAC. GOTHOFREDVS *in comment. ibid. p.* 304. Ei sese opposuit sub finem saeculi superioris IO. DE GENDRE, Antecessor Parisiensis, sed cuius libellum me nondum vidisse, fateor.

§. XXXIIII.

Ipsorum episcoporum caussae vbi tractatae.

Quemadmodum itaque episcoporum perampla erat iurisdictio; ita ipsi, tantum abest, vt ad tribunalia iudicum ordinariorum vocari possent, vt eorum caussae non nisi apud metropolitanum, aut, si hunc suspectum haberent, apud primatem dioeceseos, vel Pontificem Romanum, tractandae essent. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 234. 240. Plerumque tamen non soli metropolitani vel primates iudicabant, sed in consilium adhibebant suffraganeos suos, vel comprouinciales episcopos, adeoque caussa, in synodo cognita, de communi patrum sententia dirimebatur. SYNOD. FRANCOF. *ann.* 794. *cap.* 6. Prouocationem tamen ad Pontificem Romanum sero, et nonnisi sub altera regum stirpe, concessam esse, pluribus iam ostenderunt alii. Et sane Carolingi ad prouocationem illam concedendam pellecti sunt binis monimentis, quae partim sublestae fidei, partim ἀπροσδιόνυσα esse, iam pridem demonstratum est. * Vid. CONRING. *de iudic. vet. Germ. reip.* §. 32. *sequ.* HERT. *notit. regn. Franc. cap.* 5. §. 39.

* Nam in CAPITVL. *Lib. VII.* §. 412. prouocatur ad auctoritatem capitulorum in collectione Hadriani, et ad *concilii Sardicensis canonem IIII.* Sed sicuti collectio illa 75. capitulorum, quae sub Hadriani nomine temporibus Caroli M. ab Ingilramo, Episcopo Metensi, in Gallia sparsa est, permulta habet et interpolata et mutila, et in alienum sensum detorta, prout conducere visum est ad extollendam Romani Pontificis auctoritatem: PETR. DE MARCA *ibid. Lib. III. cap.* 5. §. 4. *p.* 231. et *Lib. VII. cap.* 20. §. 4. *p.* 1073. ita canones Sardicenses non ad caussas omnes episcoporum, sed ad eorum tantum depositionem, quam vocant, nec ad caussas a metropolitano et synodo iam decisas, pertinere; nec libertatem prouocandi ad ipsos principes tollere, pluribus docent idem PETR. DE MARCA *ibid. Lib. VII. cap.* 3. *sequ.* et CONR. *ibid.* §. 33.

§. XXXV.

Aduocatorum ecclesiasticorum partes in iudiciis.

Supersunt iudicia ADVOCATORVM, vel vicedominorum, per quos intelligimus personas siue nobiles, siue ingenuas, sacro quidem ordini non adscriptas, sed episcopis tamen et praelatis adiunctas, eum in finem, vt, quum sacerdotibus parum conuenire videretur in foro litigare, hae illorum loco lites de bonis ecclesiasticis susciperent. Solebant ergo hi lites de bonis ecclesiasticis non quidem decidere, seu exi-

exiſtimauit CONRING. *ibid.* §. 35. ſed ſuſcipere pro eccleſiis ſuis, et has defendere pro virili, CAR. DV FRESNE *gloſſ. Lat. voce aduocatus*, immo et pro iiſdem, ſi res ita ferret, certamen ſingulare ſubire: cuius rei exempla dedit MABILLON. *act. ſanct. ord. S. Bened. ſaec. III. part. I. n.* 12.

§. XXXVI.

An et iuriſdictio quaedam patrimonialis apud Francos?

Talis fuit ſub Francis iuriſdictio; nec alia apud Alamannos, Boioarios, Saxones, Thuringos, reliquoſque populos, qui et in Germania, et extra illam, Francis parebant, erat rei iudiciariae ratio. Nos id modo obſeruamus, rariorem illis temporibus, nec tamen plane ignotam fuiſſe iuriſdictionem patrimonialem, quam domini exercebant in homines proprios et colonos, * immo et in fundos eorum, quamque in locum veteris poteſtatis dominicae ſurrogatam eſſe, ex inſtituto oſtendimus. *diſſert. de orig. et indole iuriſd. patrimon.*

* Neque enim alio videntur pertinere MALMANNI, quorum iam Carolus M. meminit in diplomate *Oſnabrug. ann.* 804. *apud* SCHATEN. *Hiſt. Weſtphal. Lib.* VIIII. Eos enim fuiſſe ruſticorum genus, quod ad domini mallum vocari, ibique iudicari potuerit, ipſum horum ſeruorum nomen ſatis videtur probare. Sed magis perſpicuum eſt teſtimonium, quod ex CHRON. MSC. EBERSHEIMENSI excerpſit SCHILT. *de cur. dominical. in mantiſſa p.* 374. vbi Erchonoaldus maior domus, *ducatum Germaniae adeptus, et ſedem in villa regia, quae Ehenheim vocatur, vel in caſtro, in vertice montis ſito, Altitona dim, nunc Hohenburc, inſulam Nouientum ſiue Ebersheim* IVRE HERIDATARIO *poſſedit, et monaſterium in honorem S. Mauritii dedicauit, et dotauit* 20. *curtibus, in Sulza*, CVRTE DOMINICA *cum omnibus adpendittiis ſuis, eccleſia videlicet matrice, cum decimis ſuis, manſis cenſualibus atque ſeruilibus, agris cum vineis ac pratis, curtibus cum curtificiis, familia miniſteriali, ſeruili et cenſuali, aquarum decurſibus, cum molendinis ac foreſtis, ac toto ſimul* BANNO GENERALI. Praeclarum ſane hoc teſtimonium, ex quo patet, Erchonoaldum monaſterio S. Mauritii contuliſſe praedia allodialia, quae tamquam priuatum patrimonium poſſidebat, et tamen in illis fuiſſe *curtam dominicalem*, in qua ius dicebatur emphyteutis, immo eum ibi habuiſſe *bannum generalem*, id eſt omnem iuriſdictionem in familias miniſteriales, cenſuales et ſeruiles. Quae proinde vere erat patrimonialis illa iuriſdictio.

§. XXXVII.

Iudiciorum ratio poſt Francos.

Eadem fere manſit iudiciorum ratio, extremo Francorum regno, quamuis pauca quaedam mutata paullatim eſſe in illa temporum perturbatione, non abs re animaduerterit HERM. CONR. *ibid.* §. 40. Fieri enim non potuit, ducibus et comitibus iure veluti hereditario prouincias regere incipientibus, quin et ipſi per alios iura redderent, et paullo difficilius, quam antea, in ius vocarentur. At ſatis conſtat, duces, qui prope omnem Germaniam inter ſe diſtraxerant, illa tempeſtate paene regium vſurpaſſe imperium, adeo, vt Arnulphi, Boioariae ducis ducatum *regnum* diſerte vocet WITICHIND. *annal. Lib. I. pag.* 637. Burcardum vero, ducem itidem *tyrannice Sueuiam rexiſſe*, teſtetur ECKARD. *de caſib. monaſt. S. Galli cap.* 5.

§. XXXVIII.

Regum ac Imp. cauſſae in comitiis diſceptatae.

Vt tamen eumdem, quem antea, ordinem ſeruemus, primo in comitiis regni, tum ipſorum regum regiaeque familiae, tum et prin-

cipum

cipum regni, caussas tunc etiam disceptatas esse, comperio. Nam quod ad regum attinet caussas, notissimum est, imperii proceres anno erae Christianae 1066. Triburiae conuenientes, Henrico IIII. regi denunciasse, aut regno ei cedendum esse, aut familiaritati atque amicitiae archiepiscopi Bremensis renunciandum. LAMB. SCHAFNAB. *ad d. ann.* 1066. Tales disceptationes et in aliis comitiis factas, referunt annales. Vid. LAMB. SCHAFN. *ad ann.* 1072. BRVNO *hist. belli Sax. p.* 181. *sequ.* 184. 214. LAMB. SCHAFN. *contin. ad ann.* 1076. ALB. STAD. *ad ann.* 1235. quamquis fatendum sit, pleraque magis per tumultum, quam more maiorum, et iure legitimo, acta esse, maxime quum et Pontificibus maximis in turbido esset consilium, iique sibi in reges iurisdictionem, inaudito antea in Germania exemplo, * vindicarent.

* Praeclare demonstrauit CONRING. *de iudic. vet. reip. Germ.* §. 44. *sequ.* ante Henrici IIII. Imp. tempora non exstare exemplum regis vel principis, a pontifice Romano iudicati. Quamuis enim saepe antea periculum fecerint pontifices, an non et reges et principes suo fulmine terrere possint, idque satis perspicue demonstrari possit exemplis Ludouici Pii, Lotharii, Lotharingiae regis, Caroli Calui, aliorumque: DVPINIVS tamen *de antiqua ecclef. discipl. Diss. III. p.* 279. *sequ.* praeclare ostendit, et cautius illo tam violento remedio vsos esse praesules Romanos, et illud non ad reges regnis priuandos; sed ad ecclesiasticam tantum disciplinam, fuisse comparatum: fateturque tandem *p.* 280. *non posse excommunicationem impedire, quo minus rex regnum administret, regat, gubernet, moderetur, ac proinde non posse subditos a sacramento fidei absolui, vel regem regnandi iure priuari.*

§. XXXVIIII.

Mansit etiam consuetudo, maiores principum caussas, maxime vero, quae ad eorum prouincias, statum, dignitatemque pertinebant, in comitiis seu conciliis, ordinum tractandi, adeo, vt legitimo modo damnatus non videretur princeps, nisi caussa in principum, saltim eius prouinciae, vnde quis oriundus erat, (Lib. II. Part. III. §. 45.*) concilio cognita. Exstant eius rei exempla paene innumera, veluti ex saeculo X. Alberti, Francorum comitis, LVITPR. *Chron. Lib. I. cap.* 3. OTTO FRIS. *Chron. Lib. VI. cap.* 15. WITTICH. *Ann. Lib. I. p.* 635. MAR. SCOT. *ad ann.* 908. Erchangeri et Bertoldi, comitum, ECKARD. *de casib. S. Galli p.* 16. Euerardi, comitis, de quo diploma apud SAGITTAR. *antiqu. Magdeb.* §. 87. *sequ.* Vdonis et Adalberti, apud REGIN. CONTIN. *ann.* 967. ex saeculo XI. Ernesti ducis Alamanniae, apud WIPPON. *vit. Conradi p.* 436. Conradi Bauari, HERM. CONR. *ad ann.* 1053. Ottonis Bauari. LAMB. SCHAFNAB. *ad ann.* 1070. et Ecberti marchionis apud HEDAM. *de episc. Vltraiect. p.* 159. ex saeculo XII. Henricorum, Superbi, et Leonis, patris et filii, quamuis hunc conquestum nouerimus, se iniuste esse damnatum, quod, de Sueuia oriundus, non tamen conuictus sit in terra natiuitatis suae: ARNOLD. LVBEC. *chron. Slau.* II. 24. ex saeculo XIII. Ottonis Wittelsbachii. GODOFR. *monach. ad ann* 1208.

Itemque maiores principum caussae, tum ante interregnum,

§. XXXX.

Nec post fatale illud interregnum vsque ad finem saeculi XV. aliter sese

tum post illud.

fese rem habuisse, recte obseruauit CONRING. *ibid.* §. 48. idque probauit exemplis sententiarum sub Rudolpho Habsburgico aduersus Otocarum, Boemum, et Henricum, Bauarum, GER. A ROO *Austr. p.* 21. *sequ.* sub Adolfo Nassouio aduersus Meinardi Tirolensis filios, AVENTIN. *annal. Boior. Lib. VII. cap.* 12. §. 6. sub Henrico VII. aduersus Boemum, GOLDAST. *Reichs-Satz. Part. II. p.* 29. sub Carolo IIII. aduersus Bauarum pro Ruperto Palatino, GEWOLD. *de septemuir. cap.* 10. *p.* 765. sub Sigismundo, aduersus Ludouicum Bauarum, AVENTIN. *Annal. Boi. Lib. VII. cap.* 24. §. 44. *sequ.* nec non aduersus Fridicum, Austriae ducem, GER. A ROO *hist. Austr. Lib. IIII. p.* 138. et Ericum Saxonem Lauenburgicum, MVLLER. *Richstags-theatr. P. V. cap.* 13. §. 16. *sequ.* aliarumque similium, communi principum suffragio latarum. *

* Idem CONRING. *ibid.* §. 50. non modo exemplis rem probat, verum etiam publicis Imperatorum et imperii legibus. Huc pertinet celebris constitutio Fridrici II. anno 1235. in comitiis Moguntinis condita, apud GOLDAST. *Reichs-satz. Part. II. p.* 6. quam primum omnium vernacula lingua conscriptam esse existimat CONR. *de orig. iur. Germ. cap.* 27. vbi imperator *cap.* 24. statuit, *dass der hoffrichter sulle die leute richten, die ihm klagen von allen leuten, ohne fursten und andere hohe leute, vvo es gehet an ihrem leibe, oder an ihr recht, oder an ihr erbe, oder an ihre ehre, das vvollen vvir selber richten.* Quam sanctionem repeti obseruamus in constitutione Rudolphi I. Imp. ann. 1287. apud LEHMANN. *chron. Spir. Lib. V. cap.* 108. et Alberti I. apud GOLDAST. *Reichssatz. Part. II. p.* 2. Sed et ex Sigismundi et Fridrici V. aeuo plura huius generis adfert CONRING. simulque obseruat, §. 53. principes aliquos tum compromittere coepisse in arbitros, eamque esse originem *austregarum*, §. 54. eosdem saepe armis lites dirimere, quam eas ad Caesarum tribunal deferre, maluisse; denique §. 55. etiam pontifices Romanos sensim coepisse in principes iurisdictionem sibi adrogare, aliaque facta esse contra fas et aequum, quae non potuerint non fieri, collabascente paullatim Imperatorum auctoritate. Quamuis, quod ad *austregas* attinet, eas multo antiquiores, et iam inde a Carolingarum aetate repetendas esse, existimet VLR. OBRECHT. *prodr. rer. Alsat. cap.* 12. *p.* 193.

§. XXXXI.

Caussae minores in aula Caesarum tractatae. Ceterum ex Fridrici II. constitutione, quam in scholio antecedentis paragraphi laudauimus, patet, Imperatores et Reges etiam his temporibus exemplo Francorum regum in palatio suo habuisse iudicem aulicum *einen hoffrichter*, qui caussas minores, ad se delatas, dirimeret, quod etiam patet ex monimentis a beato fratre editis *in antiqu. Goslar. Lib. III. ad an.* 1289. *p.* 303. *sequ.* vbi protulit sententias, latas ab Hermanno von Bonsteten, *houerichter sines herrn, des Kunges Ru. von Rome*, et *Lib. IIII. ad ann.* 1418. *p.* 371. vbi similis exstat sententia Guntheri, Comitis Schwarzburgici et domini de Ranis, *des allerdurchlauchtigsten Fursten vnd Herrn, Herrn Sigmunds, Romischen Koniges, zu allen zeiten mehrers des Reichs vnd zu Hungarn etc. Konigs hoffrichters.* Add. DATT. *de pace publ. Lib. IIII. cap.* 1. §. 19. *p.* 705. Quum vero reuiuiscente paullatim sub Maximiliano I. et Carolo V. imperatorum auctoritate, et principum ordinumque caussae vel ad camerale, vel ad aulicum illud imperatorum iudicium deferri coepissent: natum inde est illustre iudicium aulicum, *der Reichs Hoffrath*, quem diuerso sensu et antiquissimum, et sub Carolo V. demum natum esse, recte dixeris. *

* Et

* Et ita quidem facile redibunt in gratiam, qui de origine tribunalis istius augustissimi dissentiunt. Sunt enim, quibus illud tam antiquum videtur, ac ipsum imperium: VFFENB. *de consil. aul. cap.* 1. *p.* 1. MAVRIT. *diss. de iud. aul.* §. 5. Aliis sub Maximiliano I. coepisse videtur: IREN. *ad Burgold. Part. II. disc.* 19. *p.* 46. aliis a Carolo V, vel Ferdinando I. institutum creditur. HIPP. A LAPIDE *de rat. stat. Part. II. cap.* 5. *sect.* 5. BOECLER. *notit. imp. Lib. XIII. cap.* 4. Nam vti ipsum iudicium est antiquissimum: ita a temporibus Maximiliani I. Caroli V. et Ferdinandi I. qui nouis legibus iudicium hoc firmauit, nouam veluti faciem induisse, certissimum est.

§. XXXXII.

Saepe post Carolingorum tempora etiam celebratur iudicium comitis palatini Rheni, cui in ipsos Imperatores et Reges iurisdictionem fuisse, legimus. Quamuis vero falsum sit, comitem palatinum vmquam capitis vel damnasse vel damnare potuisse Caesarem vel Regem, idque inter somnia referendum sit auctoris SPEC. SVEV. *cap.* 23. 147. *et* 156. et WEICHB. MAGD. *art.* 8. nec illud ius palatini admodum antiquum esse, inde colligat celeberrimus STRVV. *synt. iur publ. diss.* 24. §. 2. quod in Henrici IIII. Regis historia, totque inter eum et imperii ordines gliscentibus controuersiis, altum de hoc iudicio silentium sit: tamen ipsam illam iurisdictionem in caussis, quae inter regem et status vertebantur, non plane sine exemplo esse, * ex ipsis vetustis annalibus ostenderunt laudatus STRVV. *ibid.* §. 3. et PFEFFING. *Vitriar. illustr. Lib. III. tit.* 12. §. 14. *sequ. Tomo III. p.* 880. *sequ.* Iurisdictio comitis palatini Rheni.

* Et quis dubitet, quin illud fundamentum omnino habeat, cuius ipsae leges imperii, puta AVR. BVLLA *tit.* 5. §. 3. faciant mentionem, vbi consulendi omnino interpretes, et inprimis ill. a LVDEWIG. *in Commentar. Tomo I. p.* 588. *sequ.* Sane ne in dubium quidem hanc Palatini iurisdictionem vocat Carolus IIII. sed id tantum cauet, vt iudicium non alibi, quam in palatio Imperatoris, adeoque eo praesente instituatur. Enimuero vti iam olim rariora eius rei exempla fuerunt: ita multo magis de hodierno eius vsu potest dubitari. Vid. STRVV. *ibid.* §. 4.

§. XXXXIII.

Maxima tum mutatio circa comitum iudicia facta est, ceu recte obseruauit CONRING. *de iud. reip. Germ.* §. 83. Nam et multi comitatus vni committi, et plures episcopis et abbatibus dari coeperunt: plurimi ducibus et principibus cesserunt. Quin quum per incuriam aulae regiae inter bella Germanica quidam comitatus nemini conferrentur, omnem illam vim ac potestatem alicubi plebem occupasse, exemplo Frisiae demonstrat: cui et Dithmarsiae et multorum Heluetiae tractuum exempla possent addi, nisi id in vulgus notum esset. Denique plerosque, immo omnes paene comitatus, factos paullatim hereditarios, vel saltim feudi iure possessoribus concessos esse, tam notum est, quam, quod notissimum. Circa comitatus maxima contigit hoc tempore mutatio.

§. XXXXIIII.

Equidem et hac epocha aliquamdiu durabat comitum iurisdictio. Quamuis enim comitatus plerique in patrimonium cederent principum et comitum potentiorum: Imperatores tamen et Reges iis saepe adiungebant Nec tamen plane comites ius dicere desierunt.

gebant alios, eodem titulo fulgentes, * qui res fiscales curarent, et de illis, nec non de criminibus, ius dicerent, ceu probarunt GVILLIMANN. *Habsp. Lib. IIII. cap.* 2. et ex eo, variisque diplomatibus et annalium testimoniis HERT. *de consult. leg. et iudic. in spec. Imp. Rom. Germ. rebuspubl.* §. 19. Quin eo vel maxime pertinent comites palatini, in prouinciis et ducatibus primariis Germanis superstites, veluti comites palatini ad Mosellam, BROWER. *annal. Treu. Lib. XV. ad ann.* 1142. *et Lib. XI. ad ann.* 1111. Sueuiae vel Tubingenses, Boioariae, Saxoniae, immo et Lusatiae apud LAMB. SCHAFEN. *ad ann.* 1062. ad quorum officium vel id maxime inter cetera pertinuit, vt quoties de rebus fiscalibus imperatorum in illa prouincia lis oriretur, de ea ipsi ius dicerent, ceu ex CONRING. *censur. dipl. Lindau. cap.* 11. docet idem HERT. *ibid. p.* 442. *sequ.*

* At postremis temporibus raro illi comitis vocabulo locus fuit, sed si in aliqua prouincia Imperatori bona fiscalia essent, iisque aliquis iuris dicundi caussa praeficiendus esse videretur: illis ADVOCATORVM vel prouincialium, vel terrae alicuius, nomen datum. Et notae satis sunt aduocatia prouincialis Alsatiae, (*die Landvoigtey in Elsass*,) aduocatia Plauiensis, vnde hodienum tractui vicino haeret nomen *des Voigtlandes*. Alios terrae aduocatos in MONIM. WVRTENB. et quidem in *diplom. monast. Phulling. n.* 5. *et* 7. *et Bebenhus. n.* 19. obseruauit HERT. *ibid. p.* 443. *sequ.* Alicubi et comitum, et aduocatorum illud nomen euiluit, at mansere tamen iudicia, quae et hodie in terris principum et ordinum imperii exercentur Imperatorum nomine, vocanturque *Kayserliche Landgerichte*; qualia nostris temporibus non solum in Sueuia et Franconia, sed et in aliis Germaniae prouinciis supersunt. Eo enim referri potest iudicium prouinciale Mittelhusanum in Thuringia, de quo FR. CHRIST. PAVLLINI *annal. Isenac.* p. 206. Hennebergicum Walungense, de quo SPANGENB. *chron. Henneb. p.* 179. et alia.

§. XXXXV.

Principes et comites iam per alios iudicabant.

Hoc ergo rerum statu iurisdictionem rarius ἀμέσως penes comites fuisse, sed principes comitesque in terris suis per alios ius reddidisse, facile est ad existimandum, idque tum potissimum vbique contigit, quum principes bona illa fiscalia regum vel regni pleraque, immo et iudicia ista prouincialia, quae passim per Germaniam superfuisse diximus, paullatim in beneficium accepissent, aliisque titulis sibi illa peperissent. *

* Sic imperialem aduocatiam in Alsatia, antequam genti augustae Austriacae hereditaria fieret, nonnisi personale officium fuisse, quo functi sint anno 1276. Conradus Wernherus de Hadistadt, anno 1281. Otto de Ochsenstein; collegam anno 1292. nactus comitem Cattimeliboccensem; anno 1297. Theobaldus, comes Phiretarum, anno 1299. Ioannes de Liechtenberg, anno 1308. Sibotho de Liechtenberg, ex genuinis ac coaevis monimentis demonstrauit VLR. OBRECHTVS *rer. Alsat. prodrom. cap.* 13. *p.* 318. *sequ.* Ita et *Voigtlandiae* aduocatiam initio munus personale fuisse, antequam cederet Meranis, probabile est. Hi vero hoc potiti munere, commodissimam deinde nacti sunt occasionem, variis oppidis, castris ac villis, et tantum non tota prouincia potiundi, ceu recte suspicatus est V. C. IO. DAV. KOELER. *diss. de ducibus Meran. et comit. de Andechs* §. 20.

§. XXXXVI.

§. XXXXVI.

Immo potius ab illo tempore singuli pagi, qui olim singulos comites habuerant, in multas particulas ac minores tractus distrahi coeperunt: quorum alios principes et comites per praefectos, (*ambt-leute* vel *schösser*, *voigte*, *pfleger*,) administrarunt, alios vrbibus, nobilibusque, vel equestribus familiis, vel in feudum dederunt, * vel simpliciter, siue venditione, siue pignoris iure, siue aliis titulis, in alios transtulerunt: quamuis id iure fieri negarit SPECVLATOR SAXO *Lib. III. art.* 64. Vid. CONR. *ibid.* §. 85.

Hinc variae natae sunt in vno eodemque pago iurisdictiones.

* Et quidem in SPEC. SVEV. *cap.* 107. et IVR. FEVD. ALAM. *cap.* 134. monemur, *die dritte band moge nicht mehr furbass gericht leiben, dass es den leuten an ihr leib, oder an ihr blutvergiessen gieng.* Cuius loci is sensus est, imperatorem vel regem primum iurisdictionem in feudum dare principi, hunc alii, qui eius vice iudicet: vltra vero subinfeudari iurisdictionem non posse, quamuis alioquin feudum aliud ad septimam manum possit peruenire. Hinc eodem capite 107. ait speculator: *Die erste band des gerichts, das ist der Konig, die ander band des gerichts, ist, der der Konig leyhet, die dritte band ist, die es einem andern darleyhet. -- Wer es daruber thut, der thut vvieder GOtt, vnd vvird an allem dem schuldig, uber den da die vierte band richtet.* At in SPECVLO SAX. *Lib. III. art.* 53. etiam ad quartam manum peruenire posse iudicia, docet REPKOVIVS, idque adfirmari etiam ammaduertimus in IVRE FEVD. SAX. *cap.* 72. Quod dissidium facile et sine pulueris iactu componi posse, existimat celeberrimus THOMAS. *diss. de iurisdict. et magistr. differ. secundum mor. Germ.* §. 62. si distinguamus terras imperii *mediatas*, in quibus ad quartam, et *immediatas*, in quibus ad tertiam tantum manum peruenire potuerit iurisdictionis feudum. Sed quum non extra omnem dubitationis aleam posita sit haec distinctio, quam et ipse THOMAS. postea dimisit: non abs re dixeris, diuersos hac in re, vti et in aliis, fuisse Saxonum et Sueuorum mores.

§. XXXXVII.

Iudices vero isti, quos principes comitesque praeficiebant certis prouinciarum suarum tractibus, vel *ordinarii* erant, vel *vicarii*. Iudices ordinarii ius dicebant de caussis maioribus, veluti de criminibus, ob quae quis de capite vel membris periclitabatur, et de actionibus in rem, eorumque vnus tantum eidem tractui praeerat, qui ter quotannis conuentum iuris dicundi caussa indicebat, ad quem omnes prouinciales, tum equestrium, tum plebeiorum natalium, confluebant. THOMAS. *ibid.* §. 71. *sequ.* Vicarius iudex non modo in consilio erat iudici ordinario, ius dicenti, sed et solus minoris momenti lites, tum ciuiles, tum criminales, dirimebat, eorumque plures esse poterant, singulis minoribus tractibus praefecti. THOMAS. *ibid.* §. 75. *sequ.* Immo et fuisse vicarios iudices ab ipsis prouincialibus electos in caussis repentinis, quos gograuios vocabant, IDEM. *ibid.* §. 78. et ante eum CONRING. §. 86. obseruarunt. *

Quibus praeerant iudices tum ordinarii, tum vicarii.

* Quemadmodum ergo vicarios ordinarios, qui plerumque *schultzen* vocabantur, ab ipso iudice ordinario eligebantur, vel iurisdictionem ab eo in feudum accipiebant: ita qui ab ipso populo vel a prouincialibus eligebantur, *gograuii* adpellabantur. Fundus huic rei est locus SPECVLATORIS SAX. *Lib. I. art.* 55. 56. 57. quem fusius explicat CONRING. *ibid.* §. 86. vbi etiam obseruat, ab hoc *gograuio*, quorum fere momentanea et vno actu iudiciali, (puta *einem gericht uber handhaffte that*) circumscripta erat iurisdictio, discernendum esse alterius generis, at eiusdem nominis *gograuium*,

uium, qui et de aliis criminibus iudicabat, de quo SPEC. SAX. *Lib. I. art.* 58. *Welchen gografen man aber kiese zu* LANGER ZEIT, *den soll der graff oder marggraff belehnen, vor dem thut man auch leute in die acht, das ist, in die vng. Der mag auch wol vbernachtig vngericht richten. Wann der graff kommt zu des gografen ding, so soll des gografen gericht niedergeleget seyn.* Similes his posterioribus fuerunt *die bauermeistere*, de quibus IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 2. 13. 68. *Lib. II. art.* 13. *Lib. III. art.* 64.

§. XXXXVIII.

Omnes hi debebant esse ingenui.

Hi omnes et ipsi ingenuis natalibus censebantur, et scabinos habebant in consilio, non nisi ingenuos, (*schoppenbar-freye.*) Ita enim IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 61. *Es mag niemand schuldheis geseyn, er sei dann* FREY, *vnd von dem lande gebohren, da das schulteißthum oder gericht innen lieget.* Et *Lib. II. art.* 12. *Schoppenbar-freye leute mogen vrtheil finden vber einen ieglichen mann. Es mag aber vber sie kein mann vrtheil finden, das ihnen an ihren leib, oder an ihre ehre gehet, oder an ihr erbe, noch vrtheil schelten, er sey ihnen dann ebenburtig.* Numerus scabinorum, quemadmodum iam sub Francis, ita et hoc temporis tractu, erat varius. Pauciores tribus esse non posse, olim judicarunt scabini Magdeburgenses apud GRYPHIANDR. *de Weichb. Sax. cap.* 64. *n.* 9. Plerumque tamen 11. erant, ceu patet ex IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 2. WEICHB. *art.* 10. *et* 16.*

* Non duodecim, vti ex his locis colligit BRVMMER. *de scabin. cap.* 6. §. 3. Nam duodecimus tum demum erat sculcetus, si ipse comes vel burgrauius iudicaret. Hinc mira philosophia glossatoris ad WEICHB. *art.* 16. *Vnd dass da elff schoppen seyn, die bedeuten die elff junger vnsers herrn, vnd als der zwolffte, (das war Iudas) verworffen war, da blieb Christus ihr vnd vnser haupt. Vnd der richter ist der zwolffte.* Aeque frigida sunt, quae sequuntur, quibus nos iam, quum tam multa magis necessaria dicenda supersint, non immoramur.

§. XXXXVIIII.

Quale officium des fronbothen?

In singulis iudiciis etiam officio exsequutoris litium fungebatur *der* FRONBOTE, vel *der* BVTTEL, vti vocatur in SPEC. SAX. *Lib. III. art.* 61. SVEV. *cap.* 26. qui, quamuis supplicia sumeret ab hominibus, teste glossa IVR. SAX. *Lib. III. art.* 55. IVR. SVEV. *cap.* 36. tantum tamen abest, vt ex faece hominum fuerit, aut leuis notae macula laborarit, vt liberum esse oportuerit, et honorabile fuerit eius munus, et cum aliqua iurisdictione coniunctum. IVS SVEV. *cap.* 36. WEICH. *art.* 8. Sane eius testimonium pro duorum testimonio habebatur, et mulcta ei soluenda, (*die busse*) duplo maior erat, quam plebeiorum. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 8. IVS PROV. SVEV. *cap.* 259. Ius dicebat de iis, qui aliquem verberarant, vel pulsauerant, ita vt tumesceret membrum, vel sanguis sine vulnere, (quod vocabant *eine fleischwunde*,) eliceretur. IBID. *art.* 68. immo et de aliis criminibus, *vom vngericht*, WEICHB. *art.* 8. *et* 27. Insidebat puluinari, quod honorificum apud Germanos erat, nec tamen gladiatus incedebat, quippe sacrosanctus, satisque tutus ipsius populi praesidio,* qui, audito eius clamore, et quiritatione statim concurrere tenebatur ad opem illi ferendam. Quin iure gaudebat decimum quemque, capitalem

lem ſententiam paſſum, dimittendi, *alſo daſs er ihn zu loſen geben mochte*. IBID. *Lib. III.* §. 56. SVEV. *cap.* 26. *ſequ.*

* Hoc et nomen innuit. *Fron* enim veteribus erat ſanctus, adeoque *fronbothe* nuncius vel viator ſacroſanctus. Vnde errare dixeris gloſſatorem ad IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 53. ſcribentem: *Der fronbotte, das iſt der buttel. Vnd heiſt der frone aus zweyerley ſachen: zum erſten, daſs er zu ſeinem amte ſchweren muſs, zum andern, daſs er GOttes racher iſt.* Rectius auctor gloſſae ad *Lib. III. art.* 55. vbi ipſe iudex, *der belehnte richter* vocatur *der rechte frohnboth*, ait: *Ein frohnboth heiſſt ſo viel, als ein heiliger bothe oder knecht GOttes, und er mag die leut ohne ſund wol peinigen und toedten ... Siehe nun wol zu, du fronbot, oder ſcharfrichter, daſs du den namen mit der that habeſt, und ſey gerecht, da du wirſt heilig genannt.* Hoc ſenſu OTFRIDVS Euang. I. 5. 66. Gabrielem Angelum vocat *boten frone* nuncium ſacrum, ipſumque Chriſtum *gotes frono*, ſanctum Dei III, 16, 6. Ceterum durauit antiquum vocabulum in iudicio regio ciuitatis Halenſis, vbi et hodie adparitor vocatur *der gerichts-frohn*.

§. L.

At qualia iudicia in vrbibus et municipiis, quorum hoc temporis tractu quam plurima condi per Germaniam coepiſſe, diximus? Et municipes ſuberant iudici ordinario, eiuſue vicario, ſculteto, qui a SPECVLATORE SVEVO vocari ſolet *der burggraff.* THOMAS. *de iuriſd. et magiſtr. diff.* §. 82. Id enim perſpicue probari poteſt ex IVR. PROV. SVEV. *cap.* 115. §. 1. *et* 2. *et cap.* 390. §. 2. *et* 3. Ita et reges in vrbes imperiales mittebant aduocatos, *die reichs-voigte*, quorum vicarii erant *die reichs-ſchultheiſſen*, de quibus plura HEIDERVS. Conſules ac decuriones non niſi de rebus ad decus ciuitatum pertinentibus ex delegatione iudicis ordinarii iudicaſſe, veluti de ponderibus et menſuris, de obſoniis in foro venalibus, denique de carnibus, pane, ſimilibuſque rebus, patet ex WEICHB. *art.* 19. 42. *ſequ.*

Qualia iudicia municipalia?

§. LI.

Enimuero a ſaeculo XIII. gliſcentibus vrbium opibus, prouinciarum ac territoriorum domini ſaepe omnem iuriſdictionem in municipes, tum criminalem, tum ciuilem ipſis decurionum collegiis vel in feudum dederunt, vel vendiderunt, vel per modum priuilegii conceſſerunt, immo et aliquando locarunt, vel oppignorarunt. Vid. HERT. *de conſult. leg. et iudic. in ſpecial. imp. Rom.* §. 22. Quod multo magis factum ab imperatoribus et regibus, qui pleraſque aduocarias vrbium imperialium decurionibus permiſerunt, LEHM. *chron. Spir. Lib. IIII. cap.* 32. *hiſtoriſch. bericht von den reichs-voigt. p.* 13. 91. *et apolog. cap.* 2. *p.* 154.* ita, vt et iis locis, vbi et hodie praeſides horum iudiciorum vocantur *reichs-ſchultheiſen*, ii tamen non ab imperatoribus eligantur. Conf. KNIPSCH. *de ciuit. imp. Lib. II. cap.* 6. HEIDER. *apolog. von. reichs-voigt. cap.* 2. *p.* 156.

Iuriſdictio patrimonialis his ſaeculis ſaepe conceſſa decurionibus.

* Neque tamen omnes iſtae aduocatiae vel praefecturae ceſſerunt collegiis decurionum, vel ciuitatibus, ſed quaedam etiam vicinis epiſcopis, ducibus, comitibus in feudum datae ſunt. Ita aduocatia Colonienſis, olim comitibus Arensbergenſibus data, ab his poſtea ceſſa eſt archiepiſcopis Colonienſibus. KYRIAND. *annal. Treu. Part. XIII. p.* 106. Officium ſculteti Ratisponenſis eſt feudum ducis Bauariae. HVND. *metrop. Salisb. Tom. I. p.* 220.

De officio aduocatiae et sculdasiae in ciuitate Northusana videndus WEHN. *obseru. pract. sub voigtey p.* 645. cum eoque iungenda scripta, quae nostra memoria, cessis domui Regiae Prussicae his iuribus, publico nomine prodierunt. Alia huius generis exempla complura collegit auctor *Apol. von reichs-voigt. praelim.* 4. *et* 8.

§. LII.

Iurisdictio patrimonialis nobilium. Multo minus dubitandum est, quin eodem tempore plerique praediorum possessores iurisdictionem patrimonialem exercuerint in subditos suos, eorumque praedia. Quin quum ea iam inde ab antiquissimis vsque temporibus nihil aliud esset, quam potestas herilis Germanorum in seruos eorumque praedia: illa a saeculo XIII. magnopere amplificata est, principibus plures iurisdictiones sibi tum ruri, tum in oppidis, competentes, vasallis suis vendentibus. Exemplum est apud AULZREIT. *Part. I. Lib.* 25. §. 26.

§. LIII.

Missorum regiorum an adhuc quaedam iurisdictio fuerit? Quae supra de missis regum eorumque placitis obseruauimus, ea hoc aeuo plane in desuetudinem abierant, nisi quod adhuc sub Ottonibus *missorum regiorum* mentionem fieri obseruat CONRING. *de iudic. Germ.* §. 88. quemadmodum et *missorum discurrentium* adhuc anno 1200. vestigium in diplomate Henrici II. Imp. Osnabrugensi notauit SAGITT. *de ducat. Thuring. Lib. IIII. cap.* 17. §. 3. Neque tamen in eo suffragari possumus laudatissimo CONRINGIO, quod eorum potestatem in duces potissimum translatam fuisse, suspicatur.

§. LIIII.

Adpellationum quae fuerit ratio? Illud monere vix operae pretium fuerit, saepe et remediis suspensiuis, et deuolutiuis, vsos esse maiores. De prioribus infra commodior erit dicendi locus. De posterioribus notandum, grauatos a sculteto prouocasse ad iudicem ordinarium, et ab hoc vel ad principem, vel ad Regem. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. WEICHB. *art.* 17. IVS PROV. SVEV. *cap.* 79. 107. §. 1. *et* 3. Immo et id inualuerat, vt vrbes, quae aliarum vrbium iura municipalia adoptarant, in caussis dubiis ad has vrbes, veluti metropoles, eorumque scabinatus, prouocarent, vel saltim missis ad haec tribunalia actis, quaererent, standumne priori sententiae an ea mutanda videretur *).

* Licebit hic repetere, quas de his adpellationibus collegimus *in hist. iur. ciu. Lib. II. cap.* 2. §. 85. * Auctor est IO. SIBRANDVS *in iur. publ. vrb. Lubec. Part. I. sect.* 10. *n.* 7. Rostochienses, quia iure Lubecensium vtebantur, adpellationes a tribunali suo detulisse ad Lubecense. IDEM *n.* 15. *p.* 102. profert priuilegium, Stralsundensibus datum anno 1314. quo permittitur ciuibus, *dass sie mogen vnd sollen ihre beschuldete vrtheil fuhren vnd holen zu Lubeck.* De adpellationibus Neomagensium ad scabinatum Aquisgranentium deuolutis, similique more apud Belgas passim obuio quaedam haud vulgaria differit IO. IS. PONTANVS *hist. Gelr. Lib. I. p.* 59. quibus ex CONRING. *orig. iur. Germ. cap.* 28. *p.* 169. addimus, alias quoque vrbes Rhenanas partim Aquisgranum, partim Coloniam, prouocare solere in caussis dubiis. Conf. NOPP. *chron. Aquisgr. Lib. III. n.* 22. *p.* 61. *et n.* 23. *p.* 63. Helmstadienses *a tribunali* magistratus sui *ad consistorium Magdeburgense*, id est, ad scabinatum illius vrbis, solitos esse adpellare, refert Magnus, dux Brunsuicens. et Ioannes, abbas Werthinensis, in diplomatibus ann. 1358. apud IO. ANDR. SCHMIED. *de Helmstad. per frawenrad dam adflictio p.* 6. 8. Vnde non mirum,

ipsos,

ipsos Polonos, Boemos, et Silesios Halam, vel Magdeburgum, a quibus ius acceperant, prouocasse. WEICHBILD. *art.* 10. §. 1. quem morem in Polonia sustulisse anno 1356. Casimirum II. Regem, tradit MECHOV. *Chron. Polon. Lib. IIII. cap.* 19. *p.* 227.

§. LV.

Origo curiarum prouincialium.

Enimuero ne externae illae vrbes a ciuibus suis, tamquam oracula, consulerentur in caussis dubiis: principes exemplo regum et imperatorum paullatim in aulis suis vel vrbibus primariis instituerunt curias prouinciales supremas, *hoff-gerichte*, vel *landgerichte*, * quas adpellarent ciues, qui sibi grauamen a iudicibus illatum esse, existimarent. De earum antiquitate agens HERT. *de consult. leg. et iudic. in special. imp. Rom. Germ. rebuspubl.* §. 21. ex CVSPINIANI *Austr. p.* 47. adducit chartam Ludouici et Fridrici archiducum, ann. 1325. scriptam, qua statuitur: *Wir sollen auch beyde aynen hoffrichter, vnd aynen hoff-schreiber haben, dass vnser gericht vngetheilet sey.* Ita idem obseruat, iudicium prouinciale Palatinum institutum esse anno 1462. TRITH. *chron. Spanheim. ad dict. ann.* Vltraiectinum anno 1474. REV. *hist. Dauentr. Lib. II. ad dict. ann.* At antiquissimum est iudicium prouinciale Hermanni Landgrauii Thuringiae, cuius iam anno 1199. mentio fit apud PERTVCH. *chron. Part. II. p.* 52.

* His curiis praeerat *der hoff-vel land-richter, land-drost, land-voigt, lands-hauptman:* cui addebatur, qui ab actis esset, scriba vel notarius, *der hoff-gerichts-schreiber* vel postea *protonotarius.* Quum vero ita ferrent Germanorum mores, vt non vni et soli esset iuris dicundi potestas, sed ei certi adsessores essent in consilio: horum quae antiquitus fuerit ratio, eleganter ostendit SECKENDORFF. *hist. Lutheran. Lib. I.* §. 75. *addit. lit. g. p.* 117. *Notari hac occasione meretur mos priscus illius temporis. Principes nempe in aulis praeter cancellarium, quem indioribus saeculis primarium scribam,* den obersten schreiber, *vocabant, et plerumque ex clero, qui tunc solus fere litteris imbutus erat, sumebant, non nisi viros ex nobilitate prouinciae, et praefectos arcium et oppidorum in negotiis publicis consiliarios habuisse, ad quae hodie adhiberi solent, qui intimi, (die geheimen rathe) nominantur. Caussas vero et litigia partium in iudiciis, certo tempore constitutis, accitis ex academiis et oppidis iurisperitis tractasse. Iudicia illa vocabantur aulica, (hoff-gerichte,) in loco, vbi princeps erat, et quando opus esset, indicta. Posteaquam vero tempore Caroli V. non solum caussae religionis, sed et aliae politiae et publicae, in dies magis arduae et difficiles principibus occurrerent: iurisperiti iam non in academiis solum frequentius consuli coeperunt, sed et in aulas ad deliberationes aduocati, constantem ibi sedem et domicilium constituerunt. Ita factum est, vt praesentibus legum et forensium caussarum peritis, siue consiliariis litteratis, (gelehrte rathe,) quotidie cognosci de litibus priuatorum summarie quidem ab initio coeperit, aut amica conuentione finita sint iurgia, remissis ad iudicia illa ordinaria, certis anni temporibus locisque constanter habenda, caussis intricatioribus. Et haec est vera iudiciorum siue curiarum, quae hodie in prouinciis Saxonicis singulis trimestribus ex nobilitate et ICtis conuenientibus adsessoribus, et praeposito primario ex equestri ordine viro, quem iudicem aulicum, (den hoffrichter) vocant, celebrantur.*

§. LVI.

Iudicia sacra horum temporum.

De iudiciis sacris nihil est quod addamus iis, quae accuratissime disseruit CONRING. *de iudic. Germ.* vbi §. 66. obseruat, caussas episcoporum dubias, non sine iniuria metropolitanorum fere omnes ad se traxisse pontifices, §. 67. *sequ.* eosdemque nihil reliqui fecisse ab

 Hi-

Hildebrandi temporibus, vt omnem imp. et regum Germaniae iurisdictionem circa personas et res sacras euerterent, idque consilium, obnitentibus licet pro virili imperatoribus, iis feliciter cessisse: §. 70. iudicia episcoporum, inuecto saeculo XIII. in Germaniam iure canonico et pontificio, * facta esse taediosissima, et tum potissimum coepisse imperitam illam ac perplexam procedendi rationem, de qua iam saeculo XIII. conquestus sit ABBAS VRSPERGENSIS: §. 71. *sequ.* episcopos et abbates Germaniae pleraque iura superioritatis territorialis paullatim impetrasse, bona ecclesiastica ab oneribus publicis immunia reddidisse, aduocatorum quoque iurisdictionem cessasse, cognitionem porro de bonis ecclesiasticis sibi Pontificem vindicasse: monasteria plura subtracta episcopis, ab eorumque iurisdictione exemta, soli pontifici subesse coepisse, denique in ipsos laicos tam multum sibi adrogasse episcopos, vt innumerae auditae sint vsque ad felicem illam temporum reparationem querelae, innumera grauamina.

* Id quando in his terris factum sit, accurate notaunt auctor. CHRON. MONT. SER. *ad ann.* 1205. *p.* 79. vbi haec legimus: *At hoc primum fratres Sereni Montis appellationis et verborum decretalium, eis hactenus ignotorum, vsum habere coeperunt, quarum rerum praefati Tiderici electores, a Bertoldo, Merseburgensi praeposito, et Henrico, eius fratre, informati, auctores fuerunt.* Egregium sane, notatuque dignissimum de vsu huius iuris, in hoc terrarum tractu inualescente, testimonium.

§. LVII.

Iudicia Westphalica. Nihil adhuc diximus de IVDICIIS WESTPHALICIS, quae nihil aliud erant, quam iudicia criminalia, primum ab Imperatoribus instituta inter Rhenum et Visurgim, et eorum nomine habita, postea principibus in feudum data, qui vocabantur *Stuhl-herrn*. Hi tribunali praeficiebant iudicem, vocatum *den freygraffen*, qui sibi legebat adsessores, *freyschoepfen* vel *stuhlgenossen*. Hi diro adacti sacramento, animaduertebant in facinorosos homines, omniaque tam clam habebant, vt iudicia illa inde nomen sortirentur, *der heimlichen gerichte*. Enimuero quum et de caussis ciuilibus cognoscere auderent hi iudices, et iurisdictionem per magnam Germaniae partem sibi adrogarent, et ipsa iudicandi ratione ac saeuitia terribiles omnibus essent: non mirum profecto est, plerosque imperii ordines primum exemtionem impetrasse, ac ipsos demum reges ita reformasse haec tribunalia, vt, quamuis plane abolita dici nequeant, vix tamen ibi ita hodie vrnam moueat Minos, vt terrori sint exteris. Sed occuparunt hanc materiam CRYPHIANDER, FREHERVS, CONRINGIVS, MENKENIVS; HERTIVS, DATTIVS, THOMASIVS, post quos Homeros Illiada nos scribere nolumus.

§. LVIII.

Axiomata de veterum Germ. iurisdictione. Ex his vero, quae ex antiquitatibus Germanicis collegimus, discimus I. in Germania semper iudices vel ordinarios, vel vicarios fuisse. II. Iurisdictionem criminalem a ciuili non fuisse seiunctam, antequam istud ius in vrbes et dynastas transferretur. III. Iurisdictionem patrimonialem nobilibus competentem vere esse potestatem veterum herilem, iurisdictionis σχῆμα paullatim indutam. IIII. Alia fuisse iudicia

dicia ſtata et ordinaria, ob quae conuentus iuridici certis temporibus indicebantur, * alia extraordinaria et repentina, quae priuatim et veluti clauſis cancellis, quoties opus erat, habebantur. V. Omnibus iudiciis praefuiſſe iudicem, eique adſediſſe ſcabinos, et adparuiſſe viatorem, quem ſupra diximus *den fronbothen*.

* Talium *placitorum*, (ita enim medio aeuo vocabant conuentus, iuris dicundi cauſſa indictos,) saepiuſcule mentio fit in diplomatibus. Charta Adelheidis, abbatiſſae Gandersheimenſis ann. 1188. apud LEVKFELD. *antiqu. Gandersh. cap.* 25. §. 17. *p.* 305. *Gandersheimenſis Aduocatus ſiue principalis, ſiue quislibet alius, vice principalis inſtitutus, feminarum oppreſſiones, rapinas, furta, latrocinia, ſeditiones ſanguinarias, et cauſſas pecuniarias, coram ipſo legitime propoſitas, ſententionaliter iudicabit.* TRIBVS VICIBVS *in anno* SOLEMNI IVDICIO *praeſidebit, in quo tam litones, quam forenſes homines comparebunt.* Similium conuentuum, ter quotannis indicendorum, mentio fit apud MIRAEVM *donat. piar. cap.* 53. *p.* 62. et alibi paſſim. Contra ea exſtat diploma apud ill. DE LVDEWIG. *reliquiar. MSSC. Tom. I. p.* 6. vbi Rodolfus, Epiſc. Halberſtadienſis, aduocatiae coenobii Eilwardesdorffienſis iura anno 1147. deſcribens: *De ſingulis*, inquit, *manſis duo maltra frumenti et vnum anſerem aduocatus ſingulis annis recipiat; hac conditione, vt in* LEGITIMIS PLACITIS *ſuis homines ſub obſeruatione quadam, vulgo dicta* VARA, *adſtare, et reſpondere non cogat.* Vnde patet, huiuſmodi placitum dictum eſſe *vara*, procul dubio a Germanico *fahr* vel *gefahr*, quia hic vnicuique licebat, alterius delicta deferre, adeoque ſuo quiſque periculo ſeſe ſiſtebat huic iudicio. Obtinebant tamen et alia nomina. Sic in Marchia vetere notum eſt huiuſmodi placitum, quod vocatur *lotding* et *botding*; et in vicina Marchia media, *das voigt-geding*. *Ding* enim vel *geding* eſt iudicium, *laten* et *bieten* vel *gebieten*, eſt citare et indicere, adeoque *lotding* et *botding* nihil aliud eſt quam placitum indictum, *ein gebotending; voigt-geding*, conuentus iuridicus ab aduocato indictus.

§. LVIIII.

Quum ergo in Germania iudices ſemper fuerint vel ordinarii vel vicarii: (§. 58. 1.) facile reddi poterit ratio (1. cur non modo in plerisque praefecturis paullo amplioribus praefecto primario adiungantur vicarii, veluti *land-richter*, *ambts-verwalter*, *voigte*, *gograffen*, *amts-ſchulzen*, verum etiam (2. in maioribus tribunalibus noti ſint *vicecancellarii*, *vicarii praeſides vice-praeſidenten*, *vice-hoffrichter*. Quin (3. eiuſdem originis alicubi in vrbibus ſint proconſules, et (4. in eccleſiaſticis iudiciis ſubaduocati, quorum ſaepiſſime et in veteribus monimentis fit mentio. * An et hodie iudices vicarii?

* Quemadmodum enim ſaepe principes, quorum maiores eccleſias vel monaſteria condiderant, ſibi ius aduocatiae reſeruauerant, (cuius rei exemplum exſtat in KETNERI *diplom. Quedlinb. p.* 7.) vel eam alii potentiori obtulerant, quale quid factum animaduertimus a Ludolpho, Saxonum duce, conditore parthenonis Ganderſheimenſis, eiuſque filiis apud LEVKF. *antiqu. Gandersh. cap.* 14. *p.* 93. vel denique id ius acceperant ſiue ab imperatore vel rege, vti apud MIR. *donat. piar. cap.* 32. ſiue ab ipſa eccleſia, veluti apud KETNER. *ibid. p.* 167. *ſequ.* ita hi omnes alium ſubſtituere ſolebant minoris dignitatis virum, qui pro iſto officio fungeretur, vocatum ideo SVBADVOCATVM, vel eorum plures, niſi id diſerte eſſet prohibitum, vti factum apud MIR. *don. piar. d. cap.* 32. De iis plura dixit PAVLLINI *de aduoc. monaſt.* §. 14. *p.* 546.

§. LX.

Vti vero (5. in eo magna eſt iuris antiqui et noui differentia, quod Quae hodie ratio mut[illegible]

datae iurisdictionis? quod olim iudices vicarii ab ordinariis constituerentur: hodie plerumque ab ipso principe adiungantur ordinariis: ita (6. veteris tamen moris vestigium superest in *iustitiariis*, quos vocant. Nam notum est, et praefectos et nobiles, qui iurisdictione patrimoniali gaudent, iurisdictionem suam mandare solere iurisperito cuidam, qui vocatur *der gerichtshalter*, in eumque (7. praeter regulam iuris Romani *L. 1. pr. D. de offic. eius cui mand. iurisd.* transferre non modo ciuilem, sed et criminalem iurisdictionem, immo et eam, quae extraordinaria dicebatur, nec nisi ex speciali lege cuiquam competebat, siquidem haec omnia mandantibus iurisdictionem in Germania non ex speciali lege, sed vel ratione officii, vel iure hereditario competunt, LAVTERB. *exerc. for. V.* §. 1. MEV. *ad ius Lubec. Part. II. tit. 1. art. 15. n. 16.*

§. LXI.

Iurisdictio criminalis et ciuilis plerumque coniuncta. Quemadmodum porro iurisdictio criminalis a ciuili vetere iure Germanico non erat seiuncta: (§. 58. 2.) ita (8. et hodie plerumque eadem est ratio, nec dubitatur, quin regulariter vtraque iurisdictio coniuncta sit, si quis nomine et vice principis ius dicit, nisi hic illam sibi reseruarit, aut eam a regimine, vel certo collegio criminali exerceri velit: id quod tamen postremi demum aeui institutum videtur. Sic sane nemo ignorat, praefectos fere omnes principum etiam in facinorosos, iure animaduertere, tamquam iudices ordinarios. At non desunt tamen leges, quae reos, a praefectis primum auditos, ad iudicia, vel curias supremas remitti iubent, quale quid in Frisia fieri animaduertimus. Ex eodem porro (9. reddes rationem, cur ciuilis etiam vel inferior iurisdictio, alicui concessa, vbique fere coniuncta sit cum potestate coercendi crimina leuiora, ob quae poena capitalis vel corporis afflictiua non solet irrogari.* MYLER. *de princip. imperii cap.* 48. §. 7.

* Sic in Saxonia electorali in CONST. PROV. *ann.* 1555. *tit. wat zu ober-nieder-und erbgericht geboret*, definitur: *Was kleinere und geringere falle seynd, die sollen in die erbgerichte geruget, und durch dieselben gestrafft und gerechtfertiget werden, als nemlich haarrauffen, schlage, die nicht todtlich sind, noch lamde bringen, daraus auch keine wunde wird, als braun und blau, nasenblueh, maulschellen, zahn bluthen, so die nicht vvackeln, auch andere blutrunsten, mit nageln gekratzt, oder sonsten verletzt, daraus keine vvunde noch lamde erfolget, schlechte lugen-straffen, schlechte vvorte, die ausserhalb beben und befreyeten personen und ortern geschehen, unzuchtig muthvvillig geschrey, messerzuge, vvann niemand dadurch beschadiget vvird, messer und verbotene vvaffen tragen, verbothene vvaare feil haben, verbothene spiel spielen, deuben, die unter dreyen schillingen, das ist, vveniger denn 4. gl. vverth seyn.* etc. Eadem fere repetuntur in ORD. POL. MAGD. *cap.* 58. §. 3. nisi quod additur, licere iudicibus ciuilibus, *einen, der schvvere missethaten begangen zu dem ende gefanglich setzen, dass er demjenigen, vvelchem das ober-und hals-gerichte zustandig, uberantvvortet vverde*, nec non quod furta duobus imperialibus minora, stupra feminarum, quae stupratoribus nupserunt, item *beschaedigungen der guter* iudici ciuili relinquuntur. De ducatu Brunsu. ad HAHN. *ad Wesenbec. Lib. II. tit. 1. num.* 8. Res redit ad singulares locorum consuetudines, adeoque nemo facile dixerit, quid vbique ad iurisdictionem hanc inferiorem referendum sit. CARPZ. *ibid. n.* 10.

§. LXII.

Iurisdictio criminalis Quum vero ex eo tempore, quo iurisdictio in vrbes ac dynastas transf-

transferri coepit, criminalis aliquando diuelli coeperit a ciuili, (§. 158. 2.) factum inde est, (10. vt saepe aliis ciuilis tantum, aliis criminalis, sub variis nominibus * conferretur: (11. vt posterior variis circumscriberetur limitibus, et (12. aliquando ad certa crimina restringeretur, veluti (13. ad caedem, incendium, stuprum violentum, rapinam, quae vocari solent *die vier zent-falle*, KRESS. *de var. iurisd. crim. in Germ. gener. cap.* 5. §. 2. aliquando (14. his adderentur *fliessende wnden, vnd was hals vnd hand, pein vnd rain antrifft*: IDEM. *ibid.* aliquando (15. discrimen statuatur inter *hohe vnd niedere zentfalle*, et ad hos referantur *bluthrunsten, schmahe vvort vber das zentgeschrey, vnd vvas hals vnd hand betrifft.* IDEM *ibid. in schol.* §. 2. *p.* 47. Neque enim dubitari potest, (16. quin res redierit ad pacta et voluntatem principum, hanc iurisdictionem in alios transferentium, ac proinde (17. vix quidquam certi ea de re dici possit, quod vbique eodem modo obtineat. aliquando restricta.

* In chartis enim antiquis vocari solet *vngerichte*, SPEC. SAX. *Lib. II. art.* 13. KRESS. *de iurisd. omnimoda Helmst.* 1730. iustitia alta et maxima, MIR. *donat. Belg. cap.* 108. *dipl. Belg. Lib. II. cap.* 85. altum iudicium *hochgerichte*, vel *gogherichte*, HEDA *de episc. Vltraiect. p.* 233. SCHATEN. *annal. Paderb. Lib. XI. ad ann.* 1256. *et Lib. XII. ad ann.* 1317. iudicium colli et manus, RANGO *dipl. Pomer. p.* 179. PERTVCH. *chron. Portens. cap.* 3. *p.* 131. iudicium sanguinis, vel *halsgericht.* PERTVCH. *chron. Portens. cap.* 2. *p.* 65. Sed et hodie notae sunt denominationes *der zent, zentbarkeit, zentgerichten* INSTR. PAC. OSN. *art.* 5. *n.* 43. *der ober-gerichte, peinlichen gerichte, blutbbannes* et in Bauaria vicinisque prouinciis *der frays*, vel *der frasilichen obrigkeit*, a vetere Germanico *frais*, periculum, apud OTFRED. *euang. II.* 12. *v.* 50. 3. 4. *v.* 43. NOTKER *Psalm. XXXXVIIII.* 7. *VII.* 1. Conf. SCHILT. *glossar. Teut. p.* 313. WEHNERVS tamen *obs. pract. p.* 131. adducit transactionem inter episcopum Bambergensem et Marchionem Brandenb. in qua distinguitur inter *fraisliche oder malefiz-sachen*, et *freuel-sachen*, et ad posteriores caussas referuntur, *schelten, schmahen, iniurien, rauffen, werffen, schlagen, hauen, stechen, verwunden, lahmen, vnd darzu gemeinlich alle sachen, darumb einer an seinem leib, leben oder gliedern mit billigkeit vnd ordentlichen rechten nicht gestrafft werden moge.* Quod denuo argumento est, in Germania coercitionem delictorum leuiorum ad inferiorem iurisdictionem referri.

§. LXIII.

Quum vero res ad pacta et voluntatem principum iurisdictionem aliis concedentium, redeat: (§. 61. 16.) consequens est, (17. vt pleraeque praesumtiones, ex quibus argumenta ducunt ad probandam iurisdictionem criminalem, admodum incertae sint, * ac (18. ne patibula quidem signa habeantur huius iurisdictionis omni exceptione maiora, quum (19. in promtu sint exempla tribunalium, tum quibus iurisdictio criminalis sine iure exsequendi competit, STRYK. *vs. hodiern. digest. Lib. II. tit.* 1. §. 10. tum (20. quae exsequi possunt sententias ferales, cum ipsa de criminibus haud cognoscant. Sic Halae nostrae et academia et senatus iurisdictionem criminalem exercent, at neutra exsequutioni mandat sententias capitales. Contra iudicium regium, (*die berg-gerichte*) sententias capitales exsequitur, quum tamen non cognoscat de criminibus. Signa eius plerumque incerta.

* Eius

* Eius generis in primis est argumentum, quod a venatione maiorum ferarum ad iurisdictionem superiorem, et ab hac ad illam, duci solet. Quo pertinent paroemiae iuris Germanici: *Wohin der dieb mit dem strang, dahin gehöret auch der hirsch mit dem fang*. Itemque: *so vveit die straffgerichte geben, so vveit gebet auch der forst*, quas explicat reprobatque HERT. *Lib. II. paroem. 16. p. 611.*

§. LXIIII.

Iurisdictio patrimonialis ex potestate herili. Quum porro iurisdictio, quae praediorum equestrium possessoribus competit, patrimonialis initio ex potestate herili in seruos seu homines proprios nata sit: (§. 57. 3.) inde facile intelligitur, (21. cur hi praediorum possessores vocari non soleant iudices, sed *iudicii domini*, *gerichts-herrn*, iisque (22. iurisdictio non competat ob officium, quale nullum gerunt, sed iure proprietatis, *ihrer guter wegen*. CONST. CRIM. *art.* 2. itemque, (23. cur praediis ad feminas quoque deuolutis, et illis haec iurisdictio contra regulam *L.* 12. *D. de iudic.* et *L.* 2. *D. de reg. iur.* competat, quod (24. et moribus Galliae saepe contingere, obseruat Innocentius Papa III. *c.* 4. X. *de arbitr.* (25. Cur non semper nobilibus competat iurisdictio superior, vel criminalis, sed eo tantum casu, si illam vel in feudum acceperint a principibus, vel (26. alio iusto titulo adquisiuerint. * KRESS. *de var. iurisdiction. crim. in Germ. gener. obs.* 5. §. 6.

* Iurisdictio enim patrimonialis est ex potestate herili. Ea quamuis tanta esset TACITI temporibus, vt seruum occidere posset dominus saltim impune: tamen quia id paullatim mutatum, et ius illud vitae et necis in rusticos arctioribus circumscriptum est limitibus: sequebatur, vt domino tantum relinqueretur ius componendi seruorum controuersias, ipsosque coercendi, si fraena morderent. (Lib. I. §. 41.) vel leuiora delicta admisissent: (§. 61.) animaduersio vero in facinorosos seuerior esset penes illos, quibus iurisdictionem concesserat Imperator vel rex Germ. Attamen quidam et iurisdictionem criminalem retinuerunt, eamque sibi non principis beneficio, sed iure proprietatis et allodii, competere professi sunt. Vid. LEIBN. *script. rer. Brunsu. Tomo II. p.* 272. Et quum postea saepe hi iura sua siue per inuestituram, siue aliis titulis in vrbes et nobiles transferrent: (§. 57. 2.) horum etiam non paucis hoc ius animaduertendi cessit, at iurisdictionis schemate indutum. (*Lib. I. §.* 41.) Quod saeculo demum XV. factum esse in Saxonia obseruat WECK. *descript. Dresd. Part. IIII. tit.* 6. Et hoc sensu verum est, quod scripsit KRESS. *ibid.* §. 6. *Mediatos nobiles iurisdictione criminali hinc inde pollere, notum est. Quae tamen non e veteri iure dominorum in seruos, sed ex praescriptione, consuetudine loci, priuilegio, inuestitura, pactoque, deriuanda.*

§. LXV.

Non tamen superior, nisi speciatim concessa. Et ex vltimis hisce conclusionibus denuo reddi potest ratio, (27. cur hodie nobilibus dubia reddatur iurisdictio superior, nisi titulus probari possit. Vid. quae ex LVNIGII *de nobil. med. Tom. I. p.* 1222. *et* 1231. nec non ex TARNOVII *de feud. Meklenb. n.* 221. extulit KRESS. *ibid. p.* 57. (28. Cur saepe, maxime in Westphalia, alii competat iurisdictio colonaria, alii criminalis, immo (29. et colonaria saepe admodum restricta sit, vt non nisi carcere coerceri possint coloni, si praestanda non praestent. MEINDERS. *de iurisd. colon. p.* 39. 54 (30. Cur iurisdictio illa criminalis saepe circumscripta sit limitibus praediorum, STRIK. *de iurisd. circumsepta cap.* 3.

§. LXVI.

§. LXVI.

Eius species fonceria, seu fundalis iurisdictio.

Ex eadem potestate dominica in seruos, in manumissos quoque retenta, repetenda videtur (31. iurisdictio *tres-fonciere*, *censuelle ou censiere*, *iustice domaniaire*, *praediaria*, *solaria*, FONCERIA vel FVNDALIS, vti commodius vocat vir excellentissimus, I. N. AB HONTHEM, in aula electorali et curia archiepiscopali Treuirensi consiliarius ecclesiasticus, et in academia antecessor, in litteris ad me amantissime scriptis, et in dissertatione, eius ductu *de iurisd. et imp.* defensa. GE. HERN. HARTMANNVS, *Treu.* 1734. Quum enim illam satis obscure explicarit REN. CHOPPINVS *consu. Andegau. Lib. I. cap. 1. p. 99. sequ.* SCHILTERVS vero *Exerc. VI.* §. 7. eam iurisdictionem, trans Rhenum maxime obuiam, ex LONGEVALLIO ita descripserit: *quod sit iurisdictio competens domino soli, villae, vel vici, ad tutanda tantummodo iura, quae a subditis annuatim ei penduntur*: laudatissimi viri *d. diss.* §. 13. illam definiunt multo accuratius, et ita quidem, vt adpareat, eam a iurisdictione patrimoniali, nostris competente nobilibus, non nisi in eo discrepare, quod, quum haec et ad personas, et ad earum res omnes pertineat, illa non nisi fundos seu immobilia subditorum adficit. *

* Merito honoris caussa nomino doctissimum humanissimumque virum, I. N. HONTHEMIVM, qui non solum litteris peramanter scriptis, priorem, quem viderat, Elementorum meorum tomum mirifice sibi probari testatus est, quod quidem magis eius aequitati, quam iudicio, tribuerim, verum etiam me de hac *fundali*, seu *fonceria* iurisdictione submonuit, ipsamque dissertationem, quam laudaui, beneuole submisit, maiora pollicitus peramanter, puta diplomata vetera et chartas, quae ad illustrandam illam in Lotharingia, et vicino tractu notissimam iurisdictionis speciem pertinent. Quo nomine viro doctissimo publice gratias ago, et quandoquidem illa monimenta videre nondum licuit, saltim ea, quae in laudata dissertatione hac de re scripta sunt, lectori non inuidebo. Primo ergo auctor originem eius iurisdictionis ita describit: *Vlteriorem iurisdictionis speciem suppeditat* SCHILTERVS *exercit. VI.* §. 7. *quam ipse ex Gallico* FONCERIAM, *nos* FVNDALEM *adpellamus, his in partibus frequentissimam. Eam domino soli, villae, vel vici ad tutanda iura, quae a subditis annuatim ei penduntur, tantummodo competere*, ait SCHILTERVS *l. c. Nos quidem ex supra th. 9. memorata seruorum manumissione, non alia conditione facta, quam vt praedia, quibus adscribebantur perpetuorum colonorum more, sicut hactenus teste Tacito de mor. Germ. cap. 25. adsueti fuerant, colere pergerent, hanc fundalem iurisdictionem proxime ortam, proindeque ad tutanda iura reditusque dominicos primario quidem pertinuisse, facile largimur.* At deinde latius patere obseruat hanc iurisdictionem, quam SCHILTERVS existimauerat, additque: *Sed intra hos cancellos eius vis minime perstitit, siquidem ei tribui videmus ius circa immobilia cognoscendi de omnibus actionibus realibus, petitoriis, possessoriis et mixtis, nec non in rem immobilem scriptis. Quo pertinent rei vindicatio, Publiciana, ad exhibendum, confessoria et negatoria, Seruiana et quasi, finium regundorum, communi diuidundo, familiae erciscundae, (si tamen potissima pars hereditatiorum bonorum immobilis sit, arg. L. 50. D. de iudic.) item actiones de retractu, de pastu, et legis Aquilliae, nec non resignationum iudicialium in alienatione immobilium registrandarum auctoritas: ius condendi statuta georgica, habendi et deputandi magistratum fundalem, citandi etiam forenses per edictum, coercendi contumaces remediis ciuilibus, mittendi in possessionem bonorum, et demum sua iudicata exsequendi.* Habemus ergo vere exemplum iurisdictionis patrimonialis, quamuis ad immobilia tantum bona, seu fundos subditorum, adstrictae. Denique de vsu eius iurisdictionis addit vir doctissimus: *Quae omnia scriptae Luxemburgensium et Lotharingorum consue-*

suetudines ita enunciant : apud Treuiros alio[s]que vicinos, scriptis super hoc iure consuetudinibus destitutos, tantum valiturae, quantum valet argumentum a vicinia ductum, de quo BECK. *de iure vicin. in adpend. cap.* 1. §. 2. *p.* 664.

§. LXVII.

Ea in Gallia magis restricta, quam in Lotharingia et vicino tractu.

Sed vt fortassis in Lotharingia vicinisque tractibus tam late pateat iurisdictio illa fundalis : tamen, quum consuetudines huiusmodi, diuersis locis, diuersissimae esse soleant, (32. negandum non videtur, alibi eam adductiorem esse, et, (33. hinc recte SCHILTERVM cum LONGOVALLIO existimasse, eam duntaxat ad tuenda domini iura, et praestandas ei quotannis pensiones eo facilius exigendas, esse comparatam. Ita enim se eam ex vniuersae paene Galliae moribus habere, testatur iureconsultus, iurium et consuetudinum patriarum callentissimus, Io. PAPONIVS *in corp. iur. Franc. Lib. VII. tit.* 7. §. 33. * Vt adeo dicendum videatur, (34. iurisdictionem hanc cis Mosam in terris, quae Lotharingiae olim accensebantur, omnem paene potestatem iuris dicundi de rebus immobilibus subditorum comprehendere; trans Mosam tantum ad iura dominorum in praediis tuenda pertinere.

* Quum ne hic quidem liber in omnium manibus sit : non pigebit ea, quae *p.* 242. de hac iurisdictionis specie obseruauit, adscribere : *Nonnullae consuetudines quartam adhuc iurisdictionis speciem constituunt, puta* IVRISDICTIONEM FVNDALEM, *ab infima segregatam : attamen nonnullae praedictarum consuetudinum inferiorem iurisdictionem vocant infimam, fundalem, et nudae inspectionis, veluti consuetudo Andegauensis et Cenomanensis, quae consuetudines duae, vt ait corpus consuetudinarium, sane hanc materiam melius, quam ceterae consuetudines, tractant. Primum enim caput harum consuetudinum hunc titulum praefert* : de infima iurisdictione, fundali, et simplici, seu nuda inspectione, *quae vnum et idem sunt. Consuetudines, quae iurisdictionem fundalem ab infima iurisdictione separare voluerunt, ei tantum attribuerunt cognitionem inter dominos fundales, censuales et ipsorum subditos pro iuribus censualibus et dominicis, scilicet, quo videlicet adigant ad soluenda sibi iura feudalia, census et reditus tantum, vt loquitur* BOVTICVLARIVS tit. de infimam iurisdictionem habente. *Et haec iurisdictio in consuetudine Andegauensi, Turonensi, Cenomanensi, Blesensi* nuda inspectio *vocatur, et* MASVERIO tit. de iudicibus et iudiciis *vocatur* iurisdictio domanialis, *in Senonensi et Altissiodorensi dicitur, eum, qui iurisdictionem fundalem habet, posse quidem habere viatorem ad colligenda iura sua, et mensam, seu stationem, ad ea percipienda: at non etiam iudicem, aut sedem, aut auditorium, et in Valesia dicitur, dominos fundales, iurisdictionem non habentes, nullam caussae cognitionem habere, neque officiarios, verum iura sua dominicalia persequi coram iudicibus partium, ipsisque libellum supplicem offerre debere, quo scilicet eis liceat capere feuda, a se mouentia, vel fundos censuales, censum ipsis praestantes, et non etiam vigore decretorum suorum, quod per abusum saepe fit, ad huiusmodi capionem procedere. Atque ita quarta haec iurisdictionis species secundum consuetudines determinatur, vti lector videre potest* Lib. II. tit. 3. collationis D. GVENOSII, *deque eo plene tractat* BACQVETVS supra citato libro I. c. Ex eo vero loco patet, mirifice variare consuetudines Andegauenses, Cenomanenses, Turonenses, Senonenses, Blesenses, Altissiodorenses, et Valesias : at nusquam tamen in Gallia vltra facultatem iura sua, sibi in fundis subditorum competentia, tuendi dominis fundorum quidquam permitti, immo ne hanc quidem dominos sua auctoritate exercere ex moribus Valesiorum.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Quemadmodum olim iudicia alia ſtata et ordinaria erant, ob quae conuentus iuridici certis temporibus indicebantur, alia extraordinaria et repentina: (§. 58. 4.) ita (35. hodie ſeſe rem eodem fere modo habere, animaduertimus, dum non modo curiae ſupremae, *die hoffgerichte*, alicubi certis anni temporibus habentur, veluti ſingulis *quatuor temporibus*, quae vocant, verum etiam (36. iudicia minora, qualia alibi ſunt *die land gerichte* alibi *die ruge gerichte*, alibi *die voigtgedinge*, *lotding*, *botding*, ſimileſque conuentus. Sed et (37. ex eodem more maiorum eſt, quod in his iudiciis omnes ſubditi ſe ſiſtere tenentur, (38. quodque non modo ſinguli iubentur denunciare, ſi quid contra bonos mores fieri obſeruarint, verum etiam (39. cauſſa breuiter cognita, qui peccarunt, in mulctam condemnantur, quae vocatur *die land gerichts vvroge*. Quin (40. et alia in his conuentibus iuridicis fieri ſolent, quae ad publicam diſciplinam, et ſubditorum vtilitatem videntur pertinere. *

Conuentus iuridici et hodie ſtatis temporibus habentur.

* Sic memini, quum ipſe, exigente officii ratione, huiuſmodi conuentui intereſſem, finito iudicio, (1. praelectas fuiſſe leges ruſticas, *die dorffordnung*, (2. examen inſtitutum catecheticum, exploratumque, quantum pueri ac puellae in ſingulis pagis profecerint, (3. praemiola diſtributa eſſe iis, qui diligentiam ſuperioribus probaſſent, (4. ſubditos ſingulos adactos eſſe ad exhibendum certum numerum capitum paſſerum, et (5. ſi quid numero legibus definito deeſſet, eos certam mulctam pendere coactos. Alibi (6. ruſticos et ad arma domeſtica, laternas, ſimilemque ſupellectilem, maxime ad reſtinguenda incendia neceſſariam, oſtendendam adigi, (7. et conuentum iſtum plerumque epulis finiri audio, vt vere adhuc moribus obtineat, quod notarat TACITVS, puta, quod Germani nihil fere publicae priuataeque rei ſine poculis tranſigere ſoleant.

§. LXVIIII.

Contra vbique fere iudicia repentina et extraordinaria paullatim quotidiana facta ſunt vel (42. ſicubi tam arctis limitibus circumſcriptum eſt territorium, vt iudices quotidie litibus non fatigentur, plerumque dies hebdomadis certi deſtinati ſunt et cognitionibus et ferendis ſententiis, qui vocantur *gerichtstage*, inter quos (43. iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus tam celebris fuit dies Martis, vt κατ' ἐξοχὴν dictus ſit *dienſtag*, quaſi *dingſtag*, a *ding* Germanico, quod iudicium ſignificare, iam ſaepe monuimus. *

Dies iuridici, quibus per totum annum ius dicitur.

* Falluntur ergo VEREL. *ad Gotric. cap. 4. p. 37.* qui *dinſtag* dictum putat a *Thurra* vel Tor, quaſi *tyrsdag*, WORMIVS *faſt. Dan. Lib. I. cap. 15.* qui id nomen repetit a *Diſa*, Dea, et Germanorum veluti Themide, vt idem ſit ac *diſtag*, LOCCENIVS *antiqu. Sueo-Goth. cap. 4. p. 28.* qui vocabulum hoc arceſſere mauult a Germanico *thit* vel *theot*, populus, vt ſit quaſi *theistag*. Nam in Saxonia inferiore nomen huius diei vetuſtiſſimum adhuc in vſu eſt, efferturque *dingsdag*. Vnde recte GOB. PERSONA *coſmodrom. Aet. II. cap. 4.* *Ding*, inquit, *in antiquo vulgari ſonat iudicium; prout patet in his vocabulis: holtgeding, frigeding, et quia iudicium mortis gentiles attribuerunt Marti, dies Martis dingesdag apud gentiles Teutonicos dicebatur. Et in ſignum iſtius iudicium quoddam occultum, concernens poenam morte puniendorum in certis caſibus, in partibus Weſtphaliae, praecipue die Martis celebratur, quod quidem iudicium incolae friding adpellant.*

§. LXX.

Iudicia faltim criminalia et hodie scabinos requirunt.

Quum porro Germani comitibus, scultetis, reliquisque iudicibus semper in consilio esse voluerint adsessores, iisque adiunxerint etiam adparitorem, quem vocabant *den fronbothen*, (§. 58. 5.) non mirum est, (44. non modo hunc morem paene vbique superesse, sed et (45. nomina illa antiqua comitum, * scultetorum, scabinorum, *des fronbothens* plerisque locis audiri: in primis vero (46. vix legitimum et sollemne haberi iudicium criminale, nisi iudici adsideant scabini, qui in CONST. CRIM. *art.* 1. vocantur *vrtheiler*, iisque aeque, ac iudicibus praescribitur certa iurisiurandi formula *art.* 4. quamuis (47. illi plerumque ex plebeiis, quin rusticis, adlegari soleant, quin (48. in Franconia diuersi generis sint, nec ibi omnes promiscue ferant suffragium. Noti enim ibi sunt praeter scabinos ordinarios *die stummen schoepsen*, siue *die horcher*, et *noth-scoepffen*. Vid. LVDOV. *ad Const. crim. art.* 4. *p.* 13.

* De vocabulis *schultheiss* et *schoepfen*, quae in omnibus fere non modo ciuitatibus, sed et vicis pagisque audiuntur, nemo, credo, dubitabit. At comitum nomen iudicibus tribui, non aeque peruulgatum est. Sic Halae nostrae patrum adhuc memoria fuisse iudicem, dictum *burggrafium*, eiusdemque nominis iudices Augustae Vindelicorum et Ratisponae ius dicere, obseruat OCKEL. *de palat. reg. thes.* 157. *sequ.* Et qui iurisdictioni rei salinariae apud nos praeest, hodie adhuc vocatur *der saltz-graffe*. Ita passim alibi supersunt *die zentgrafen*, de quibus FICHARD. *consil. Germ.* 121. *et* 122. *die gograuen*, de quibus KNIPSCH. *de ciuit. imp. Lib. III. cap.* 6. §. 17. immo et *graffen* sine additamento, veluti Coloniae: KNIPSCHILD, *ibid. Lib. III. cap.* 10. §. 28. *p.* 683. Neminem etiam ignorare putarim officium *Hansgrauiorum* Ratisponensium, qui ex priuilegio, vrbi a Fridrico II. Imp. concesso, tum in ciuitate, tum extra illam, ea curant, quae ad nundinarum pertinent negotia, de quibus vid. WIG. HVND. *metrop. Salisb. p.* 1. Omittimus iam *frygrauios* iudicus Westphalicis praefectos *dykgrauios*, qui aggeres curant, *watergrauios* in Flandria, qui fluminibus et lacubus praesunt, aliosque, quorum recensum instituit PFEFFINGER. *Vitriar. illustr. Lib. I. tit.* 17. §. 9. *p.* 602. *sequ.* *Tomo II.*

§. LXXI.

Nec non scribas vel actuarios.

Nec scabini tantum et adparitores hodie iudicantibus adsunt, verum etiam (49. scribae, notarii, actuarii, * qui nunc plerumque secretariorum adsectant titulum. Hos vero, (50. vt fidem eorum protocolla inueniant, iuratos esse oportet, maxime (51. in caussis criminalibus, quibus qui adsunt, scribis formulam iurisiurandi praescribit CONST. CRIM. *art.* 5. Quin (52. in Saxonia scribas in his caussis non modo iuratos, sed et notarios publicos Caesaris auspiciis creatos esse oportet. CARPZ. *proc. iur. tit.* 2. *art.* 4. §. 5. *n.* 53. *sequ. et Part. III. Decis.* 201. IO. PHILIPPI. *ad decis. Sax.* 38. *obseruat.* 2. *n.* 29. *p.* 698.

* Iam sub Francorum imperio iudiciis intererant *scribae*, qui et *notarii* dicebantur, CAPITVL. I. *ann.* 805. §. 3. itemque *cancellarii*, LEG. RIPVAR. *tit.* 59. §. 2. *sequ. et tit.* 88. CAPIT. VI. *ann.* 803. §. 2. et *Lib. III.* §. 43. Hi quoque non nisi iurati munere suo fungebantur, LOTHAR. *in capitul. excerptis ex lege Langob.* §. 21. et *eiusdem capitul. adiect. legi Langob.* §. 11. et ex LEGE RIPVARIORVM amittebant dextrum pollicem, vel plane manu abscissa admissum a le falsum luebant. LOTHARII *capitula ibid.* Et exstant

exstant sane *notitiae iudiciorum* complures, a MABILLONIO, BALVZIO, aliisque editae, quae nos dubitare non patiuntur, quin res iudicatae in acta publica relatae fuerint, tum a Francis, tum a Langobardis, quorum in primis laudanda fuit in actis consignandis industria. Vid. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit. 40. §. 1. et 2.* Mirum ergo est, in IVRE SAX. et SVEVICO tam raro mentionem scribarum fieri; cuius rei hanc rationem reddit THOMASIVS *de vera orig. nat. et interitu iudic. Westphal.* §. 40. *not. q.* quod processus fuerit oralis, additque: *Quod mirum alicui non videbitur, qui cogitaverit, omnia ibi publice in praesentia totius populi gesta esse, adeoque scriptura non fuit opus. Processus igitur scriptus, hodie receptus, originem debet iuri canonico, utpote quod integro saeculo ante Iustinianeum in Germania obtinuit.* Sed sunt hic quaedam, quae mea non fecerim. Attulit sane beatus frater in *antiqu. Gosl. Lib. II. p.* 221. veteres tabulas cereas, ex quibus patet, saeculo saltim XIIII. ea, quae in iudiciis decisa sunt, in acta publica relata fuisse, adeoque procul dubio non defuisse scribas, quibus id datum fuerit negotii.

§. LXXII.

Sed haec quidem de iurisdictione Germanorum dicta sufficiant. Plura moneri possent de variis ritibus forensibus, hinc inde obuiis, qui ex vetustis moribus facile possent deriuari, nisi de iis infra suis locis dicendum foret. Iam id tantum veluti corollarii loco addimus, (53. imperatores, reges et principes, ex quo semel aliis concedere coeperunt iurisdictionem, varias eius species nouas inuexisse, veluti academicam, nauticam, siluestrem, * mercatoriam, salinariam, metallicam, et (54. cum iis, qui in his tribunalibus iuri dicundo praesunt, modo criminalem et ciuilem, modo ciuilem tantum, iurisdictionem communicasse. Denique (55. quum olim et in vrbibus plerumque hereditaria essent scultetorum, iudicum et scabinorum officia, et, vti alia feuda, ad filios et agnatos deuoluerentur, ceu patet ex IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 26. et IVR. PROV. SVEV. *cap.* 79. §. 3. WEICHB. *art.* 33. et exemplis probat ZACH. SCHNEIDER. *chron. Lips. Lib. V. p.* 225. *sequ.* hodie id rarius contingere, adeoque (56. pleraque iudicum officia in vrbibus esse personalia, et cum ipsis personis expirare.

Corollaria quaedam de nouis iurisdictionis speciebus, et officiis sculteti et scabinorum olim hereditariis.

* Sunt haec iudicia, quae passim sub vocabulo *der forst-amter*, item *der forst-vnd iagd-gerichte* exercentur, quorum iurisdictionem olim in hoc ducatu etiam carnifices agnoscere tenebantur. Similia sunt *die zeidlergerichte*, quae exercentur in eos, qui praedia, mellificio apta, possident, *zeidel-guter*. De iis vide LIMN. *iur. publ. Lib. VII. cap.* 35. *n.* 30. et *addit. Tom. II. ad Lib. V. cap.* 7. *p.* 774. BESOLD. *thesaur. pract. sub voce zeidelgericht p.* 1038. DIETHER. *p.* 678. Celeberrimum est iudicium huius nominis, competens Noribergensibus. Nec ignotae sunt huius generis societates in inferiore Lusatia, (vid. ill. a LVDEWIG *reliqu. MSSC. Tom. I. p.* 165. 169. 478.) vbi ii, qui *zeidleris* praefecti sunt, voce Slauonica adpellari solent *starosten*, id est, seniores.

* * *
**
*

TIT.

T I T. II.

DE ACTORE, REO, ADVOCATIS, PROCVRATORIBVS.

§. LXXIII.

Tranſitio ad reliquas perſonas, quae iudicium conſtituunt.

QVae ſuperiore capite diſſeruimus, ea maxime ad IVDICIS, SCABINORVM, ceteraſque, quae iudicium conſtituunt, perſonas pertinent. Supereſt, vt de reliquis perſonis, quae cauſſas in foro agunt, breuiter agamus, et quidem tum de *principalibus*, quales ſunt ACTOR et REVS, tum *de minus principalibus*, quales ſunt ADVOCATI et PROCVRATORES. Nam et his vſos eſſe maiores noſtros, quamuis ab ingenioſis cauſſidicorum Romanorum calumniis alieniſſimos, et ficti illius dominii litis, cuius obtentu Romani procuratores primum in forum admiſerunt, plane ignaros, ex iis, quae paullo poſt dicemus, perſpicue adparebit.

§. LXXIIII.

Qui vetere iure Germ. actores eſſe potuerint?

Quemadmodum ipſa recta ratio vnicuique permittit, ius ſuum in iudicio perſequi: ita idem et Germanos ſuis permiſiſſe probabile eſt,* quamuis fatendum ſit, ſaepius homines feroces, et litium pertaeſos, ius ſibi manu dixiſſe, et armis finire ſolitos negotia, quae iure fuiſſent terminanda. Non tamen temere admittebant ACTORES, calumniae ſuſpectos, et ſi qua huiuſmodi incideret ſuſpicio, cauſſa cognita, an quis admittendus ſit, ſtatuebant. Ita enim cautum fuerat CAPITVL. *Lib. V.* §. 245. *edit. Lindenbr. Eius, qui frequenter litigat, et ad accuſandum eſt facilis, accuſationem abſque grandi examine nemo ſuſcipiat.* Quamuis enim de cauſſis criminalibus agere videatur locus: ciuiles tamen non excludi, ex verbis: *qui frequenter litigat*, ſatis intelligitur.

* Neque tamen dubitandum eſt, quin et apud Germanos quidam non habuerint perſonam ſtandi in iudicio. Sane quod ad ſeruos attinet, eos liberos homines in ius vocare vetat LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 2. §. 9. et LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. §. 1. niſi domini eorum vltra 50. milliaria abſint, vel abſentes epiſtola negotium hoc ſeruis dederint. LEG. WIS. *ibid.* Multo minus ergo ſerui conſiſtere poterant cum dominis, aut iis crimen obiicere. CAPIT. *Lib. VII.* §. 48. *et* 342. *et Lib. VI.* §. 144. *edit. Lind.* Sed et pro filiofamilias patrem, pro pupillo tutorem agere, eumque feminae quoque agenti adeſſe, eamque defendere debuiſſe, facile eſt ad exiſtimandum. LEG. WISIG. *Lib. IIII. tit.* 3. §. 3. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 25. §. 4. Vxor apud Wiſigothos ipſa pro ſe recte poſtulabat. et ne ipſe quidem maritus, pro ea acturus, ſine expreſſo mandato admittebatur. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 3. §. 6. Quum etiam principes et epiſcopos minus decere videretur, in foro litigare, eos cauſſas ſuas ſemper aliis mandare iubet LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 3. §. 1. non quaſi perſonam ſtandi in iudicio non haberent, ſed *quod tantis culminibus videri poſſet contumelia irrogari, ſi contra eos vilior perſona in contradictione videretur adſiſtere*. Quae omnia et in perſona reorum obſeruanda fuiſſe, facile intelliges.

§. LXXV.

§. LXXV.

Actor sequebatur forum rei.

Sed et id commune cum Romanis, gentibusque tantum non omnibus, habebant Germani, quod actor sequi teneretur forum REI. Pertinent huc permulta CAPITVLARIVM loca, quorum tamen praecipua tantum hic delibare iuuabit. Sic *Lib. VII.* §. 251. *edit. Lindenbr. Clericus vel laicus, si crimine vel* LITE *pulsatus fuerit, non alibi, quam in foro suo, vocatus audiatur.* Et §. 283. *Pulsatus ante suum iudicem caussam dicat: et non ante iudicem suum pulsatus, si voluerit, taceat.* Denique *addit. Lib. III.* §. 75. *Quicumque caussam habuerit, a propriis iudicibus iudicetur, et non ad alienos, caussa vagandi et proteruiae, dimittens suam patriam, transeat.*

§. LXXVI.

Fora quotuplicia iure Germ.

FORA autem et apud Germanos diuersa fuisse comperio. Nam praeter forum DOMICILII, * etiam forum REI SITAE habuit locum, in eoque quaeuis institui potuit actio realis, qua res ibi sita petebatur, ceu patet ex LEGE ALAM. *tit.* 84. et LEGE BVRG. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. Sane enim quum ex loco priore pateat, veniendum fuisse in rem praesentem, idque fieri a iudice non potuerit, nisi cuius in pago vel territorio situm esset praedium: consequens est, vt rem in foro rei sitae vindicari oportuerit. Fori contractus nullum in legibus Germanorum deprehendo vestigium. Delinquentes vero eo in loco sortiebantur forum, vbi deliquerant, et quamuis in alio pago, vel in alia centena, deprehenderentur, tamen exhibendi erant comiti vel iudici eius loci, vbi delictum admiserant: LEX BVRG. *tit.* 89. DECRET. CHLOTHARII §. 1.

* Quaeritur, an et foro originis fuerit locus? Eius sane rei vestigium nullum me reperire fateor in antiquitatibus Francicis. At de insequentibus temporibus certum est, quod iam supra monuimus, non potuisse principes, quamuis in alia prouincia rerum potirentur, alibi, quam in ea prouincia, vnde originem duxerant, conueniri: (§. 39. et Lib. II. Part. II. §. 140. *) Immutabile ergo apud Germanos aeque, ac apud Romanos, videbatur hoc forum originis, saltim principibus. Atque inde esse arbitror, quod singularum suae aetatis familiarum illustrium origines tam diligenter recensuit auctor obseruationis, SPECVLO SAXONICO praemissae, cuius principium est. *Nun vernemet vmb der herren geburt von dem lande zu Sachsen.* Vbi enim recensuit principes, comites et dynastas origine Sueuos, Francos, Saxones, statim subiicit: *Welcher bischoff auch vom reich belehnet ist mit fahn-lehn in dem lande zu Sachsen, und den heerschild davon hat, der heist ein Sachs, er sey gebohren, aus welchem lande er wolle, vnd er mag wol vrtel finden vnd vrtels warten, vnd auch vorspreche seyn zu lehen-recht vnd zu landrecht, vor dem reich, gegen einen ieglichen mann, da es allein an lehen nicht gehet: aber anders nicht, weder zu landrecht oder zu lehen-recht.* Quae sane de episcopis monere nihil attinebat, si reliquorum principum eadem fuisset conditio. Hi vero si essent Sueuicae originis, non erant Saxones, quamuis in Saxonia feuda vexilli possiderent, nec ibi poterant de principe iudicare, vel ab eius principibus iudicari. Cuius iuris et consuetudinis origo proculdubio ex iis, quae sequente statim §. obseruabimus, repetenda est.

§. LXXVII.

Immo et ius rei sequi tenebatur actor.

Id enim singulare habebant Germani, quod apud eos actor non modo forum, sed et ius rei, sequi teneretur. Neque enim Saxo pote-

rat conueniri ex iure Alamannico, quamuis in Alamannia constituisset domicilium, sed ex Saxonico tantum: eademque erat reliquarum prouinciarum ratio, in quibus sua quisque lege viuebat, ex eaque, si qua caussa vel lis incideret, erat iudicandus. Qua de re iam supra (Lib. I. §. 323.) quaedam nos obseruare meminimus. Ex quo facile patet, cur et exstincta Carolidarum stirpe principes, passi sententiam, sese iniuste damnatos esse, contenderent, si sententia, non principum prouinciae, ex qua originem duxerant, suffragiis lata esset. * (§. 39.)

* Hoc ad principes tantum pertinere contendimus. Quod enim ad priuatos attinet, illa iurium confusio mature videtur abolita esse. Nam in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 30. legimus. *Ein ieglich einkommen mann empfehet erbe in dem lande zu Sachssen nach des landes, recht, und nicht nach des mannes recht, er sey Beyer, Schwabe oder Francke.* Similia occurrunt in SPEC. SVEV. post *cap.* 270. *edit. Berg. p.* 56. (nam in Meichsneriana ea frustra quaesiueris.) *Ain yeglich man, der aus einem land in das ander vert, wil er vor gericht nemen recht vmb ain gut, das im lande liegt, er muss nemen recht nach des landes recht, da das gut inn ligt, und nicht nach seinen landsitten.* Quum inde caput paullo aliter legatur in edit. SCHANNATI *cap.* 122. etiam ex eo verba adscribere iuuabit: *Spricht ain man eigen an, da schol er nit vmb antworten, denn an der stat, da es leit, und niemant in dem geding vor dem landrichter, da muss er vor igleichen landtaiding antworten, ob das gut in demselben gericht leit. Der kunig schol auch nit richten, nach des recht, er schol nit richten, wen nach des landes recht.*

§. LXXVIII.

Aduocati an temporibus Taciti noti Germanis. Quod ad ADVOCATOS attinet, eos parum placuisse Germanis antiquissimis, litium non admodum amantibus, vel inde colligas, quod in clade illa Variana, teste FLORO *Lib. IIII. cap* 17. in nullos alios magis saeuitum est, quam in caussarum patronos, quorum *aliis oculos eruerunt, aliis manus amputarunt, vnius etiam os fuerunt, recisa prius lingua, quam manu tenens barbarus: Tandem,* inquit, *vipera, sibilare desiste.* Enimuero non tam patrocinium caussarum displicuisse videtur maioribus nostris, quam caninum istud patronorum studium, optimum quemque adlatrandi. Nam insequentibus temporibus et Germanis in honore fuit officium aduocatorum, sed honestorum, et qui non lites ex litibus serere, sed easdem pro virili componere didicissent.

§. LXXVIIII.

An iure Wisigothico? Neque tamen omnes gentes iisdem plane moribus vixerunt. Apud WISIGOTHOS inoleuerat consuetudo, Graecis quoque et Romanis olim solemnis, vt in ius vocati plures secum amicos adducerent, opem laturos periclitantibus, caussamque eorum pro virili acturos. Sed morem hunc e foro proscripsit Flauius Receswindus Rex, statuitque *Lib. II. tit.* 2. §. 2. *vt ne audientia tumultu et clamore turbetur, sed in parte positis, qui caussam non habent, illi soli iudicium ingrediantur, quos constet interesse debere*; *item: vt* SI IVDEX NOLVERIT, *nullus se in audientiam ingerat, partem alterius quacunque superfluitate aut obiectu impugnaturus, qualiter vni parti nutriri possit impedimentum.* Denique: *vt si admonitus quisquam a iudice, vt in caussa taceat, ac praestare caussando patrocinium non praesumat, et ausus vltra fuerit parti cuiuslibet patrocinari, decem auri solidos, eidem iudici profuturos,*

ros, coactus exsoluat, ipse vero in nullo resultans, contumeliose de iudicio proiectus abscedat. * Si quis potentiori, opprimendi aduersarii ergo, caussae suae commendasset patrocinium: ipse cliens caussa cadebat, potentiorque, qui exire iussus, non parebat, duas auri libras exsoluebat, vnam iudici, alteram aduersario; et a iudicii limine cum contumelia repellebatur. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 2. §. 8. Itaque non in vniuersum prohibebantur alii pro aliis postulare, sed tantum id facere non licebat inuito iudice, nec potentioribus, qui terrori esse possent aduersariis.

* Revocasse Wisigothi videntur mores maiorum suorum, in borealibus terris viuentium, quippe quos et multo post nullum aduocatis et caussidicis locum in foro dedisse, satis constat. LOCCEN. *antiqu. Sueo Goth. Lib. II. cap. 4. p. 44. Prisci vel nunquam, vel rare aduocatis et procuratoribus usi sunt, sed ipsi litigantes, prout poterant, caussam suam egerunt, ut constat ex art. 15. process. iudicial.* Idem confirmat STIERNHOEK. *de iure Sueon. vetust. Lib. I. cap. 6. extr.* obseruans tamen, viduis, pupillis, rudibus rerumque imperitis, vel plane excordibus, adesse in iudicio potuisse aliquem cognatorum, vel si eius non esset copia, idem paene obtinuisse, quod apud Romanos simili casu se facturum promiserat Praetor: SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO. L. 1. §. 4. D. *de postul.*

§. LXXX.

His non minus seueri etiam OSTROGOTHI videntur fuisse, apud quos sanxerat THEODERICVS, *Rex, edict.* §. 44. *ut nullus se* POTENS, *Romanus aut barbarus, tamquam defensor aut suffragator negotio misceret.* Attamen non in vniuersum eos ab aduocatis abhorruisse, sed eorum maximi fecisse operam, vel ex CASSIODORO patet, qui saepe inter merita eorum, quibus Theodericus rex maximas dignitates palatinas contulit, vel primo loco refert facundiam forensem, operamque clientibus cum laude praestitam. Vid. *Var. Lib. V. cap.* 4. et 40. *Lib. XI. cap.* 4. Itaque nihil illa THEODERICI dispositio habet, quod a moribus Romanorum alienum sit; immo ex ipsis eorum legibus videtur deprompta, puta ex *L.* 1. *et L.* 2. *C. ne liceat potent. patroc. litig. praest.* An Ostrogothico?

§. LXXXI.

Quare etiam similes LEX BVRGVNDIONVM, quae *tit.* 22. occurrit, facile intelligitur. Quum enim Burgundiones, tamquam victores, facile terrori esse potuissent Romanis, vel prouincialibus: non iniqua profecto erat lex GVNDOBALDI, regis: *Quicumque Romanus caussam suam, quam cum alio Romano habet, Burgundioni agendam tradiderit, caussam perdat, et is, qui susceperit, inferat mulctae nomine solidos* 12. Quam legem repeti animaduertimus *tit.* 55. §. 1. *et* 2. Nec non Burgundico.

§. LXXXII.

Sed progredimur ad FRANCOS, quibus in foro litigantibus eo magis opus erat iurisperitorum auxilio, quo pluribus formularum ac sollemnitatum tricis implicata erat eorum iurisprudentia, et quo facilius in his verbis labi possunt homines plebei, et aliis distracti negotiis. SCHILT. *Exerc. X.* §. 7. Quamuis enim aduocatorum istorum nec in LEGE SALICA, nec in altera RIPVARIORVM, occurrere vestigium Et Francico.

obferuarim, faepe tamen eorum mentio fit in Carolingorum conftitutionibus, quibus cauetur, vt fint viri honefti atque integrae famae, non inceftis nuptiis polluti, CAPITVL. *Lib. VI.* §. 306. nec calumniae in aliis iudiciis conuicti, IBID. *Lib. VII.* §. 114. fed publice electi a miffis dominicis, LEHMANN. *chron. Spir. Lib. II. cap.* 26. et expertae probitatis. Nam feuere animaduertebatur in eos, qui quid calumniae cauffa fecerant, iifque non modo aduocatione interdicebatur, CAPIT. *Lib. VII.* §. 114. verum etiam carceris poena imminebat, fi quando dictae a fcabinis fententiae nec ftare vellent, nec eam improbare, vel, vti Franci loqui folebant, blafphemare auderent. CAROLVS M. *Capit. leg. Salic. tit.* 8. *

* Hoc loco aduocati vocantur CLAMATORES et CAVSIDICI. Et prius quidem vocabulum et alibi paffim occurrit in monimentis Francicis, veluti CAPITVL. *II. ann.* 805. §. 8. CAPIT. *I. ann.* 810. §. 1. *et* CAPIT. *II.* §. 8. CAPITVL. *ann.* 823. §. 12. CAPIT. *de villis cap.* 57. HINCM. *opufc. V.* Idque non ideo inditum aduocatis, quod clamoribus iudices obtunderent; fed quod poftulare Francis effet *clamare*. Hinc *clamare pro cauffis*, idem eft, ac agere, CAPITVL. *Lib. I.* §. 10. et *proclamare*, in ius vocare vel intendere litem. LEG. SAL. *tit.* 39. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 399. *proclamatio* actio. PETR. DIAC. *Chron. Cafin. IIII.* 48. et actores dicuntur clamantes, CAPITVL. *ad Leg. Sal.* §. 2. itemque aduocati *reclamatores* LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 53. §. 23. in iudicio accufati *clamodici*. CAPIT. CAROLI CALVI. *tit.* 39. §. 3. Solebant enim accufatores in cauffis maxime criminalibus, nec non vim maiorem paffi, accufationem proferre cum clamore, *mit geruffte*, ceu infra fuo loco monebimus.

§. LXXXIII.

Denique Langobardico? — Reliquae leges vix meminerunt aduocatorum, praeter LANGOBARDICAM. Quum enim et haec gens paullo plus tribueret iuri fubtiliori et formulario: homines plebei, et harum rerum imperiti vix poterant aduocatorum iurifperitorum opera carere. Hinc apud illos eadem fere omnia, ac apud Francos, obferuamus. Nam et hic publica auctoritate, praefentibufque comitibus, eligebantur viri non modo periti, fed et honefti iuftique ac aequi amantes. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 48. §. 1. 2. 5. quamuis merito dubites, ecclefiarumne aduocatos hic intelligant legislatores, an eos, qui priuatorum cauffas agunt. Id certius eft, non potuiffe apud Langobardos quemquam pro alio poftulare, nifi cui eius rei poteftatem vel rex, vel iudex feciffet. IBID. *Lib. II. tit.* 52. §. 1.

§. LXXXIIII.

Procuratorum quae ex his legibus conditio fuerit? — Haec de aduocatis. Horum vero difcrimen a procuratoribus non ignoraffe veteres Germanos, fatis conftat. Procuratores *adfertores* vocat LEX WISIGOTHICA, *Lib. II. tit.* 3. §. 2. *et* 3. quum alias iure Romano ii demum, qui in cauffa liberali pro alio poftulabant, eo nomine venirent, moribus Germanorum autem in hifce cauffis procurator non admitteretur. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 274. Eum exhibere oportebat mandatum, fiue a domino, fiue a teftibus fubfcriptum ac fignatum. LEX WISIG. *ibid.* §. 3. Qualia fcripta mandata paffim fuperfunt apud MARCVLF. *Form. Lib. I. cap.* 21. *Lib. II. cap.* 31. *Adpend. cap.* 9. 25. 53. FORM. SIRM. *cap.* 20. FORM. LINDENBR. *cap.*

cap. 183. Ceterum quemadmodum ne iure quidem Romano omnes promiscue poterant fieri procuratores: ita et Germanorum moribus ab ea opera abstinendum erat feminis, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 3. §. 6. seruis, nisi dominorum dominarumue suarum, ecclesiarum, pauperum, vel fisci negotia suscepturis, IBID. §. 3. denique quibuscumque infamia notatis. Nam in ADDIT. CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 7. generalis occurrit regula: *Infamis persona nec procurator esse potest, nec cognitor*, desumta ex PAVLLO *recept. sent. Lib. I. tit.* 2. §. 1. *

* Immo et alia pleraque, quae de procuratoribus in Germanorum legibus praecipiuntur, ex iure Romano expressa esse, animaduertimus, veluti quod femina mandatum suscipere non posset, posset vero suam caussam in foro agere. PAVLL. *ibid.* §. 2. quod mandatum ad acta esset exhibendum. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 3. §. 2. Immo et ius Romanum sapiunt, quae eaedem WISIGOTHORVM leges de reuocando mandato praecipiunt. *Lib. II. tit.* 3. §. 5. Mere vero Germanicae, quae de lucro et incommodo ad dominum, non ad procuratorem, pertinente, ipsaque mercede huic a mandatore soluenda dicuntur. IBID. §. 7.

§. LXXXV.

Agere qui potuerint iure Sax. et Sueu.

Enimuero vt iam ad medii aeui iurisprudentiam Germanicam progrediamur; veteres mores et his temporibus viguisse, obseruamus. Primum enim in caussis ciuilibus ACTORIS vice omnibus fungi licebat, quorum intererat, praeterquam diris deuotis et praescriptis, *die in acht vnd bann waren*, qui quidem rei fieri, at non agere poterant. IVS PROV. SAX. *Lib. III. tit.* 16. et SVEV. *cap.* 124. *et cap.* 26. Neque tamen quemquam ad agendum cogebant inuitum praeterquam quod accusator, semel edito clamore, litem persequi tenetur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 62. *Man soll niemand zwingen zu einer klag, die er vor gericht nicht angefangen, noch begunst hat. Ein ieglicher mann mag wol seinen schaden verschweigen, vnd nicht klagen, dieweil er will.* * *Schreyet er aber das gerufft vmb vngericht, das an ihm begunst ware, das muss er vollfuhren mit rechter klage.*

* Itaque maiores nostri ignorasse videntur prouocationes ex *lege diffamari* et ex *lege si contendat*, quippe ex iure Romano demum in fora Germanorum inuectas. Nec reliqui casus, quibus aliquis ad agendum cogi potest, in iurisprudentia patria locum habuisse videntur, veluti *L.* 13. §. *pen. D. de act. emt. L.*75. §. *vlt. D. de legat.* 1. *L.* 8. §. *vlt. D. de opt. leg. L.* 2. *pr. D. ad L. Rhod. de iactu. L.* 5. §. 12. *D. commod. L.* 1. *C. de his quib. vt indign.* Nam vti non tam subtiles erant in pactis adiectis formulisque legatorum concipiendis, ac Romani: ita non dubitabant, quin ob iactum factum actio directa danda sit iis, quorum merces iactae fuerant, aduersus reliquos, qui sua seruauerant, ad damnum contributione sarciendum. Quin ne opus quidem vlla actione fuit, ideo, quod contributio statim fieret in portu, nec antea seruatae merces traderentur. Vnde vocatur *hauerey*. SCHILT. *Exerc. XXVII.* §. 129. Vid. IVS WISBYENSE *art.* 20.

§. LXXXVI.

Quinam personam standi in iudicio habuerint.

Neque tamen promiscue omnes habebant personam standi in iudicio. Nam filium pater defendebat, nisi esset correus: IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 17. vxorem maritus, feminam et pupillam tutor legitimus.

timus. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 46. IVS PROV. SVEV. *art.* 307. *et* 323. Ipsam tamen virginem vel viduam audiebat iudex de tutore suo conquerentem, eique hoc casu, et quotiescumque legitimi tutoris non esset copia, tutorem vel curatorem in litem dabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. cap.* 44. 46. 47. IVS PROV. SVEV. *cap.* 322. 307. Quae omnia etiam in persona rei locum habuisse, facile intelligitur.

§. LXXXVII.

Actor sequebatur forum rei, praeterquam in reconuentione.

Deinde non secus ac olim sub Francorum imperio actor sequebatur forum rei. Qui tamen semel in agendo seruauerat iudicis cuiusdam arbitrium, eum et contra se habere iudicem non dedignari debebat, vti loquitur ius nostrum *L.* 14. *C. de sentent. et interloqu.* Hinc cuiuis fas erat instituta reconuentione agere aduersus extraneum, a quo in foro suo fuerat conuentus: eoque pertinet regula iuris: *vvo der mann recht fodert, da sol er vviederumb rechtens pflegen.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. *Lib. III. art.* 79. IVS SVEV. *cap.* 87. Attamen IVS SVEVICVM *l. c.* excipit clericos. * IVS SAXONICVM vero *Lib. III. art.* 79. actiones criminales; eo enim pertinent verba: *vvo der mann klagt, da muss er vvieder antvvorten, ob man vvieder auf ihn klag, ohn zu kampfvvarts.* Ceterum vtrumque in eo conuenit, quod reconuentioni non prius sit locus, quam finita conuentione, praestitoque eo, quod iudicatum fuerit. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 12. et IVS PROV. SVEV. *cap.* 87.

* Attamen clericos non omnino excipit SPECVLATOR, sed eos saltim condictione certi ante tribunal iudicis ordinarii reconueniri posse statuit. En verba: *Wir sprechen, wo der mann recht fordert, da soll er auch recht nehmen, ohn geistlich leuth: die klagen wol vor weltlichen gericht, und man muss sie beklagen vor geistlichem gericht, ohn um ein sach. Vnd ist, dass ein geistlich mann einen leyen beklaget vor weltlichem gericht umb gult, der richter soll ihm richten, und will er ihm sein pfennig zur hand geben, oder gute pfand, das soll er nemmen, und der ley beklagt den geistlichen mann wohl vor vveltlichem gericht, und der richter soll ihm richten mit recht, aber den geistlichen mann, NB. aber nicht dann umb gult.* At glossator IVR. SAX. *Lib. II. art.* 12. ne clericis quidem gratiam facit reconuentionis, qua in iudicio ordinario pulsetur. Ait enim: *Hiebey aber vvisse dieses, dass in der vviederklage muss auch ein bischoff vor einem schultheissen zu recht stehen, und der bauren vrtel leiden, vor den er zuvor geklaget hat.* Et sane in reconuentione cessare fori priuilegium, etiam clericis competens, modo caussa, ob quam reconueniuntur, sit talis, vt eam iudex ordinarius cognoscere possit, ipsi iuris canonici doctores plerique bona fide agnoscunt. FELIC. DE OLIVA *de foro eccl. Part. III. quaest.* 32.

§. LXXXVIII.

Forum domicilii, rei sitae, delicti.

Quamuis vero et hoc tempore forum commune ordinarium esset illud, quod DOMICILII vocant, quumque istud turbarent iudicia Westphalica, imperii ordines sibi saepe prospicerent impetratis priuilegiis de non euocando: de quibus IMM. SVTORIVS libro singulari, edito Ienae 1661. attamen actiones in rem et hoc temporis tractu non alibi, quam in foro rei sitae instituendas esse, putarunt. Testimonium ex IVRE SVEVICO iam supra adduximus. Iam addi possunt, quae ex notitia iudicii Ruperti Imp. anno 1405. inter Siboldum Seelmen

men et Sifridum Wamboldum excerpsit SCHILTER. *Exerc. XIII.* §. 31. *not. a.* Ad forum delicti pertinet IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 59. ex eoque patet, vbi delictum admissum, reusue deprehensus fuerit, ibi eum forum agnouisse. Fori originis, contractus, reliquorumque, immo et moris, reum secundum ius originis suae iudicandi * in his iuribus vix volam vel vestigium exstare videas.

* Quamuis enim exstet locus IVRIS SVEV. *cap.* 111. ex quo colligere possis, translato domicilio etiam priuatos ius, quo antea vixerant, non mutasse, siquidem ibi SPECVLATOR diserte scribit: *Ein ieglicher mann, auff den man klaget, der sell antwortten nach seiner geburt*: sensus tamen est, eum iudicandum esse, ex iure, quod in loco domicilii viget, non ex eo, quo actor vtitur. Ita enim speculator verba interpretatur, dum addit: *das ist, nach seinen rechten, vnd nicht nach des klegers-recht*, quamuis postrema verba desiderentur in editione BERGERIANA *p.* 320. Add. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 33. Vterque excerpit prouocationem ad singulare certamen, *vvann man ihn vmb kampff ansprichs. Denn des mag er wohl vvegern zu antworten, ohne in dem lande, da er innen gebohren ist*. Vel vti SPECVLATOR SVEVVS loquitur: *Sprecht ein mann einen kampfflichen an, so mag er des kampffs da wol ilber werden, ob er von dem land nicht gebohren ist, da er ihn anspricht*.

§. LXXXVIIII.

At eodem tempore passim magis magisque inualuisse animaduertimus fora, quae priuilegio nituntur. Quod vt exemplis illustremus, notum est, ciues academicos iam saeculo XII. foro ordinario exemisse Fridricum I. Imp. *auth. habita C. ne fil. pro patre.* idque deinde et principes obseruasse, quum academias conderent. Vid. statuta acad. Vienn. apud LAMBEC. *biblioth. Vindeb. Lib. II. cap.* 5. *p.* 95. et diploma Ruperti Palat. ann. 1386. apud TOELN. *cod. dipl. Palat. p.* 126. Sed et iudicia metallica passim floruisse saec. XIII. ex ALBINI *Meisn. berg-chronic. tit.* 7. *p.* 64. *sequ.* aliisque eius aeui monimentis probat illustris ENGELBR. *de iudic. metall. cap.* 1. §. 5. Sic et curiarum dominicalium possessores hoc aeuo cognouisse caussas emphyteutarum suorum seu mansuariorum, patet tum ex IVRE FEVD. SAX. *cap.* 69. tum ex ALAM. *cap.* 125. §. 1. et maxime ex vetustis monimentis, quae IO. SCHILTER, singulari *de curiis dominicalibus* dissertatione edidit. Vt iam non dicamus de iudiciis siluestribus, quorum ac metallicorum veterem faciem ostendunt Goslariensium leges metallicae apud LEIBN. *script. rer. Brunsu. Tom. III. p.* 325. de feudalibus, de quibus omnia in vulgus nota sunt, aliisque, de quibus HERT. *de consult. leg. et iudic. in spec. imp. Rom. Germ. rebusp.* §. 24. *sequ.*

Varia fora priuilegiata, quorum origo in haec tempora incidit.

§. LXXXX.

Id vero praetermittere non possumus, in iudiciis feudalibus aeque ac aliis, quorum adsessores eligebantur, neminem temere admissum, nisi qui eiusdem cum reo status ac conditionis esset. * IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Schoeppenbar-freye leute mogen vrtheil finden über einen ieglichen mann, es mag aber vber sie kein mann vrtheil finden, das ihnen an ihren leib, oder an ihre ehre gehet, oder an ihr erbe, noch ihr vrthel schelten, er sey ihnen dann ebenburtig.* Quare plane

Iudices electos reo dignitate pares esse oportebat.

plane Germanica sunt, quae in hanc sententiam sanxit HENRICVS I. *Rex Angliae, leg. cap. 31: Vnusquisque per pares suos iudicandus est et eiusdem prouinciae: peregrina vero iudicia modis omnibus submouemus.*

* Id in reliquis omnibus actibus, qui ad iudicium pertinent, obseruabatur. Sic enim e. gr. nemo poterat alterum ad singulare certamen prouocare, nisi eiusdem esset conditionis ac dignitatis. IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 29. *et* 65. Quod eleganter exprimit SPECVLATOR SVEV. *cap.* 164. *Ein ieglicher mann vvird vvohl uber, dass er nicht kampffet mit seinen vngenossen. Ein ieglich mann muss kampffen mit seinen genossen, oder auch mit seinen ubergenossen.* Et hinc quum Otto Bauarus ab Henrico IV. Imp. iuberetur cum Eginone, accusatore, manus conserere: improbabant conditionem principes, iniquum esse dicentes, hominem illum cum nobilissimo componi. LAMB. SCHAFFN. MON. HERVELD. et BERTOLD. CONST. *ad ann.* 1070. CHRONOGR. SAXO *ad ann.* 1071. Sed et testes contra vasallum non audiebantur, nisi illi natalibus pares, ceu diserte monet auctor IVRIS FEVD. SAX. *cap.* 25. §. 1. *et* 2. *edit. Lat.* Nam in exemplaribus Germanicis *cap.* 46. haec non exprimuntur. Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 78. IVS FEVD. SVEV. *cap.* 3. *cap.* 142. §. 5. Quin obseruauit CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. Tom. III. p.* 137. ne arrestum quidem indici alicui potuisse regum iussu, nisi ab homine eiusdem conditionis. Et hinc facile patet, cur conuasalli, ad iudicium feudale euocati, dicti sint pares curiae, puta quasi eiusdem conditionis, ceu contra GVIL. BVDAEVM, HADR. TVRNEBVM, PITHOEVM, CHOPPINVM, aliosque, eius vocabuli originem a patriciis Francicis arcessentes, solide probauit laudatus DV FRESNE *glossar. Lat. ibid. p.* 134.

§. LXXXXI.

Qui aduocati esse potuerint?

Quod ad ADVOCATOS attinet, ii in IVRE SAXONICO aeque, ac SVEVICO, plerumque vocantur *fursprechere*, et aliquando *vormunden*, quasi pro aliis postulantes. Excusabant vero Germani non modo pueritiam, sed et adolescentiam. Nam quum SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 74. monuisset, iudicis officio fungi non posse annis 21. minorem, vel maiorem 80. annis: statim subiicit: *Alles vvas vvir haben gesprochen, dass an den richtern soll seyn, das soll auch an den fursprechern seyn.* Nec minus postulare pro aliis prohibebant feminas, eumque in finem et IVS PROV. SAX. *Lib. II. cap.* 63. et IVS PROV. SVEV. *p.* 287. *edid. Bergerianae* ad C. Afraniae exemplum nos remittunt, quod vterque SPECVLATOR, et maxime prioris interpres Latinus, satis ridicule referunt. Denique IVS SVEV. quod *cap.* 74. idem in aduocato exigit, quod in iudice, postulare prohibet periuros, proscriptos, diris deuotos, infideles, haereticos, spurios, rusticos, claudos, caecos, mutos et fatuos, * vt satis adpareat, honorificum fuisse hoc officium, quod et Germani nec a vulturibus togatis, nec a faece hominum pollui voluerint.

* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. hic a Sueuico non discrepare obseruamus, nisi quod prius et clericos pro aliis postulare vetat. At enim: *ieglicher mann mag vorsprech seyn in dem lande zu Sachssen, zu land recht, (ohne pfaffen,) den man an seinen rechten nicht beschelten mag.* At IVS PROV. SVEV. *cap.* 88. hanc parenthesin omittit. Verumque porro eodem articulo et blaesum (*einen stammelnden mann,*) postulare posse, ait, quamuis id fraudi non sit clienti, si aduocatus linguae vitio bonam caussam male egerit. Recte autem SPECVLATOR SAXO addit: *zu land-recht*, quod itidem SVEVVS omisit. Iure enim feudali vasallus, quantumuis integrae famae, aduo-

aduocati munere fungi non poterat, nisi saltim dimidio manso vel libra argenti (*mit einem pfund gelds der denpfennig*) inuestitus esset. IVS FEVD. SVEV. *cap.* 25. Quin *cap.* 142. §. 5. legimus: *uber fursten und uber ander herrn, die fahn leben haben, mag niemand fursprech geseyn, noch urtheil finden in lebenrecht, wann der auch ein furst ist, oder fahn-leben hat.*

§. LXXXXII.

Sed et in eo moris veteris patrii diligens mansit custodia, quod non suo sibi quisque arbitrio aduocatum sumeret, sed is petendus impetrandusque esset a iudice. IVS PROV. SVEV. *cap.* 90. §. 3. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 60. Aliquando is aduocatum ex officio dabat illis, qui indefensi videbantur, IVS PROV. SVEV. *cap.* 74. §. 2. nec non pauperibus, quibus hic gratis patrocinium praestare tenebatur, IBID. §. 4. quum alioquin honorarium iure sibi stipularetur. IBID. §. 1. Nec quisquam a iudice datus detrectare poterat hoc officium, nisi ex iustis caussis, quas ita exprimit SPECVLATOR SAXO *Lib. I. art.* 60: *Vorsprecke mag sich niemand wiedern zu seyn im gericht, da er inn wonhafftig ist, oder da er sein gut innen hat, oder da er recht fordert, ohn auf sein gebornen freund, oder auf seinen herren, oder auf seinen mann, ob ihm die klag an sein leib, oder an sein gesund, oder an sein ehr gehet.*

Ii postulandi atque impetrandi erant a iudice.

§. LXXXXIII.

Neque tamen quisque cogebatur aduocati opera vti, si suo periculo pro se postulare mallet. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 60. *Ohne vorsprechen mag ein mann vol klagen und antworten, ob er sich des schadens erwegen will, der ihm dauon kommen mag, als ob er sich verspreche, dass er sich des nicht erhohlen darff, als er mit dem versprechen wohl thun mag, dieweil er nicht an sein wort gehet.* Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 86. §. 2. Neque aduocato vti poterat, qui ipse iam litem erat contestatus. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 30. Contra ea qui semel aduocato caussam mandarat, ei non licebat caussam pro se agere. Rata si quis habuisset ea, quae aduocatus in foro dixerat, huius oratio et proderat et oberat clienti, * IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 62. alias hic in integrum restituebatur. IDEM *Lib. III. art.* 14. *Ob ein mann an seines vorsprechen wort nicht gehet, dieweil bleibt er an seines vorsprechen worten ohne schaden.* Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 86. §. 2. 3.

Quid iustum circa aduocatos tum recipiendos, tum iam receptos?

* Hinc aduocatus actoris vel rei veniam petere poterat a iudice, clam colloquendi cum cliente suo, et mandaturo, quae dicta vellet. Rem ita describit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 86. §. 3. *Das ist nach der leut gewonheit, als der Mann fursprechen genimmt, so soll er ihm nicht offenbar sagen, er soll ihm zuraunen, was er will. Der fursprech soll ihm gesprechs begeren, das soll ihm der richter erlauben. Und will er zu lang sprechen, der buttel soll ihm gebieten, dass sie wieder fur den richter kommen.* Quum ergo ita arcanorum particeps fieret aduocatus, prudenter sanxerant Germani, ne aduocatus praeuaricari, vel ab actore ad reum transire, vel in eadem caussa contra eum, cui antea patrocinium suum commodauerat, postulare posset, IVS PROV. SVEV. *cap.* 74. quin vt damnum omne resarcire teneretur, quod negligentia sua clienti dedisset, dolum vero praeterea amissione lueret, nisi eam a iudice decem libris redimere mallet. IBID. §. 2.

§. LXXXXIIII.

Procuratores Saxones et Sueui non admittebant, nisi ad absentiam excusandam.

Ceterum ex his, quae hactenus diximus, satis intelligitur, aduocatos hos, quos Latinus iuris Saxonici interpres *ferendarios* vocat, datos tantum esse praesentibus in iudicio. Absentes procuratorem pro se mittere non poterant, adeoque vsus PROCVRATORVM his temporibus fere nullus fuit. SCHILT. *Exerc. X.* §. 40. Saxones enim absentibus permittebant, vt absentiam excusarent per procuratorem, (*durch einen bothen*:) * sed is tunc non poterat caussam domini agere, sed dilationem tantum aliquam impetrabat. Aliquando datis fideiussoribus de sistendo vadimonio cauebat absens. Tunc si non obitum esset vadimonium, non domino per procuratorem caussas sonticas allegare licebat, sed ipsis fideiussoribus. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 7. vvelcher eine dieser vier sachen den mann irret, dass er zu geding nicht kommt, vvird sie bevveist, als recht ist, von einem seiner* BOTEN, *vver der sey, er bleibt es ohne scaden, und gevvinnet des tages bis an das nechste geding; nachdem er von der ehehafften noth ledig vvird. Wer aber burgen setzet furzukommen; benimmt es ihm die ehehaffte noth, dass er nicht vorkommen kan, die ehehaffte noth sollen seine burgen bevveisen, oder benennen, oder darumb schweren auf den heiligen, und anders keiner seiner* BOTEN. Similia de vasalli procuratoribus habet IVS FEVD. ALAM. *cap.* 116. *Mag der mann nicht gevvarlich vorkommen, so soll er sein* BOTEN *darsenden, der soll sein ehehaffte noth de bereden: Der* BOT *mag seyn ein ieglich mann, der an seinen rechten vnbescholden ist, so soll ihm der herr einen andern tag geben.*

* Procuratores itaque, excusantes eorum absentiam, dicebantur BOTHEN, *missi, nuncii*. GLOSSAR. MONSEENSE apud PEZIVM *p.* 377. POTO *internuncius*. Ex quo iam patet, cur post Francorum in Germania imperium, ii, qui regium fiscum in Sueuia curabant, dicti sint camerae nuncii. EC-KARDVS *de casib. monast. S. Galli cap.* 1. *Nondum adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat reducta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie et Francia. Procurabant, ambas* CAMERAE, *quos sic vocabant*, NVNCII. Camerae enim nuncios recte GOLDASTVS *in not. p.* 108. exponit *procuratores fisci*.

§. LXXXXV.

Axiomata.

Ex his vero, quae de iure vetere hactenus praemisimus, satis perspicuum est, I. Germanos non admisisse ad agendum, nisi qui iure Germanico haberent personam standi in iudicio. II. Actorem sequutum esse forum rei, eique III. ius dictum esse secundum leges eius prouinciae, in qua actionem instituerat. IIII. Aduocatos a iudice fuisse impetrandos; at V. ab iis tamen vix discrepasse procuratores, qui VI. penetrante demum in fora Germanorum iure canonico, aliorum mandato caussas agere coeperunt.

§. LXXXXVI.

Conclusiones de persona standi in iudicio.

Ex primo itaque axiomate patet, (1. non esse ex iure Romano, sed ex ipso iure Germanico, quod infantes, furiosi, mente capti, non habent personam standi in iudicio, sed eorum nomine tutores et agant, et conueniantur. (2. Eiusdem originis esse, quod pater agat nomine filii, in potestate sua constituti, tamquam tutor eius legitimus: (Lib.

I. §.

I. §. 138. 5.) nec non (3. quod plerisque locis, vbi Themis Romana iurisprudentiam patriam non plane egit in exsilium, vxoris nomine vel maritus agat, vel (4. curator in litem ei constitutus, STAT. HAMB. *Part. I. tit. 9. art.* 5. immo (5. nec reliquae feminae innuptae et viduae sine curatoribus sese in iudicio sistere possint. Ita enim (6. iure Saxonico, Magdeburgico, Holsatico, Lubecensi, Hamburgico, se rem habere, inter omnes constat.

§. LXXXXVII.

De foro rei sequendo.

Ex secundo reddideris rationem, (7. cur et hodie earum tantum specierum fori, quarum supra vestigia in iure Germanico deprehendimus, habeatur ratio, adeoque (8. apud nos nullum sit forum originis: et (9. forum contractus rarissimum, nisi citatio reum in eo deprehendat, quamuis ne iure quidem Romano rem aliter se habere, contra eos, qui alia omnia ex *L. 19. §. 1. D. de iudic.* colligunt, probarit STRYCHIVS *vs. digest. Lib. V. tit.* 1. §. 21. (10. Cur contra fora domicilii, rei sitae, delicti, priuilegiatae, prorogatae iurisdictionis, et illud maxime (11. quod per reconuentionem nascitur, et hodie vbique obtineant in Germania, quippe nec maioribus nostris ignota, quamuis iuris Romani ignarissimis.

§. LXXXXVIII.

De iure, ad cuius normam in iudiciis pronunciandum.

Quemadmodum porro olim ius dictum est secundum leges eius prouinciae, in qua actor actionem instituerat: ita (12. idem et hodie obseruatur: praeterquam (13. si iudicium aliquod supremum plures prouinciae, diuerso iure vsae, agnoscant, qualia sunt suprema imperii iudicia. Id enim eius prouinciae iura obseruare in iudicando tenetur, ex qua caussa illa ad iudicium supremum deuoluta est. ORD. IVD. CAM. *ann.* 1507. §. 1. *nach inhalt gemeiner rechten, oder loblicher gevvohnheit, vnd gebrauch ieden orts.* Conf. ORD. *an.* 1495. 1521. ORD. CAM. *ann.* 1619. *P. I. tit.* 19. *pr.* Quin (14. et id obseruandum est, standum esse pactis, contractibus, testamentis, secundum loci cuiusque, vbi facta sunt, leges et consuetudinem factis, at (15. si in illis quidquam dispositum sit de rebus immobilibus, contra leges et iura prouinciae, vbi sitae sunt, magis huius prouinciae, quam eius, vbi actus explicatus est, leges ac consuetudines seruari oportere. HVBER. *de conflictu leg. diuers. in diuers. imp.* §. 3. *sequ.* §. 12. *sequ.* §. 14. *sequ.*

§. LXXXXVIIII.

De aduocatorum constitutione.

Quumque iam olim aduocati essent a iudice impetrandi: (§. 95. 4.) facile intelliges, (16. cur et hodie non cuiuis liceat caussas agere in foro, sed (17. plerumque a superioribus constituatur certus aduocatorum numerus, nec (18. et temere quisquam adscribatur, nisi qui doctrinam moresque illis, instituto examine, satis probarit. Quin (19. cur, si vel maxime aliquibus extra ordinem ius postulandi concedatur, tamen et hi non nisi auctoritate publica, et indulgente principe, vel eius consilio, iure illo gaudeant, * et hine (20. plerumque vocentur *furstliche hoff-aduocati, konigliche regierungs-aduocati*, etc.

* Quod adeo verum est, vt ne doctoris quidem dignitas amplius vbique sufficere videatur, sed doctoribus quoque, si facultatem caussas in foro agendi non rite impetrarint, obstet exceptio, *was massen sie sich ad praxin in hoc foro, noch nicht legitimiret*. In dubio ergo in his prouinciis producendum est diploma, quo quis aduocati dignitatem facultatemque caussas agendi est consequutus; vel si illud exhibere nequit, a limine iudicii repellitur.

§. C.

Eorumque officio et coercitione.

Ex eodem est (21. quod magistratus ex officio aduocatum dat pauperibus, modo (22. vel testimonio magistratus, vel iureiurando praestito, probent, *dass sie in ihrem vermogen so viel niht haben, dass sie einen aduocatum besolden, vnd die gerichtskosten abstatten konten*.* Rivin. *ad ordin. process. Sax. tit.* 1. *enunc.* 13. Beyer. *posit. pandect. Lib. III. tit.* 1. §. 28. *sequ.* Quod (23. in multis iudiciis constituti sunt aduocati pauperum, quorum ad officium pertinet, eorum caussas agere: alibi (24. caussae pauperum inter aduocatos distribuuntur, vt singuli, tangente eos ordine, pro iis postulare teneantur, gratis quidem, si succubuerint, at recepturi honorarium, si victoriam reportarint. Ziegl. *ad ord. proc. Sax. tit.* 1. *verb. damit armuths wegen.* Denique (25. quod merito aduocatione interdicitur vel mulcta irrogatur iis, qui fraudibus, falsisque adlegationibus, quam argumentorum robore, victoriam impetrare maluerunt, qui falsum admiserunt, vel praeuaricatione, tergiuersatione, calumnia, similibusque delictis, eo ordine se indignissimos reddiderunt. Berg. *ad ord. proc. Sax. tit.* 3. *obs. sequ.*

* Ast quis iure nostro pauper est? Sunt qui eum pro paupere habendum existimant, qui ne 50. quidem florenorum substantiam possideat. RIVIN. *ad process. Sax. tit.* 1. *enunc.* 12. ZIEGL. *ad ord. proc. ibid. verb. den armen.* At BEYERVS *posit. Pand. Lib. III. tit.* 1. §. 30. *not. f.* obseruat, alibi iurare debere pauperem, *dass er so arm, an fahrenden vnd liegenden gutern auch ausstehenden schulden, dazu er ohne process gelangen konte, dass er nicht 200. gulden im vermogen habe, auch nicht vermoge, in seiner rechts-sache die canzley- vnd andere gebuhren zu erlegen, oder einen aduocatum zu besolden, auch solches nirgends zu erlangen wisse, vnd vmb leistung dieses eydes, sein gut vnd habe nicht veraussert, noch andern vbergeben habe, auch keinen burgen auff bringen konne.* Sed dubito, an ad certam quantitatem exigi possit paupertas, ac non potius ad personae conditionem ac dignitatem familiae, quam alere tenetur, magnitudinem, similesque circumstantias attendendum sit. Quae alii diuitiae sunt, alteri pro paupertate essent futura, si nihil vltra possideret. Ceterum hoc omnino iustam rationem habet, quod iureiurando huic inseri solet clausula: *dass, so er im rechten obliegen, oder sonst zu vermogen kommen wurde, er alsdann einen iedem nach seiner gebuhr auffrichtige zahlung thun wolle:* itemque, quod poena carceris coercentur pauperes, quos litem temere ac per calumniam mouisse, adparet. RIVIN. *ibid. enunc.* 19.

§. CI.

De procuratoribus ordinariis.

Ex quinto axiomate (§. 95. 5.) discimus, cur (26. aduocati plerumque simul et procuratorum munere in foro fungantur, et hinc (27. non solum consilio adsint clientibus, sed et mandato instructi in foro absentium caussam agant. Cur quamuis (28. negari non possit, in iudiciis superioribus distincta esse solere horum, et aduocatorum officia: tamen (29. non cuilibet procuratoriam operam praestare liceat, sed vbique a magistratu constituantur procuratores ordinarii, quorum vni quis-

quisque caussam mandare possit, quin (30. non modo possit, sed debeat, quum, ne lis, alterutra parte absente, nimis protrahatur, plerisque legibus cautum sit, *dass die partheyen bey gewisser straffe procuratores ad acta zu constituiren schuldig seyn sollen*, idque (31. multo magis necessarium sit, si ciuitates, aliaeque vniuersitates in foro vel agant vel conueniantur.*

* Mirum est de syndicis vel procuratoribus ciuitatum vniuersitatumque nihil paene occurrere in legibus Saxonicis et Sueuicis, quum tamen dubitari nequeat, quin illae et his temporibus frequenter litigarint, et ipsum IVS SAX. *Lib. III. art.* 86. disquirat, quomodo ob damnum aliis datum mulctanda sit vniuersitas? Sed ex hoc ipso articulo non abs re colligere mihi videor, praefectum pago, (qui vocatur *der bauermeister*,) pro vniuersitate caussam egisse. Ait enim SPECVLATOR: *Wegern sie aber der rechten, vnd werden sie aber vor dem oberrichter verklaget: ihr bauermeister muss vor sie alle wetten ein gemein gewette, vnd den gebauren mit 30. schillingen bussen, vnd ihnen allen schaden gelten.* Vix autem adparet, quo iure mulcta exigi potuerit a praefecto, nisi pro vniuersitate interuenisset. Ceterum et syndicos impetrandos fuisse a superiore, luculenter probari potest ex *cap. 7. X. de procur.* vbi vniuersitas Parisiensis ab Innocentio Papa III. petit, vt sibi syndicum vel procuratorem constituere liceret. Conf. HIER. BIGNON. *ad Marculf. Lib. I. cap.* 21. et SCHILTER. *Exerc. X.* §. 40.

§. CII.

Eorumque constitutione.

Ex eodem axiomate patet, (32. cur ex plurium gentium ac ciuitatum moribus non admissus sit procurator, nisi indulgente vel principe, MARCVLF. *formul. Lib. I. cap.* 21. IO. FABER *ad* §. 6. *inst. de rer. diuis.* vel (33. iudice. LAMB. GORIS *ad consuet. Velau. cap.* 16. *ad rubr. n.* 2. *et* 3. Cur (34. quamuis id postea, (et quidem in Gelria anno demum 1629.) ab vsu recesserit: nihilominus tamen ibi et Machliniae non admittatur procurator, nisi apud acta constitutus. LAMB. GORIS *ibidem art.* 1. idemque (35. obseruetur et alibi, veluti Noribergae. REFORM. NORIB. *tit.* 5. §. 1. 2. nec non in Hassia et prouinciis Nassouicis, ceu obseruauit SCHILTER. *Exerc. X.* §. 40.

§. CIII.

De hodierna procuratorum conditione.

Denique quum pleraque alia, quae hodie iusta existimantur circa procuratores, non ex iure Germanico, sed vel ex Romano vel canonico nata sint: (§. 98. 6.) (36. actum omnino nobis agere videremur, si quae in omnibus iurisprudentiae vtriusque compendiis ea de re traduntur, cum lectoris taedio hic repeteremus, maxime quum ne illa quidem omnia eodem vbique modo sese habeant. Praeterea otium hic nobis fecit vir olim musis nostris amicissimus, nunc eheu desideratissimus, CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNVS *diss. de origine et conditione procuratorum e iure Rom. et canon. nec non eorum progressu in forum Germanicum*, Hal. 1716.

* * *
* *
*

TIT. III.

DE IN IVS VOCATIONE, FERIIS ET DILATIONIBVS.

§. CIII.

Transitio ad in ius vocationem.

Qvum nefas sit, quemquam indicta caussa damnare, adeoque constare debeat, reo non ademtam fuisse occasionem sese defendendi: apud omnes pleraeque gentes receptum erat, vt is sollemniter in ius vocaretur vel citaretur ad iudicem, et nullum haberetur, quidquid in eum absentem iudex decreuisset, nisi probari posset, eum legitimo modo in ius vocatum citatumue esse. Idem ergo et Germanos, rituum sollemnitatumque studiosissimos, obseruasse, iam paucis erit demonstrandum, ostendendumque, quos ritus ea in re adhiberi voluerint, quidque requisiuerint, si legitima videri deberet in ius vocatio.

§. CV.

Citatio qualis apud Wisigothos?

Equidem quid antiquissimis temporibus iustum ea in re visum sit maioribus nostris, hodie nos scimus iuxta cum ignarissimis, quum hic nos destituat CAESARIS aeque ac TACITI diligentia. At IVRE WISIGOTHICO, ceu patet ex *Lib. II. tit.* 1. §. 18. reus, petente actore, citabatur ab ipso iudice per epistolam, ab adparitore insinuandam *coram ingenuis personis*, id est, adhibitis testibus, ne reus id postea posset inficiari. En verba: *Iudex, quum ab aliquo fuerit interpellatus, aduersarium querulantis admonitione vnius epistolae vel sigilli* * *ad iudicium venire compellat, sub ea videlicet ratione, vt coram ingenuis personis is, qui a iudice missus exstiterit, ei, qui ad caussam dicendam compellitur, offerat epistolam vel sigillum.*

* Hic SIGILLVM non est annuli impressio vel signaculum, sed ipsa epistola, quam medio aeuo frequenter eo nomine venisse, ipsisque Graecis vocatam esse σιγίλλιον, multis eius aetatis scriptorum testimoniis probant LINDENBR. *in glossar. p.* 1479. et CAR. DV FRESNE *gloss. Lat. et Graec. his vocib.* obseruantes, eamdem notionem illos subiecisse vocabulo *annulus* vel δακτυλιον, quod itidem vtriusque linguae scriptores acceperunt pro epistola. Enimuero eo minus dubitari potest, quin iudicii signaculo munitae fuerint citationes, quum alias nulla fuisset ratio, illas *sigilla* vel annulos adpellandi.

§. CVI.

Quam dilationem illi reis concesserint?

Eodem iure cautum fuerat, vt dilatio talis indulgeretur reo, quae ei sufficeret, sese ad iudicium praeparanti. Hinc pro itineris breuitate vel magnitudine minoris vel maioris temporis induciae dandae erant reis, e. g. ei, qui vltra centum passuum millia aberat, praeter ordinariam dilationem dabantur dies decem, qui vltra ducenta, viginti, et sic porro. IVS WISIG. *ibid.* Qua in re Romanos imitati videntur WISIGOTHI, qui dilationis tutori sese excusaturo dandae eodem modo ini-

finibant rationem, nisi quod hi in singula 20. * illi in singula 10. milliaria singulos dies darent. §. 26. *Inst. L. 13. §. 1. sequ. D. de excus. tut.* Quod et in aliis citationibus absentium obseruasse Romanos patet ex *L. 3. pr. D. de verb. sign.*

* Et quidem modicum videbatur iter hoc diurnum, ac proinde *talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa esse* dicitur. *d. L. 3. pr. D. de verb. sign.* Sane hanc viam iustus exercitus horis aestiuis quinque conficiebat, teste VEGET. *de re militari Lib. I. cap. 27.* idque iter Hadrianum Imp. peditem et armatum saepe facere consueuisse, testatur SPARTIAN. *Hadrian. cap. 10.* vbi conferendus IS. CASAVBONVS, et IVST. LIPS. *de milit. Rom. Lib. V. diss. 27.*

§. CVII.

Quo humaniores vero erant WISIGOTHI in concedendis reo induciis: eo seuerius animaduertebant in eos, qui in ius vocati non ibant. Ii enim, qui latitabant, aut fugam capessiuerant, 5. solidis auri, et qui sine fuga, (quam *dilatationem* vocat legislator,) contemserant iudicem, totidem solidis, pro parte actori, pro parte iudici exsoluendis, mulctabantur: quin si soluendo non essent, fugam et contemtum iudicis 50.; solum contemtum 30. flagelli ictibus sine infamia luebant, nisi se iureiurando a suspicione contemtus purgarent. Qua in re tam acerbae sunt WISIGOTHORVM leges, vt et episcopum vadimonium deferentem 50. solidis; presbyterum, diaconum, subdiaconum, vti alios laicos, mulctent, hosque, si vel soluendo non sint, vel episcopus pro iis satisfacere nolit, triginta dierum ieiunium ferre cogant, sub solis demum occasum pane et aqua reficiendos. Ei tamen, quem fuga abstulerat, intra quinque dies: absenti vltra centum millia passuum intra decennium, moram purgare licebat, eatenus, vt nec mulctam inferret, nec flagris caederetur, nec adfligeretur longo isto ieiunio: si intra has inducias vadimonium obiret. LEX WISIG. *ibid.*

Poena contumaciae.

§. CVIII.

Multo magis ergo impune ferebat desertum a se vadimonium, qui iustum legitimumque impedimentum adlegare, idque, praestito iureiurando vel testibus idoneis probare poterat.* Talia impedimenta legitima erant morbus sonticus, inundatio fluminum, nix cumulata et alta quae montes superari non pateretur, LEX WISIG. *ibid. d.* §. 18. immo et feriae quales ex eadem lege erant dies dominicus, pascha, quod 15. dierum erat, * dies natiuitatis Christi, circumcisionis, epiphaniae, pentecostes, feriae messium ac vindemiarum, quarum tamen illas, secus ac Romani, a 15. Kal. Aug. ad 15. Kal. Sept, has a 15. Kal. Octobr. ad 15. Kal. Nouembres, Carthagine vero, vbi perpetua erat ac anniuersaria locustarum pernicies, messis ferias a 15. Kal. Iul. ad 15. Kal. Aug. porrigebant, IBID, §. 11. quamuis has ferias humanas nec facinorosis hominibus, nec iis, qui iam litem contestati fuerant, *prodesse vellent*. IBID.

Ea cessabat ob impedimenta legitima et ferias.

* Duplex nimirum erat Christianis veteribus pascha σταυρώσιμον alterum, quod in memoriam passionis Christi celebrabant: alterum ἀναστάσιμον, quo Christi in vitam reditum ea, qua par est, pietate recolebant. Ad τὸ σταυρώσιμον

μον referebant totam hebdomadam sacram, quam ideo τὴν πασχαλίαν ἑβδομάδα, vel τὰς πασχαλίας ἡμέρας vocabant: ad ἀναγνώσιμον hebdomada, a paschatos die ad diem dominicam in albis, quam *pascha neophytorum* vocat AVGVSTINVS *Epist.* 119. *ad Ianuar.* De hac hebdomada CONCIL. IN TRVLLO *Can. LXVI.* cauet, *ut non neophyti tantum, sed fideles omnes, per hebdomadam paschae in templis commorentur, psalmos hymnosque canant, lectioni S. Scripturae attendant, et S. mysteriis fruantur, neque per hos dies spectacula aut ludi equestres fiant:* quod saeculo VIIII. et patres CONCILII MELDENSIS *can. LXXVII.* anathematis fulmen interminati, obseruari iusserunt. Ex quo patet, quinam sint quindecim illi paschatis dies, quos nefastos esse voluerunt WISIGOTHI.

§. CVIIII.

Citatio quomodo dicta Francis?

Apud FRANCOS citatio vocabatur *mallatio* vel *admallatio*, quia ad *mallum*, id est ad locum, vbi sui copiam faciebat comes, eiusue vicarius, reus euocabatur, itemque *manitio*, a vernaculo *mahnen* monere. ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 11. porro *adrhamitio*, non a ramo, cuius vsum aliquem in citationibus fuisse adfirmat probatque idem laudatus ECCARD. *ibid. p.* 73. sed a vernaculo *anberaumen*, quod in inferiore Saxonia adhuc efferunt *anberamen*: denique *solsadia* a *sole*, i. e. die, et Germanico *setzen:* vnde *solem collocare* est citare, vel diem dicere. LEX SAL. *tit.* 40. §. 1. *tit.* 43. *tit.* 53. Vid. ECCARD. *ibid. p.* 74. Qui enim citabatur, ei dies, dicebatur, quo die eum adesse in iudicio oporteret.

§. CX.

Quo ritu facta?

Id vero omnino extra omnem dubitationis aleam positum est, Francos, iurisprudentiae formulariae studiosissimos, certis ritibus vsos esse in citandis reis, qui quidem in eo videntur constitisse, quod actor praesentibus testibus reum in ius vocaret, et bacillum vel festucam in eius sinum proiiceret, ab eoque aliam, tamquam pignus vadimonii certo obeundi, reciperet. Testium sane mentio fit in LEG. SAL. *tit.* 59. §. 1. In sinum vero proiectam esse festucam, vel inde patet, quod citatus ideo dictus sit *adiactiuus* vel iectiuus. LEG. SAL. *tit.* 52. FORM. LINDENBR. 157. 159. 165. 167. 169. Denique et recepisse actorem festucam, argumento est locus LEGIS RIPVAR. *tit.* 30. §. 1. vbi festuca producta fidem facere dicitur actor.

§. CXI.

Quam dilationem reus citatus habuerit?

Habuere et Franci legitimam dilationem reo concedendam, quam aeque ac vetustissimi Galli et Germani, de quibus CAES. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 18. et TACIT. *de mor. Germ. cap.* 11. non numero dierum, sed noctium finiebant, ac proinde illud spatium *legitimarum noctium* nomine venit in charta Pipini regis, quam ex FELIBIENI *probat. hist. abbat. S. Dionysii cap.* 41. extulit ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 74. Ita vero dies, inter citationem et diem iudicii intermedii quorum modo tres, modo septem, modo 21. modo 42. indulgebantur, vocari solebant. LEG. SAL. *tit.* 40. §. 1. *tit.* 43. CAPITVL. *Lib. III. cap.* 45. Ipsum enim terminum, quem vocamus, dictum esse *solem*, ac inde esse phrases *solem collocare*, *solsadire*, iam paullo ante notauimus.

§. CXII.

§. CXII.

Poena contumaciae apud Francos.

Quemadmodum vero, qui iusto die sistebant vadimonium *placitum custodiuisse* vel *attendisse*, vel *adimplesse* dicebantur, modo vel *a mane vsque ad vesperam* vel per triduum in iudicio permansissent: MARCVLF. *Lib. I. form.* 37. FORM. *sec. legem Rom. cap.* 33. ita impune id non ferebant, qui *legitime adiactiui*, *vel admallati secundum legem Salicam*, constituto die aberant, et, nec excusabant absentiam, nec legitimum impedimentum, quod illis erat *sunis*, id est, *saumniss*, adlegabant. Mulctam enim 15. solidorum inferre cogebantur, tantumdemque debebat actor, qui alium citans ipse aberat. LEG. SAL. *tit.* 1. §. 1. *et* 2. Neque tamen statim pro confesso et conuicto habitus videtur contumax, sed iterum tertiumque illi dies erat dicendus, quo casu vel mulcta, vel debitum crescebat. LEG. SAL. *tit.* 53. §. 2. Si ne tunc quidem se sisteret, res eius *in bannum mittebantur*. CAPIT. *Lib. IIII.* §. 25.

* Hinc litigator, qui vadimonium obierat, a iudice petere solebat testimonium, quod die constituto adsuerit, et quamdiu exspectauerit aduersarium. Exstant formulae huiusmodi, quamuis satis barbarae, in FORMVLIS ANDEGAV. *cap.* 12. *et sequ.* apud MABILLON. analect. *Tomo IIII. p.* 243. ex quarum vna partem adscribemus: *Qui ipsi iam superius nomenati placetum eorum legebus a mane vsque ad vesperum visi fuerunt custodisse. Nam ipsa femena nec ad placetum aduenit, neo misso ad persona addirexit, qui* SONIA *redebuisset. Propterea necesse fuerit praedictis hominibus, vt hanc notitiam bonorum hominum manibus roboratis prosequere deberent, qualiter et visi sunt fecisse.*

§. CXIII.

Legitima impedimenta.

Talia legitima impedimenta, quae illis *sunis*, et, voce magis magisque in alium sonum detorta, *sunnis*, *sunnia*, *sonia*, *soinus*, *sonius*, *essonia*, *exonia*, *essonium*, *exonium*, *essoinus* vocabantur, aliquot in ipsa lege recensentur, veluti *dominica ambascia*, *infirmitas*, mors propinqui, cuius cadauer insepultum domi sit. LEG. SAL. *tit.* 1. §. 3. *et tit.* 19. §. 6. Nec Francorum insignis religio nos dubitare patitur, quin et feriis diuinis interquiescere voluerint forensem strepitum. Saltim diebus dominicis silere iusserunt vocem praeconis. CAPITVL. I. *ann.* 813. §. 15. et CAPITVL. *anni* 823. Nec dubium est, quin dies etiam festos nefastos habuerint. Ii autem recensentur a CAROLO M. *capitular. Lib. I.* §. 164. *Lib. II.* §. 35. *et in addit. I. Ludouici Pii* §. 46. *

* Sunt illi dies festi Natalis Domini, cum tribus insequentibus. S. Stephani, Ioannis Euangelistae et Innocentum, octaua domini, dies epiphanias, eiusque octaua, purificatio S. Mariae, Paschatis dies octo, Letania maior, dies Adscensionis Domini, Pentecostes, S. Ioannis Baptistae, SS. Petri et Paulli, S. Martini, et S. Andreae. Huic indiculo *Lib. I.* §. 164. additur: *De adsumtione S. Mariae interrogandum relinquimus*. Sed eam quoque inter dies anniuersarios retulit Ludouicus Pius *Lib. II.* §. 35. addiditque diem *dedicationis S. Michaelis*, *et natalem S. Remigii*, et *Addit. I.* §. 46. *diem S. Laurentii*. Merentur hic sane legi, quae de Caroli M. fluctuatione circa diem festum adsumtionis B. Mariae Virginis, ad illum Capitularium locum notauit STEPH. BALVZ. *Tom. II. p.* 1171.

§. CXIIII.

§. CXIIII.

Qualis in ius vocatio apud Alamannos?

Ceteras gentes, quae sub Francorum imperio legibus patriis viuebant, parum, quod ab horum moribus discreparet, videntur habuisse. Apud ALAMANNOS tamen videtur citatio facta in ipso iudicio, vel conuentu iuridico, cui omnes, ei iurisdictioni * subiectos, interesse debuisse, iam supra monuimus. Ita enim intelligenda videntur verba LEGIS ALAM. *tit.* 36. §. 3. *Si quis aliquem mallare vult de quacumque caussa, in* IPSO MALLO PUBLICO *debet mallare ante iudicem suum, vt ille iudex eum distringat secundum legem, et cum iustitia respondeat vicino suo, aut qualiscumque persona eum mallare voluerit.* Reo concedebantur induciae 7. *noctium, si pax parua esset in prouincia;* rebus tranquillis quatuordecim. * IBID. §. 2. Vadimonii vero deserti poena erat mulcta 12. solidorum. IBID. §. 3.

* Sed apud Alamannos breues admodum fuisse lites oportet. Nam vt IBID. §. 3. legimus, *in vno placito actor mallabat caussam suam: in altero, si vellet iurare, iurabat secundum constitutam legem, ideo in primo mallo spondere debebat sacramentales, et fideiussores praebebat, sicut lex habet, et wadium suum dabat misso comitis, vel illi centenario, qui praeerat, vt constituto die aut legitime iuraret, aut, si culpabilis esset, componeret, vt per neglectum non euaderet, aut si euaderet, 60. solidis de fredo semper esset culpabilis.* In primo ergo statim termino caussa finiebatur, si actor habebat confitentem reum, in altero, si reo inficianti deferretur iusiurandum. Et hinc IBID. §. 5. ait legislator: *Quod in vno placito finiri non potuerit, in alio finiatur.*

§. CXV.

Qualis apud Boioarios?

Apud BOIOARIOS priuatim quisque in ius vocabat aduersarium, praesentibus testibus. Si ire nollet, iudex, auditis testibus, qui eum in ius vocari audiuerant, ipse euocabat hominem, et non modo cognita caussa ferebat sententiam, verum etiam reum actori 12. et Duci 40. solidos pendere cogebat. Ita enim intelligendus est locus LEG. BAIVVAR. *tit.* 12. *cap.* 2. §. 1. *et* 2. *Si quis liber alicui libero, qui eum mallat, in qualicumque re dedignabitur iustitiam facere, ille qui quaerit caussam suam, habeat ibi testes duos vel tres, qui audiant, et videant, qualiter ille respondeat, vt possint ante iudicem testes esse. Tunc iudex iubeat eum in praesenti venire, et iudicet ei et componat 12. sol. quia non dignabatur iustitiam facere ei, cui debuit. Sic omnis, qui non dignabitur iustitiam facere ei, cui debuit, de qua re adpellatus fuerit, pro fatigatione, quam facit ei, qui eum adpellat, componat 12. sol. et postea respondeat secundum legem, et faciat iustitiam, sicut legem habet, duci vero 40. solidos.*

§. CXVI.

Apud Langobardos alia erat mannitio, alia districtio seu bannus comitis.

In legibus BVRGVNDIONVM, SAXONVM, FRISIONVM, nihil, quod ad citationem, dilationes, contumaciam, feriasque pertineat, * occurrit. * At tanto accuratius ea de re agunt leges LANGOBARDORVM, quibus distinguebatur, essetne de ingenuitate vel de hereditate, an de alia caussa disceptatio. Prioribus enim casibus priuatim et sollemniter in ius vocari oportebat reum, id quod vocabant *mannitionem*; posteriore comes ipse citari reum, eumque ante certum diem adesse iubebat,

bebat, quod ipsis erat *districtio* vel *bannus*. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 43. §. 2. *De* MANNITIONE *vero, nisi de ingenuitate, aut de hereditate non sit opus obseruare: de ceteris vero caussis per* DISTRICTIONEM *comitum veniant.* Et §. 4. *Si quis de statu suo, id est, de libertate, vel de hereditate compellatus est, iuxta legis constitutionem* MANNIATVR: *de ceteris vero caussis, vnde quis rationem est redditurus, non* MANNIATVR, *sed per comitem* BANNIATVR.

* Attamen apud Saxones non aliter in ius vocari consueuisse reos, quam apud Francos; vel inde patet, quod et illi vsi sint verbo *adframire* vel *adframire*, itemque vocabulo *inactiuus*. Ita enim legendum esse patet pro *inactiuus* in CAPITVLAT. *de part. Saxon.* §. 31. *Si cuilibet homini sacramentum debet*, ADFRAMEAT *illum ad ecclesiam sacramento ad diem statutam, et si iurare contempserit, fidem faciat*, (productis nimirum testibus,) *et solidos* 15. *componat, qui* INACTIVVS (iactiuus vel iectiuus) *adparuit et deinde caussam pleniter emendare faciat.* Ex quo loco patet, apud Saxones quoque in ius vocationem factam esse priuatim, praesentibus testibus*, et iacta in eius sinum festuca: quippe quod ipsa vocabula indicant. Ex eodem vero discimus, deserti vadimonii poenam fuisse mulctam 15. solidorum, quin et caussa cecidisse reum, qui iusiurandum sibi delatum stato die non praestitisset.

§. CXVII.

MANNITIO fiebat praesentibus testibus. Id enim tam erat necessarium, ac veluti ad essentiam huius in ius vocationis pertinebat, vt vetus glossa apud LINDENBROGIVM *p.* 1430. *mannitum* interpretetur *vocatum tribus testibus praesentibus*. Repetenda autem ea in ius vocatio erat quater, diuersis temporum interuallis, de quibus *Lib. II. tit.* 43. §. 1. *Prima mannitio fit super* 7. *noctes; secunda super noctes* 14. *tertia super noctes* 21. *quarta super noctes* 42. Vbi et Langobardos non dierum, sed noctium numerum more maiorum iniisse, animaduertimus. Et tres quidem priores citationes non erant peremtoriae, quamuis, qui deseruerat vadimonium, singulis vicibus 15. solidis mulctaretur; * quarta vero adeo stringebat reum, vt res eius omnes, ipsaque beneficia *in bannum mitterentur*, donec se sisteret. Si intra annum non veniret, rex de facultatibus eius suo arbitrio statuebat. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 43. §. 1. 3. Quomodo mannitio facta?

* Attamen apud Langobardos quoque legitima impedimenta excusabant. Id enim sibi volunt verba *d.* §. 1. *Si quis ad mallum legibus mannitus non fuerit, et non venerit, si eum* SOMNIS *non detinuerit, sol.* 15. *culpabilis iudicetur.* Vbi sane nihil mutandum est, quum vocabulum *somnis* Germanicum *saumnis* egregie exprimat. Haec eadem procul dubio fuerunt, ac apud Francos. Immo ipsi quoque praeter diem dominicam ferias obseruabant, quarum recensum dedit Otto M. Imp. *Lib. II. tit.* 49. §. 2. *Natalem Domini, Epiphaniam, statutos ieiuniorum dies, Pascha, Adscensionem Domini, Pentecosten, et festa praecipua*, in quibus forensem conticescere strepitum voluit Imperator, ita tamen, vt in facinorosos etiam tempore messis et vindemiarum animaduertere liceret iudici. *Nec enim*, inquit, *tempore messis vel vindemiarum legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare desierunt.*

§. CXVIII.

At *districtio* quam vocabant, vel *bannus* ipsius comitis, vt diximus, auspiciis fiebat, per adparitorem procul dubio, vel per litteras*. Neque quater repetenda erat haec citatio, sed contumax erat, qui se- Quomodo districtio?

 mel

mel iterumque vocatus non aderat. Denique nec 15. solidorum mulctam exigere poterat actor, quia ipse non in ius vocauerat: sed vti olim iure Romano in bona eorum, qui neque sui potestatem faciebant, neque defendebantur, ibatur: *L. 2. D. ex quib. causs. in possess. eat.* ita apud Langobardos sanxerat Ludouicus Pius, Imperator *Lib. II. tit. 43. §. 4. Et si post vnam aut alteram admonitionem comitis aliquis ad mallum venire noluerit; rebus omnibus in bannum missis, venire ad iustitiam facere compellatur.*

§. CXVIIII.

Medio aeuo reus in ius vocabatur ab adparitore.

Talis erat veterum in ius vocatio, quam et insequentibus temporibus mansisse, vel ideo suspicamur; quod et in IVRE SAXONICO et SVEVICO, aliisque eius aeui legibus, vbique expressissima exstant moris illius vetusti vestigia. Nos et illa ex instituti nostri ratione inuestigabimus. Et primo quidem reum non ab actore, sed iussu iudicis, ab adparitore in ius vocatum esse comperio. IVS PROV. SVEV. *cap. 93. Der einen mann beklaget in einem gericht, vnd der richter nicht daheim ist, der fronbote soll ihm furgebieten, als recht ist: vnd als der richter kommet, so soll er ihn richten zu hand, vnd man soll ihm nicht mehr furgebieten. Denn die furgebott sind der fronbothen vnd nicht der richter. Kein richter mag niemand furgebieten, es ist nicht seines amts. Ein richter soll ein richter seyn, vnd nicht ein fronboth.* *

* Neque tamen existimandum est, suo arbitrio id facere potuisse adparitorem. Primo enim SPECVLATOR monet, in ius vocationem ab adparitore iniussu factam valere, *wann der richter nicht dabeimen sey*. Ergo vbi illius copia erat, nihil agebat adparitor, nisi eius iussu. Deinde sub finem huius capitis legimus: *Wann der richter ein tag furgiebt, oder ein buttel furgebeut, vnd kommt der richter nicht dar, da verleuret niemand sein recht mit.* Itaque iudicis erat diem constituere; ante quem diem reus adesse deberet: adparitoris, reum citare, eique denunciare, vt illo die adsit.

§. CXX.

Dilatio quanta iure Saxonico.

Etiam his temporibus citatis dabantur induciae quatuordecim noctium. Adesse enim iubebantur *vber vierzehen nachte*. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. II. Heget man aber geding aus vmb vngericht, nach dem rechten gerichts ding vber 14. nacht, das sollen suchen die pfleghafften.* Et *Lib. I. art. 67. Wann man klagt vmb vngericht vber den, der nicht gegenwvartig ist, dem soll man tagedingen drey mal, ie vber vierzehn nachte.* Quod et in aliis caussis criminalibus obtinebat, nisi quod ingenuo, capitis reo, (*einem schoeppenbar-freyen mann, dem es an seinen Leib gieng*,) ter dies diceretur, et singulis quidem vicibus sex hebdomadum. IVS SAX. *ibidem: Den soll man tagedingen dreymal, immer vber sechs vvochen vnter konigsbann zu der rechten ding-stadt.* Ter ergo repetenda erat citatio, nec prius pro contumace habebatur reus, nisi is tertium quoque citatus deseruisset vadimonium. *

* Ex quo patet, vnde natus sit terminus dilationis Saxonicae, *eine Sachsische frist*, id est, induciae sex hebdomadum, trium dierum. Quum enim citatio fieret ter, et semper quidem post 14. noctes: ter quatuordecim noctes conficiebant sex hebdomadas. Additis tribus diebus, quibus in iudi-

iudicio ſe ſiſtere debuiſſet reus, totum iſtud ſpacium ſex hebdomadum, et trium dierum emergit. Obſeruauit hoc GVNDLINGIVS *Gundlingian. Part. XXVI. diſſ. 1.* vbi tamen permulta aliena, coniecturas etiam quaſdam parum ſolidas, immiſcet. Audire praeſtabit GLOSSAM *ad d. art. 67. Das vernimm alſo: Klagſtu beut, ſo betaget man dich uber vierzehen tag: klagſtu dann aber, ſo betagt man dich vvieder uber 14. tag. Alsdann vollfuhreſtu erſt deine klage mit der dritten klage, vnd verfeſteſt auch erſt den beklagten mit der dritten klage. Alſo machen nach einander dreymal uber vierzehen tag ſechs vvochen.* Si addideris tres dies, quibus comparendum fuiſſet reo: habebis dilationem Saxonicam.

§. CXXI.

Poena contumaciae in cauſſis criminalibus.

Quum itaque duae priores citationes non eſſent peremtoriae: quae poena fuit eorum, qui citati ſe non ſtitiſſent? Diſtinguebant Saxones inter iudicia criminalia, quibus vel caput, vel corpus, periclitabatur, et reliqua ciuilia: In illis poena poſt tertiam citationem non ſiſtentis vadimonium erat proſcriptio: in his illa locum non habebat. IVS PROV. SAX. *ibid. VVer nicht vorkommt zu dem dritten dinge in peinlicher klage, den echtiget man. Vmb anders keine klag ſoll man den mann echtigen, ohne vmb die, die an den leib, oder an die hand gehet.* Qualia, quamuis mutatis verbis, occurrunt etiam in IVRE PROV. SVEV. *cap. 91. §. 1. et 2.*

§. CXXII.

In cauſſis ciuilibus.

Quid vero ſi non cauſſa criminalis, ſed ciuilis deducta eſſet in iudicium, et reus ter citatus vadimonium tamen non ſtitiſſet? Tunc vero condemnatus eſſe videtur contumax, perinde ac ſi vel confeſſus, vel conuictus fuiſſet. * IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. 5. Dreymal aber, immer vber vierzehen nacht, ſoll man jenen, des das gut iſt, vorladen, ſein gut zu vertretten, ob er wolle. Thut ers dann nicht, man gevveldigt es ienem, der derauff klaget.* Et *Lib. I. art. 41. Klaget ein iungfravv oder wittvve zu landrecht vber ihren vormunden, daſs er ſie entvveldige ihres eigens oder lehens, oder ihrer leibzucht, vnd wird er darumb geladen zu dreyen dingen, vnd kommt nicht vor zu dem dritten ding, rechts zu pflegen, man ſoll ihn balmunden, das iſt, man ſoll ihm vertheilen alle vormundſchafft.* Quod ſane idem eſt, ac ſi tamquam confeſſus vel conuictus condemnatus eſſet tutor.

* Praeterea ad mulctam iudici pendendam tenebatur reus, tum prima, tum ſecunda, et tertia vice contumax. At tertia vice ſimul pro confeſſo et conuicto habebatur. Huc pertinet locus IVR. PROVINC. SAX. *Lib. III. art. 39. Wan man fur gericht beſchuldiget, vnd der richter ihm zu rechter antvvort gebeuth, vnd vvil er nicht antvvorten, noch mit recht ſich entreden, daſs er nicht antvvorten darff, ſo theilet man ihn vvethäfftig. Alſo thut man auch zum andern vnd dritten mal, vnd antvvortet er dennoch nicht, ſo iſt er* VBERVVVNDEN, (pro confeſſo et conuicto habetur,) *in der ſchuld.* Ceterum *vvetten* eſſe mulctam praeſtare iudici, non reo, iam ſupra oſtendimus. Geminus eſt locus SPEC. SAX. *Lib. II. art. 6. Wer zu ding nicht kommt, den theilt man vvethafftig, ob er dahin dingpflichtig iſt zu kommen. Er moge es dann mit recht vviderreden.* An et in expenſas condemnatus ſit reus contumax, non facile dixerim. Saltim me nihil quod eo pertineat, in vtroque illo iure obſeruaſſe, fateor.

§. CXXIII.

Legitima impedimenta a contumacia excusabant.

Attamen et Saxones, et Sueui, eos immunes esse patiebantur a poena contumaciae, quibus in promtu erat adlegatio impedimentorum legitimorum, quae et hodie vetere vocabulo vocantur *ehehafften*. Ea, vt iam supra obseruauimus, siue per procuratorem, (*durch ihren boten*,) siue per fideiussores, quibus de iudicio sisti cauerant, adlegare ac probare tenebantur. (§. 94.) Talia vero legitima impedimenta praecipue erant quatuor, de quibus IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 7. Vier sachen seynd, die ehehaffte noth heissen, gefangnis, kranckheit, wallfarthen ausser landes, vnd des reichs dienst. VVelcher eine dieser vier sachen beweist, als recht ist, von einem seiner bothen, wer der sey, er bleibt es ohne schaden, vnd gewinnet des tages, bis an das neckste geding, nachdem er von der ehehafften noth ledig wird.* Addit. SPECVL. SVEV. *cap. 268. seines herren dienst*, adeoque quinque huiusmodi impedimenta recenset, quibus adlegatis moram purgare liceat.

§. CXXIIII.

Itemque feriae.

In primis eo pertinebant etiam feriae, tum diuinae, quas vocabant *heilige* vel *feyer-tage*, tum humanae, quae illis erant *gebundene tage*. Quin non minus ad humanas referebant, quatuor dies hebdomadis, quibus pax certis hominibus sancita fuerat, (Lib. II. part. 2. §. 73.) puta dies Iouis, Veneris, Saturni et Solis. Omnibus ergo his diebus conquiescebat iudiciorum strepitus, paucis quibusdam exceptis casibus, de quibus omnibus iam ipsa SPECVLATORIS verba audire iuuabit. Pertinet ergo huc locus IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art. 66.* HEILIGE *vnd* GEBVNDENE *tage sind allen leuten zu friedt-tagen gesetzt, vnd darzu in ieglicher woche vier tage, der donnerstag, der freytag, der sonnabend vnd der sonntag.* Darumb sind diese vier tage gemeine friedtage allen leuten, ohne den, die in handhafftiger that gefangen werden, oder die in des reichs uberacht sind, oder geechtet sind in dem gericht.*

* Omisimus hic illa, quibus rationes reddere conatur SPECVLATOR, cur quatuor hisce diebus pax seu treuga, seu sum vocabant, omnibus sancita sit: nimirum *diem Iouis* praestare ait securitatem, quia eo die consecretur chrisma, quo Christiani signentur: quia Christus tum sacram eucharistiam instituerit, adeoque primordia coeperit nouum foedus: (*da fieng auch an vnser neue ehe*) quia eodem die Christus in caelum adscenderit, viamque eam muniuerit humano generi: *diem Veneris*, quia et homo conditus sit eo die, et Seruator pro homine mortem obierit: *diem Saturni*, quia eo die et Deus condito orbe, et Christus, defunctus passione, in sepulcro quieuerit, eodemque die et sacerdotes, Christianorum magistri et antistites, consecrentur: denique *diem solis*, quia illo homo in gratiam cum Deo redierit, idemque dies et primus mundi fuerit, et futurus sit postremus. Sed sunt hic quaedam, quae temporum illorum ignorantiam ac credulitatem produnt; pleraque autem ita comparata, vt nullum omnino inde duci possit argumentum. Quid enim magis esse potest ἀσυλλόγιστον, quam die Saturni inducias homini deberi, quia eo die vngi soleant clerici?

§. CXXV.

Quae feriis humanis explicari potuerint?

Nec minus huc pertinet alter locus IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art. 9.* vbi distinctius docemur, quid diebus his feriatis fieri a iudice vel que-

queat, vel nequear. *Den geaechten mann mag man wohl bestatigen* (custodiae mandare) *in den gebundenen tagen; man mag aber uber ihn nicht richten, es sey dann die handhafftige that gegenvvärtig.* * Et paucis interiectis; *in gebündenen tagen mag man nicht schvvehren anders, dann vm friede, vnd auch auff den mann, der in handhafftiger that gefangen vvird. Wer den frieden bricht in den gebundenen tagen, den beschirmen die gebundene tage nicht.* Denique: *was man anders klaget in gebundenen tagen ohne vngericht, das mag der richter wol richten uber dem mann, der gegenvvartig, und alldazu antvvorten schuldig ist, und soll ihm gebieten, dass er der schuld bekenne vnd bessere zu rechter zeit, oder dass er deren leugen, vnd daruber schvvere. Nicht mag er aber dingen in gebundenen tagen. VVo mann aber eyde gelobet, die soll man leisten zu hand, oder zu den nachsten vngebundenen tagen.* Similia et in IVRE PROV. SVEVICO *cap.* 105. quod ex instituto agit *von gebundenen tagen*, reperimus.

* *Handhaffte that*, vel, vti a Sueuis vocabatur, *handgethat*, est quodcumque facinus, cuius auctor in ipso delicto vel ἐν αὐτοφώρῳ deprehenditur. SPECVL. SAX. *Lib. II. art.* 35. *Die handlhaffte that ist das, so man einen mann begreiffe in der that, oder in der flucht der that: oder dass er dieberey oder rauberey in seinen gevvehren hatt, da er selbst den schlussel zutruge an seiner seiten.* Ita deprehensi statim ducebantur ad iudicem, et accusabantur, modo conuinci possent de homicidio tribus, de reliquis delictis capitalibus septem, de facinore manus amputatione coercendo binis testibus, vel accusator certamen singulare offerret. IVS PROV. SVEV. *cap.* 161. Et hinc huiusmodi iudicium et diebus feriatis institui poterat. IDEM *cap.* 105. §. 2. *Einen mann begrieffen mit der handgethat, den schirmen die gebunden tage nicht.*

§. CXXVI.

Axiomata.

Ex his omnibus, quae ex genuinis antiquitatum Germanicarum fontibus hausimus, patet, I. vtrumque in ius vocationis genus in Germania fuisse receptum, eamque priuata auctoritate, et iussu iudicis factam. II. Citationem certum spatium comprehendere debuisse, ne reo imparato obeundum esset vadimonium. III. Eam rite factam fuisse, actorem probare debuisse, si accusare vellet contumaciam. IIII. Contumacem et mulctatum, et, (V. si peremtoria fuisset citatio, pro confesso et conuicto habitum. VI. Purgare reum potuisse moram, si legitima impedimenta adlegaret, eaque rite probaret; et hinc VII. excusatum etiam esse, qui diebus feriatis non stitisset vadimonium.

§. CXXVII.

In ius vocatio qualis sit hodie?

Quemadmodum vero jam olim in Germania et priuata auctoritate, et iussu iudicis, in ius vocabantur rei: (§. 126. 1.) ita non mirum est, (1. et hodie alibi priorem, alibi posteriorem in ius vocandi modum, magis receptum esse. Quamuis enim (2. plerisque locis mos inualuerit, vel citationem scriptam insinuandi per adparitorem seu viatorem iudicis, vel, quod in inferioribus iudiciis saepe fieri animaduertimus, reum per hunc sine scripto euocandi: passim tamen (3. adhuc priuata auctoritate actorem in ius vocare reum animaduertimus, non modo in Francia, REBVFF. *ad const. reg. Part. III.*

III. de citat. art. 2. gloss. 4. verum etiam in Germania, ceu de tractu ad Rhenum et Hennebergico obseruat SCHILT. *Exerc. VII. obs. 7.* Quin (4. alicubi actorem insalutato iudice iniungere posse adparitori, vt aduersarium in ius vocet, testantur GVDELIN. *de iure nouiss. Lib. IIII. cap. 5.* et BACHOV. *ad Treutler. Vol. I. disp. 4. thes. 2. lit. D.* Quem morem (5. eo iniquius reprehendit STRYK. *vs. hodiern. Dig. Lib. II. tit. 4.* §. 1. quo magis ciuitatibus Germanicis licuit veteres mores iuri Romano praeferre, et (6. quo minus illum in ius vocandi modum ipsos etiam principes et imperii ordines hodienum adspernari, animaduertimus. *

* Talis enim est requisitio ad austregas, quippe quae non auctoritate eorum, qui caussam cogituri sunt, sed iussu ipsius actoris, ad austregas prouocantis, fieri solet, et quidem per notarium vel tabellionem. Quamuis enim SCHILTER. *Exerc. VII.* §. 4. et hanc requisitionem legitimae citationi vel ideo aequiparandam esse existimet, quod et tabelliones sint iudices, chartularii nempe: *gloss. in L. fin. C. vbi et apud quem.* et BERTACHIN. *in repert. voce notarius:* ipse tamen huic rationi non multum tribuisse videtur, quia statim addit: *Sed tamen quum notarius destituatur iubendi potestate, etiam requisitio, per eum facta, vim et effectum citationis iudicialis vix habebit per omnia, bene tamen in ius vocationis.*

§. CXXVIII.

Quantae reo concedendae induciae?

Quumque aequum esset certum temporis spatium indulgeri, ne illi imparato obeundum esset vadimonium: (§. 126. 2.) non obscurum est, (7. cur non modo in Saxonia, aliisque prouinciis, vbi iuris Saxonici aliquis vsus est, verum etiam (8. alibi, vbi huic iuri nihil pretii statuitur, adhuc hodie reo dentur induciae *einer Sachsischen frist.* (9. Cur in Saxonia et alibi non modo dies mensis, quo comparendum sit, exprimatur, verum etiam ille demonstrari soleat a proximo die festo, vel dominico, quippe qui rusticis, aliisque ex infima plebe hominibus, notior esse solet, quam dies mensis. Hinc formula: *Den 6. Nouembr. iezt lauffenden Jahres, vvird sein der dienstag nach aller heiligen, vor uns zu erscheinen:* (10. Cur addi soleat: *zu rechter fruher tages zet:* quae verba olim fortassis de primo mane seu solis exortu intellecta, hodie non nisi de horis, quibus iudex sui copiam facit, intelligenda videntur. * ANT. MATTH. *de probat. cap. 7. p.* 448. (11. Cur quae ius Rom. de dilationibus praecipit, fere nusquam recepta sint in Germania, ac proinde (12. dilatio citatoria, quam vocant, absorbeat deliberatoriam, ipso fatente STRYKIO *in vsu hod. Digest. Lib. II. tit.* 12. §. 16. *sequ.*

* Veteres Germani non nisi antemeridianas horas iudiciis impendebant, quod ferri non posset sententia nisi a ieiunis. CAR. M. *capitul. de caussis admon.* §. 15. *Vt nullus ebrius suam caussam possit conquirere in mallo, nec testimonium dicere. Neque comes placitum habeat, nisi ieiunus:* Quod multo magis in caussis criminalibus obseruabatur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 69. IVS PROV. SVEV. *cap.* 80. IVS CLIVIAE MSC. ex quo locum debemus V. C. IO. GVIL. HOFFM. *in diss. de modo iudic. priu. exercendi apud Germ.* §. 5. *Das gericht soll nuchtern geendet werden.* Quae quum ita sint, consequens est, vt iudicia inchoarentur bene mane et statim post solis ortum, et finis illis imponeretur circa meridiem. IVS PROV. SVEV. *cap.* 120. *edit. Schilt. Man soll gerichte warten von der zit daz die sunne vfgat vntz ze mit-*

ze mitten tag. Et IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. 61. Gerichts sollen warten alle die dingpflichtig sind zu dem gericht, von der zeit an, dass die sonn aufgehet, biss zu mittag, ob der richter anders da ist.* Addit laudatus HOPFMANNVS *ibid.* locum IVR. CLIV. MSC. *Von guter alter loeblichen gewonheit und herkommen so soll das gericht geschehn bey sonnen scheine, vor dem mittage.* Et alibi: *Das gericht solt geschehen, wan sich die sonne gesetzt hat recht gegen suden. Vnd zwischen diese zeit darff niemand erscheinen mitt anspracbe oder sie verantvvorten, oder antvvort zu geben, es sey dann, dass es sachen vvaren von dem Herrn, oder von reisfertigen leuten, oder von verderblichen oder sterblichen gutern, oder vvo sich iemand anders verbunden haette, oder verlobet, das mag geschehen nach seinem behore.*

§. CCXXVIIII.

Ex tertio quoque axiomate (§. 126. 3.) in foris Germ. supersunt variae veteris iuris patrii reliquiae, veluti (13. quod contumaciae accusationi non est locus, nisi probetur, citationem rite esse insinuatam, idque (14. plerumque probetur, vel accepto a reo scripto testimonio, (*durch ein recepisse*) vel (15. confessione adparitoris, siue exemplo citationis subscripta, siue ad acta adscripta, quam vocant *relationem nuncii:* * quamuis (16. non sit negandum, ex eo tempore, quo ius canonicum aeque, ac ciuile Romanum, paullatim in fora Germanorum penetrauit, in tribunalibus supremis inualuisse morem citationes reis offerendi vel per tabellionem, vel per nuncium iudicii iuratum, et ab his exigendi sollemne instrumentum, ex quo de rite facta citatione constet. ORD. CAM. *part. I. tit.* 48. §. 11. *sequ, et tit.* 52. *princ.* BLVM. *process. camer. tit.* 65. §. 34. *sequ.*

Quid obseruandum actori rei contumaciam accusaturo?

* Adparitoris testimonium sufficere visum est, non quod iureiurando fidem adstrinxerit: nam alioquin ne quidem iurati testis vnius testimonium plene probare nouimus: sed ex principio veteris iuris Germanici, puta quo adparitoris testimonium pro duorum testimonio habebatur (§. 49.) IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 8. et SVEV. *cap.* 259.

§. CXXX.

Ex quarto et quinto axiomatibus (§. 126. 4. et 5.) reddi potest ratio (17. vnde si condemnatio in *expensas termini*, quae fieri solet, si quis rite citatus non stiterit vadimonium. Eam enim in locum mulctae, in quam olim condemnabantur contumaces, esse surrogatam, vix dubitamus. (18. Cur raro prima vel secunda citatio habeatur peremtoria, sed plerumque tertia demum ita fiat, vt accedat comminatio, reum pro confesso et conuicto, vel instrumenta pro agnitis habitum iri: * quamuis (19. in Saxonia electorali per ORD. PROCESS. VET. *tit.* 10. §. 4. altera statim citatio fuerit peremtoria, eamque ad rem cautum sit: *im fall aber der beklagte vngehorsamlich aussen bliebe, soll er auff des klagers vorhergehende beschuldigung, vermoge landublichen Saechsischen processes, erstlich in ehehafft vnd behelfliche vviederrede vertheilt, vnd da er auff fernere lahdung, vvelche der klager hiezu ausbringen soll, folgenden termin solche ehehafften vnd legitimum impedimentum ausfuhren, vnd darthun, oder eydlich erhalten wurde, ferner zugelassen vverden. In gegentheil, da er solche ehehafft nicht beybringen konte, oder auff die andere citation gar nicht erschiene: soll er alsdann auf fernere beschuldigung des klagers in die hulffe verthleilet,*

Contumaciae poena.

let, *vnd dieselbe nach innhalt der klage an ihm vollstrecket vverden*; at (20. noua et emendata *ibid.* §. 2. has ambages tollat, et primam statim citationem vult esse peremtoriam, praeterquam in lite consistoriali super malitiosa desertione, nec non in processu banni (*im achts-processs.*)

* Frustra ergo sunt, qui hanc poenam contumaciae ex iure Romano esse contendunt, quum ii numquam reum, deserentem vadimonium, pro confesso vel conuicto habuerint, sed vel in bona actorem miserint, ceu patet ex *L. 2. L. 7. D. quib. ex causs. in poss. eat. L. 19. D. de in ius voc. L. 2. C. vbi in rem act.* CIC. *pro P. Quinct. cap. 6.* vel actionem aduersus fideiussores vel vades dederint ad certam quantitatem, si ea promissa esset, sin minus, ad id, quod interesset. *L. 2. §. vlt. D. qui satisd. cog. L. vlt. si quis in ius voc. non eat. L. 81. D. de verb. obl. L. 12. §. 1. si quis caut. iud. sist. causs. fact. non obtemp.* Praeterea absens euocandus erat legitimis edictis vel tribus denunciationibus, per interualla non minus decem dierum propositis. *L. 68. sequ. D. de iudic.* Si tunc reus aderat cognitionis die, audiebatur quidem, sed vt prius omnia damna, quae frustratione sua dederat aduersario, sarciret. *L. 15. C. de iudic.* Si ne sic quidem veniret, a praecone publice et nominatim inclamabatur, et tunc, eo absente etiam sententia ferebatur, non tamen, vt semper pro confesso et conuicto damnaretur, sed prout id caussa exigere videbatur. Hinc VLPIANVS *L. 73. D. de iudic. Et post edictum peremtorium impetratum, quum dies eius superuenerit, tunc absens citari debet, et siue responderit, siue non responderit, agetur caussa, et pronunciabitur: non vtique* SECVNDVM PRAESENTEM, *sed interdum vel* ABSENS, *si bonam caussam habuit*, VINCET. Conf. *L. 1. C. quom. et quand. iud.* et quae hanc in rem egregie monuit HVGO DONELL. *Comment. iur. Lib. XXVIII. cap. 3. p. 432.*

§. CXXXI.

Impedimenta legitima quae excusent?

Quum a contumacia iure Germanico excusarent legitima impedimenta: (§. 126. 5.) non mirum est, (21. id et hodie obtinere, ac proinde, (22. quum in eo ius Romanum cum Germanico fere conspiret, hoc tanto facilius in fora nostra penetrasse. Ex quo porro consequitur, (23. vt non quatuor vel quinque tantum ista impedimenta legitima, quae Sueui et Saxones vocabant *ehehafften*, * vel *ehehaffte noth*, a suspicione doli et contumaciae excusent, sed et alia, in iure Rom. recensita, veluti vis maior, testimonii dictio, funus domesticum, languor ex partu, κ. τ. λ. modo (24. rite probentur, quamuis petita prima vice dilatione saltim adlegari, secunda aliqualiter demonstrari, tertia legitimo modo probari, soleant.

* Non confundenda haec impedimenta legitima cum certis eiusdem nominis caussis, ob quas et exemti imperii ordines in Sueuia, vicinisque tractibus ad iudicium Rotwilense vocari possunt, de quibus plura scriptores iuris publici, et, qui ex instituto de hoc iudicio plenissime agit, ERIC. MAVRIT. *de iudic. Rotvvill. cap. 3. §. 5. p. 523.*

§ CXXXII.

Quid de feriis obseruandum?

Denique quum et de feriis idem fere iure Romano, quod olim Germanico, constitutum sit: (§. 126. 7.) non mirum sane est, (25. et hic fere per omnia receptum esse ius Romanum. Id tantum (26. ex iure patrio superesse videtur, quod plerumque supremae curiae citationibus inserant clausulam: *auf den 6. Nov. vvird seyn, der dienstag nach allerheiligen*, ODER, *vvann dieses kein gerichts-tag vvare*, *den*

den darauff folgenden, vor vns zu erscheinen. Quum enim frequenter contingeret, vt extra ordinem ferias diuinas indicerent praesules et episcopi: monitos volebant litigatores, incidentibus huiusmodi feriis, eos sine noua citatione proximo die iuridico in iure adesse debere. Sed de his omnibus plura praecipit acuta pragmaticorum natio, quae quidem hic multis repeti, vix necessarium esse ducimus.

T I T. IIII.

DE ACTIONIBVS EARVMQVE EDITIONE IN IVDICIIS GERM.

§. CXXXIII.

Reus vbi se sistebat in iudicio, actoris erat, actionem edere, vt et iudici et reo ipsi constaret, quid ille petat, intendatue, et cui fundamento superstruat ius suum, ob quod vel rem suam esse, vel alterum dare facere sibi oportere, contendat. Itaque facturi nobis videbimur operae pretium, si et de ACTIONIBVS Germanorum quaedam differamus, et modum actionem reo praesenti EDENDI, ea, qua fieri poterit, perspicuitate explicemus. Transitio ad actiones earumque editionem.

§. CXXXIIII.

Quamuis vero hactenus iis, quae antiquissimis gentium Germanicarum legibus cauentur, praemissis, demum ad insequentium temporum iura progredi consueuerimus: tamen, quum nullum legislatorem actiones forenses in certas classes, certaque genera descripsisse, reperiamus, id vero multo post cum laude praestiterit auctor libri, qui inscribitur *richtsteig vber das Sachsische landrecht*, qui quidem postremis saeculis vixit, at modum litigandi Germanorum, ex iuribus peregrinis nondum interpolatum, accurate descripsit: * consultius visum est, ex eo classes actionum forensium describere, easque ex omnis aeui monimentis antiquitatis Germanicae illustrare. Actionum iuris Germ. certas classes primus constituit auctor libelli *des richtsteigs*.

* Auctor libelli non magis certus est, quam aetas, qua vixit. IAC. FR. LVDOVICI, qui illum, tamquam adpendicem, subiecit introductioni ad proc. feudalem, in *praef.* §. 9. scribit: *Der auctor nennet sich am ende des lezten richtsteigs, alwo auch die zeit zu finden, da beyde richtsteige heraus gegeben worden; wiewol ich sonst von der person solches auctoris bißher keine specialia finden konnen.* Sed sub finem nihil legas, quam quae sequuntur: *Volbracht is also saliehliken desse nuwe Sassen-spegel mit synen additien. In der Keyserliken stat Außburch, des landes Schwaben, dorch Sylnanum Othmer bukbrenther. Dorch verordninge unde kosten des vorsichtigen heren Hanss Renman van Oringen namhafftig sten bukfurer. Unde vulendet an unser leuen Vrouwen auent, den man nennet lichtmyssen, in dem yar, als men tellet na godes geburte M. D. unde XVI.* Videtur vir doctissimus vel non intellexisse vocabulum *bukbrenther*, vel illud pro nomine auctoris habuisse, vt adeo ex eius mente hunc libellum conscripserit vel *Silnanus Othmer*, vel *Siln. Otho*ma-

mator Buckprenther. At *bukprenter* idem est, ac typographus, qui speculum Sax. cum eoque hunc libellum typis expressit, isque, non vero auctor, dictus est *Siluanus Othmer*. Praefatio hunc libellum, qui vocatur *richtsteig*, confectum esse refert iussu Friderici Imp. *na godes bort dusent yar, und anderhalff hundert yar, in deme acht unde twintigsten yare, in dem drutten yare synes rykes in deme pingester dage, to Meylan in deme palaze*. Sed hic quoque nihil sani reperias, nec quod cum temporum illorum ratione possit conciliari. In glossa WEICHB. *art.* 10. legimus: *Vnd auch setzet Burcard von Mangelfeld den richtsteig, Gerke aber von Kercavv der vollvvortete den richtsteig*. Quod quum maxime probabile sit: consequens est, vt auctor vixerit saeculo Christi XIIII. Illis enim temporibus plerosque floruisse glossatores, satis constat. Vid. STRVV. *hist. iur. cap.* 6. §. 22. *p.* 462. *sequ.*

§. CXXXV.

Prima earum diuisio in ciuiles, criminales et mixtas. Hic ergo auctor, omnes actiones *cap.* 5. trium esse generum obseruat. Alias enim CIVILES * esse ait, vel BORGELIKE, *vnd de heten daromme so, dat de kleger, en de antvverter vor de saken borgen blieuen, vnde dat erer neen den andern vluchtig vverden en darff, dat is, als vmme schuld, vnde vmme gut, vnde vmme anefangk*: alias CRIMINALES, PYNLICK, *vnde heten darumme so, dat de kleger nichts begert, vvenn dat me den andern pynighe vmme synen broke*: alias denique MIXTAS, VORMENGEDE *klagen*, quae quum primum sint ciuiles, postea in criminales degenerare, vel ex criminalibus ciuiles fieri possint.

* Ipse quidem auctor has actiones semper vocat *borgelicke klagen*, quasi a fideiussoribus vel fideiussione nomen tulerint. Sed quum his opponat *criminales* et *mixtas* actiones, *peinliche und vermengte klagen*: probabilius est, eas non tam *borgelicke* quam *borgerlike klagen* dici debuisse, ac proinde eas Latine CIVILES vocare non dubitauimus. Attamen et VOCABVLARIVS, Lossianae speculi Sax. editioni subiunctus, has actiones vocat *Burgeliche klagen, da man allein schuld und gulde fodert, vnd alle burgeliche sachen*. Siue ergo a fideiussione, *vom burgen*, siue a rebus creditis, *von burgen*, siue a modo procedendi ciuili nomen inuenerit: non male iis quadrabit nomen actionum CIVILIVM.

§. CXXXVI.

Ciuilium subdiuisio, in actiones *vmb schuld, vmb gut vnd vmb anefang*. Actiones ciuiles ab auctore nostro eodem *cap.* 5. diuiduntur in eas, quibus RES CREDITAE condicuntur *klagen vmb sculd*: quibus RES vindicantur, *klagen vmb gut*, et quibus REBVS FVRTIVIS vel VI EXTORTIS manus iniicitur, *klagen vmb anefangk*. De quibus singulis distincte erit agendum. Solidam enim et vere Germanicam esse hanc actionum ciuilium diuisionem, vel ex eo patet, quod et LEGES GOSL. apud LEIBNIT. *script. rer. Brunsu. Tom. III. p.* 484. primum agunt *van erue-gude*; *p.* 516. *vmme sculd*; et *p.* 530. *van anevanghe*.

§. CXXXVII.

Actiones *vmb schuld* quotuplices? Actiones, quibus RES CREDITAS condicimus, ex variis caussarum figuris oriri, *cap.* 6. obseruat, veluti primum *ex mutuo vel commodato, als esst me eme sulven vvat tho burge dut*: deinde *ex promisso* vel *pacto, van louede*, tum porro *ex facto defuncti, van erues vvegen, als vvenn me de erven beschuldiget vmme des doden schuld*: denique *ex auctoris adfirmatione, van vnderwindinghe, als est sick vve* des

des vndervvint, dat ein ander segget, he sy yt eme plichtig vvedder to nemene.

§. CXXXVIII.

Porro auctor *cap.* 11. actiones, quibus RES vindicantur, in varias species dispescit. Quidquid enim vindicamus, id trium generum esse ait, aut enim nos vindicare *res mobiles*, *varende haue*, aut *feudum*, *leben*: aut *allodium*, *eygen oder erue*. RES MOBILES ex sex caussis apud nos esse, obseruat, siue a nobis *inuentas*, siue *emtas*, siue ab alio nobis *datas*; siue furibus vel raptoribus *ereptas*, siue iure hereditario in nos *deuolutas*; siue denique propria industria *partas*, de quibus omnibus deinde sigillatim agit *cap.* 12. *et sequentibus*. — Itemque actiones in rem, vel mobilem.

§. CXXXVIIII.

Similiter ob FEVDVM ex iure prouinciali tripliciter agi posse, *cap.* 18. obseruat, *primum* si feudum emtum, pretio soluto, nondum traditum sit: qui casus in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 9. occurrit: deinde, si frater cum fratre feudum diuidere nolit, de quo IBID. *art.* 14. denique si duo feudi possessores pignus ceperint, vel alter alterum possessione deiicere velit, de quo casu ipse AVCTOR fusius agit *cap.* 22. Denique actiones ob ALLODIA *cap.* 23. inde oriri ait, quod vnus alterum coheredem praescriptione submouere, vel tamquam natalibus imparem repellere, vel allodium sine heredum consensu alii tradere, vel duo eamdem hereditatem petere, vel denique vnus sibi rem tamquam allodium, alter tamquam feudum vindicare velint, de quibus casibus deinde prolixius agit a *cap.* 23. *vsque ad cap.* 27. — Vel feudum et allodium.

§. CXXXX.

Qui rebus FVRTIVIS vel RAPTIS iniiciebant manus, ii eas dicebantur *capere*, *anefangen*. De eo AVCTOR noster *cap.* 17. *Des sebe tho dem ersten, vvo du einen anefangk don schalest. Wenn du vvilt einen anefangk dun eines dinghes, dat dy duncket, dat dy verstolen oder affgerouet sy, vnder vveme du yt vindest, tho dem spreck alsus.* Sequitur iam formula, qua quis res illas, tamquam suas reposcit, aut si nolit possessor, eum in ius vocat. Addit auctor, in ius vocatum tunc cum clamore esse accusandum, tamquam furem, quibus fere similia sunt, quae in LEGIB. GOSL. apud LEIBNIT. *p.* 530. leguntur. — Quid veteribus anefang?

§. CXXXXI.

Sequuntur apud AVCTOREM nostrum *cap.* 28. accusationes CRIMINALES, quas quod ad poenam attinet, quinque generum esse ait, siquidem aliae homini adimant *vitam*, *sein lyf*; aliae *sanitatem*, *syngesunt*; aliae *ius suum*, *syn recht*; aliae *existimationem*, *syne ere*; aliae denique *securitatem*, *den gemeenen vreden*. Deinde easdem accusationes *cap.* 30. in quatuor classes dispescit. Aut enim accusari obseruat eum, qui *in durpsyy* fit deprehensus, quod vocatur, *eine handhaftie that*: aut eum, qui postea demum in ius vocatur, quod vocatur *eine vbernachtige that*: aut eum, qui extra vincula in iudicio adest, *der vngefangen tho der antvverde is*: aut denique fugitiuum et ab- — Actiones criminales quotuplices?

absentem, *de vorsluchtig ist*. De primi generis reis *cap.* 31. *et sequ.* de secundi *cap.* 33. de reliquis sequentibus agit.

§. CXXXXII.

Itemque mixtae?

Denique vti actiones MIXTAS auctor noster vocat, quae vel ex ciuilibus criminales, vel ex criminalibus ciuiles fieri possunt: ita *cap.* 36. prius fieri obseruat, si ciuiliter conuentus ob crimina quaedam minora, fugam capessiuerit: posterius, si ius ignorantiae vel rusticitati ignoscat, *vann dat recht dot gnade der dorheit*. Prioris casus exempla tria *cap.* 47. *sequ.* recenset, puta accusationem ob verbera, *braun vnd blavve* ob manus rebus furtiuis iniectas; *anefangk*, et ob promissum non praestitum, *louede*.* Posterioris *capite* 42. *sequ.* totidem, accusationem nimirum ob damnum, vehendo per agrum consitum datum; ob homicidium ab infante vel furioso admissum, ac denique ob quodcumque homicidium casuale, vel ab ignorante perpetratum.

* Quamdiu enim ob verbera initio ciuiliter agerctur, reus tamen fugiens ob contumaciam proscribi poterat, IVS PROV. SAX. *Lib. I. LXVIII.* Ita et is, apud quem res furtiuae deprehendebantur, quamuis initio ciuiliter conuentus, tamen, si adpareret, eum hominem infamem esse, *der sein recht mit diebetey oder raub verlohren habe*, non admittebatur ad iusiurandum, sed ei optio dabatur, vt aut brachium immitteret in ahenum, aqua feruente plenum, aut manus cum accusatore consereret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 31. Denique ob guarandam promissam, alio rem eamdem petente, et a promissore non repulso, aliquis debebat *eine vvebrbusse*, IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 15. vbi addit speculator: *Webrbusse, das ist, eines mannes band, da er die gevvebr mit gelobet, oder ein balb vvebr-geld*. Ex quibus facile intelliges, cur AVCTOR noster has actiones in criminales degenerare, obseruarit.

§. CXXXXIII.

Obseruatio auctoris de actionibus falso mixtis.

Subiungit AVCTOR noster *cap.* 45. *sequ.* quasdam actiones mixtas spurias, de quibus ipse ait: *Des haben bosse lute vegebracht mit vnrechte, dat sie von borgelicken klagen pynlicke maken*. Sed quum tota eius obseruatio eo redeat, quod ob solum aes alienum, vel aliam ex contractu obligationem, nemo conueniendus sit criminaliter; nec aliae ac plures actiones mixtae fingendae sint, quam quas leges admittunt: non est, quod his iam immoremur. Atque hae sunt illae actionum classes, quas neminem ante hunc auctorem nostrum tanta cura distinxisse, animaduertimus.

§. CXXXXIIII.

Veteres leges non ignorant actiones ciuiles, criminales, mixtas.

Sed haec eadem omnia etiam in legibus vetustioribus, non quidem eodem ordine, at eadem tamen, deprehendimus. Et quidem de actionibus CIVILIBVS et CRIMINALIBVS nemo dubitauerit, quas accurate distinguit LVITPRANDVS, rex Langobard. LEG. LANGOB. *Lib. II. art.* 21. §. 23. dum scribit: *Hoc loco admonendi sumus, quod MALEFICIORVM LITIGIVM, nisi lis contestata fuerit, aduersus heredes non transeat; si vero CONTRACTV LITIGAVERIT, siue lis contestata, siue non, heredi et in heredem competit.* Nec dubitandum est, quin et MIXTAS actiones habuerint veteres. Saepe enim eos, qui iudicium subterfugerant, vel ius dicenti non obtemperarant, poenam aliquam cri-mi-

minalem ſubiiſſe, patet ex LEGE WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 18. *et alibi paſſim*. Saepe etiam eum, qui criminis accuſatus fuerat, ob idoneam exceptionem non niſi ciuiliter eſſe condemnatum comperio. Vid. LEX FRISON. *tit.* 5. §. 1. *et* 2.

§. CXXXXV.

Ciuiles porro actiones vel ad RES CREDITAS, vel ad RERUM VINDICATIONEM, vel ad rerum furtiuarum vel raptarum PERSEQVVTIONEM, pertinuiſſe, facile vel ex ipſis Francorum legibus poteſt probari. Sane enim duo priora actionum genera in mente habuit Ludouicus Pius, dum CAPITVL. *Lib. VII.* §. 211. ſtatuit: *Quoties de reuocanda re vel cauſſa integri reſtitutionis beneficium petitur, aut in* REM, *aut in* PERSONAM *agendum eſt*. Qui locus, tametſi ad reſtitutiones in integrum praecipue pertineat, et quodammodo exprimat iuris Romani doctrinam, quae actiones, ad in integrum reſtitutionem comparatas, alias perſonales, alias reales eſſe, docet, ſatis perſpicue tamen oſtendit, diſcrimen actionum PERSONALIVM, *vmb ſchuld*, et REALIVM, *vmb gut*, ne veteribus quidem Francis fuiſſe ignotum. De PERSEQVVTIONE vero rerum furtiuarum, quam *auctor des Richtſteigs* vocat *den anefangk*, in LEGE SALICA ſingularis exſtat titulus, puta 50. qui agit *de filtortis*, * *hoc eſt, qualiter homo furatas res intertiare debet*: cui gemina ſunt, quae occurrunt in LEGE RIP. *tit.* 33. et 73. et CAPITVL. *Lib. VI.* §: 209.

Idemque ſubdiuiſionem ciuilium in reales, perſonales, et perſequutionem rerum furtiuarum.

* Quid vero filtorti? Quum meliora non ſuccurrant: adſcribam, quae de hac voce obſeruat ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 93. *Violentia*, inquit, *vis, damnum, iniuria, et iniuſtitia quaecumque, (quo etiam ablatio rerum alienarum pertinet,) in medii aeui ſcriptis frequenter tortus et* tortum *vocatur, et recto opponitur. Sicut olim* HORATIVS *cantauerat:* curuo dignoſcere rectum, ita *Galli adhuc dicunt* tort et droit. GLOSSA LATINAE GALLICAE: Tortus, ta, tum tort, iniurieux, tortus, tus, torſion, iniure. *Charta Ludouici II. Imp. pro monaſterio Caſaurienſi:* Pro nulla denique mallatura quiſpiam a monachis praefati monaſterii, vel ab aduocato eorum in tortum quaerere audeat, quia -- eidem monaſterio conceſſimus, EDICTVM PISTENSE *Caroli Calui cap.* 20. Sic iniuſtitiam iſtam exſoluant, ſicut illi, qui in ſuo miniſterio tortum faciunt. *Et cap.* 32. *ibid.* Sicut ille, qui tortum in ſuo comitatu vel miniſterio fecerit. VETVS NOTIT. *ex tabulario Vindocinenſi a* CANGIO *citata*: In peruerſo et aperto torto nobis poſtea abſtulit. TABVLAR. S. IOANNIS *ibid.* Terbaldus fecit eis multa torta. *Prior ſyllaba filtortis eſt fil vel, vt Guelpherbytanus codex habet* fel. *Hanc ego puto eſſe a noſtro* fehlen, *falli, errare, unde Itali etiam ſumſere ſuum* fallere, *et* fallire, *Galli* faillir, *Angli* fail, *Belgis idem eſt* falen, feylen. *Quae ſi inuicem componas, feltortus erit falſa iniuria, vel etiam erronee vel falſo iniuriatus, aut cui falſo crimen latrocinii vel furti imputatum eſt.* Haec ECCARDVS, quamuis SCHILT. *in gloſſar. Teut. p.* 298. eamdem vocem compoſitam malit a *fil* commendare, cuius radix ſuperſit in *befehlen* et *terte* tertius, vt ſit res tertio commendata, vel *intertiata*. Ita enim GLOSSA PITHOEI: Filtorta, *res intertiatae*.

§. CXXXXVI.

Sed et ſpeciales actiones perſonales ex *credito*, *promiſſo*, *obligatione defuncti*, et quam vocant *van vnteruvinding*, non videntur veteribus ignotae fuiſſe. Ad primum genus pertinent, quae de re praeſtita habes in LEGE WISIG. *Lib. V. tit.* 4. LEG. SAL. *tit.* 54. LEG. FRIS. *addit.*

Nec actiones ex credito, promiſſo, obligatione de-

functi, et *van vnterwindigh*. *addit. tit.* 11. §. 1. Ad secundum loca ex LEGE WISIG. *Lib. II. tit.* 5. §. 1. *sequ.* LEG. SAL. *tit.* 53. Ad tertium, quae occurrunt in LEGE RIPVAR *tit.* 67. §. 1. BVRG. *tit.* 65. §. 2. WISIG. *Lib. VII. tit.* 5. §. 8. Ad quartum illa, quae de auctoribus, a quibus se caussam habere ait is, apud quem res furtiuae deprehenduntur, cauentur in LEGE SAL. *tit.* 50. Nam actio *van vntervvindingh* in eo consistebat, quod quis alterum adigere vellet ad auctorem, a quo caussam haberet, nominandum. *

* Ita enim eam ipse describit AVCTOR *des richtsteigs cap.* 6. *Tho deme vierdten kummet yt tho van vnderwindinghe, als eft sick vve des vndervvint, dat eînander segget, he sy yt eme plichtich vvedder to nomene.* Id est: *Quarta talis actio oritur ex eo, si quis aliquid dicat, quod se ex alio audiuisse ait, alterque dicat, eum obligatum esse, ut sibi auctorem nominet.* Eoque etiam pertinent exempla, quae ibi citantur ex IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art.* 36. *et Lib. III. art.* 41. *fin.*

§. CXXXXVII.

Nec eas, quae ob res mobiles, feudales, et allodiales dabantur. Notam et veteribus Germanis fuisse diuisionem rerum in MOBILES et IMMOBILES, iam supra vidimus. (*Lib. II. part.* 1. §. 11.) Vtrasque vel FEVDALES, vel ALLODIALES fuisse, (*ibidem* §. 12. *et sequ.*) obseruauimus. Itaque ne dubitare quidem licet, quin eaedem actiones, quas AVCTOR *des richtsteigs* de his rebus dari ait, et veteribus notae fuerint. Sic fane rerum mobilium inuentarum nomine datam esse actionem, patet ex LEGE. BAIVV. *tit.* 2. *cap.* 13. §. 2. LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 1. Institutae ob res emtas actionis exemplum habes in LEG. BAIVVAR. *tit.* 15. *cap.* 4. quemadmodum actiones ob res mobiles *datas*, vel, vti loquebantur, *commendatas* habes in CAPITVL. *Lib. VI.* §. 22. 30. *Lib. V.* §. 204. *edit. Lindenbr.* ob *res furi ereptas*: in LEG. WISIG. *Lib. VII. tit.* 2. §. 20. Denique quid iuris fuerit circa *res hereditarias* et *adquisitas*, ostendimus supra *Lib. II. part. I.* §. 13.

§. CXXXXVIII.

Nec reliquas ab auctore *des richtsteigs* recensitas. Facile etiam ostendi posset, eas quoque actiones, quae de rebus IMMOBILIBVS, tum FEVDALIBVS, tum ALLODIALIBVS, ex mente AVCTORIS *des richt-steigs* competebant, nec non CRIMINALES, quas ille vocat *peinliche-klagen*, veteribus non ignotas fuisse. Sed quum de feudis iam non agamus, de iudiciis vero criminalibus infra futurus sit dicendi locus: iam quidem his non immoramur.

§. CXXXXVIIII.

An diuisiones ab hoc auctore traditae iuri Saxonico congruant? Quod ad medii aeui iura, quae specula SAXONICVM et SVEVICVM sistunt, attinet: de priore aliquid addere, superuacuum esset futurum, quia totus ille libellus, *der richtsteig*, ex iure prouinciali Saxonico depromtus est, auctorque illius, vel quicumque alius, in margine vbique notauit, vnde sua hauserit. In LVDOVICIANA sane editione, quae iam sola ad manus est, hae remissiones, quas vocant, singulis capitibus actionumque generibus adscriptae sunt. Itaque nihil superest, quam vt paucis dispiciamus, an eadem genera actionum etiam

etiam in IVRE SVEVICO, aliisque medii aeui legibus ac statutis praesidium reperiant?

§. CL.

Ius Sueuicum prodidit actiones *vmb schuld, vmb gut et vmb anefang.*

Et IVS quidem GOSLARIENSE in omnibus his geminum esse IVRI SAXONICO, iam supra obseruauimus. Ad SVEVICVM quod attinet, nemo dubitauerit, quin illud distinguat actiones CIVILES et CRIMINALES. Sed et MIXTAS eo iure proditas fuisse, tum quae ex ciuilibus in criminales, tum quae ex criminalibus in ciuiles degenerabant, satis perspicuum est ex *cap.* 99. §. 1. 160. §. 5. 117. §. 2. *sequ.* 158. Ciuiles porro vel personales erant ex contractu, *vmb schuld*, ceu patet ex *cap.* 92. vel reales ex iuribus in re, *vmb gut*; veluti *cap.* 121. vel ex persequutione rerum furtiuarum: *van anefanghe*, de quibus *cap.* 158. vbi et vocabulum illud *anefangen* occurrit in SCHILTERIANA *cap.* 312. (*der sol sin gut wol anuahen*) et in rubrica ipsa: *Der dinphoit oder raup kauffet, vnd daz angeuangen wirt*: nec non in BERGERIANA *p.* 343. (*vnd der mag sein gut* ANVENGEN *mit des richters vrlaub*: (quum in MEICHSNERIANA perperam legatur: *mag er sein gut wol* ANFALLEN *mit des richters vrlaub*.

§. CLI.

In eodem iure fundamentum habent actiones *vmb borge, vmb louede, van erues wegen, et van vnterwinding.*

Quumque AVCTOR *des richtsteigs* actiones *de rebus creditis*; seu personales ex pactis et contractibus, diuidat in eas, quae ex mutuo, commodato, similibusue contractibus oriuntur; *vmb borge*, quae ex promissis dantur *vmb louede*, nec non quae ex facto defuncti nascuntur, *van erues wegen*, et quae ad nominandum auctorem dantur, *van vnteruvindinge*; (§. 137.) has quoque actiones omnes in iure Sueuico reperimus. De primo enim genere actionum agitur *cap.* 130. De secundo exstat *caput*, cui rubrica est: *Der dem andern icht gelobt*, in BERGERIANA *p.* 326. quod in MEICHSNERIANA non reperitur. De tertio *cap.* 254. *sequ.* denique de quarto * *cap.* 258. *sequ.*

* *Auctor* in MEICHSNERIANA *cap.* 159. vocatur *der gevvehre*, vti apud Saxones *der vvehrmann*: in BERGERIANA *p.* 321. *der gescholl*, quamuis et *ibid. p.* 342. vocabulum *der gevvere* occurrat. *Gescholle* vero est a *schollen* vel *sollen*, idque pro debitore vel reo in IVRE AVGVSTANO fere semper vsurpari, obseruat SCHILTER. *in glossar. Teut. p.* 358. Illa nominatio auctoris in criminibus furti et rapinae vocabatur *der schub*: *weil man diese verbrechen auff einen andern schob.* Sic enim saepe is, apud quem res furtiuae deprehendebantur, auctorem suum nominabat, a quo caussam haberet. Is deinde eo nomine actione pulsatus, iterum alium, hic denuo alium nominabat, idque vocabatur *der schub.* IVS PROV. SVEV. *cap.* 163. §. 3. et *cap.* 160. 162. 169. 172. §. 3. Non ergo *schub* proprie est indicium rei furtiuae, ceu vocabulum hoc interpretatus est THOMAS. *de occas. concept. ac intent. const. crim. Car.* §. 23. *p.* 34. *sequ.* nec ipsa rei furtiuae deprehensio, ceu visum est DATTIO *de pace publ. Lib.* I. *cap.* 1. *num.* 71. sed nominatio auctoris. Vnde in caussis ciuilibus ita vocatam esse litis denunciationem, obseruauit SCHILTER. *gloss. Teut. p.* 720.

§. CLII.

Nec non actiones de variis rebus mobilibus.

Nec minus actiones omnes, quas AVCTOR *des richtsteiges* de REBVS MOBILIBVS, FEVDIS et ALLODIIS dari ostendit, apud Sueuos receptas fuisse, facile potest demonstrari. Quod enim ad *res mobiles* attinet, de re-

de *rebus inuentis* agit IVS PROV. SVEV. *cap.* 389. de *emtis cap.* 247. §. 1. * de *datis* vel *commendatis cap.* 243. §. 2. de *furi ereptis cap.* 158. de *hereditariis cap.* 408. *De adquisitis* quamuis nihil speciatim cautum reperiam: in Sueuia tamen hodienum frequentissimum est vocabulum iuridicum *die errungenschafft* vel *errungene guter*, quod sane argumento est, rerum quoque adquisitarum, maxime quod ad communionem inter coniuges attinet, singulare ibi ius fuisse.

* Quum aliquando homines dicis caussa res suas, siue allodiales, siue feudales, ob imminens periculum, vel concursum praeuisum venderent, et quidem veluti sub pacto fiduciae, seu ea lege, ut defunctis periculo bona vendita redderentur: ea quoque fraus occasionem dabat variis actionibus. Vocabatur ea venditio iure Germ. FLVCHTSAAL, idque vocabulum ita describitur ab auctore IVRIS SVEV. *cap.* 131. *Vnd ist, das ein mann gelten soll, vnd setzet sein gut in eines andern mannes hand, dann in des hand, dem er gelten soll, das heisset fluchtsaal.* Conf. IVS FEVD. ALAM. *cap.* 109. et 124. IVS FEVD. SAX. *cap.* 58. et GLOSS. *ad ius prou. Sax. Lib. I. cap.* 44. Ex quibus locis patet, prohibitam fuisse huiusmodi alienationem in fraudem vel domini, vel creditorum, factam, et feudum, hoc modo alienatum amissum esse, nisi alienatio intra 6. hebdomadas reuocata fuisset, vel fugitiuus decessisset. Plura de hac alienatione vel subinfeudatione dixit SCHILTER. *commentat. ad ius feud. Alam. cap.* 7. *p.* 387.

§. CLIII.

Itemque variae actiones de feudis.

Quum porro actiones de FEVDIS, ab AVCTORE *des richtsteigs* recensitae, vel ad feuda *emta*, *nondum tradita*, vel ad *indiuisa inter fratres*, vel ad communia, ex quibus quis alterum expellere constituit, pertineant: de primo casu IVS FEVD. SVEV. agit *cap.* 22. de altero *cap.* 65. de tertio *cap.* 31. Nec omittendae actiones, quae de ALLODIIS dabantur. Et *primum* quidem genus actionis, quo quis hereditatem petens praescriptione submouebatur, non videtur locum habuisse apud Sueuos ob regulam, quam in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 270. et SAX. *Lib. I. art.* 29. inculcari animaduertimus: *Das reich vnd die Schvvaben mogen sich nicht versaumen an ihrem erb, dievveil sie es erzeugen mogen.* *Alterius* vero exemplum est in IVR. SVEV. *cap.* 293. *Tertii* IBID. *in edit. Berg. p.* 33. Nec *quartum* ignorasse arbitror Alamannos, quamuis iam locum frustra me quaerere, fatear.

§. CLIIII.

Actionem apud Francos nemo edebat nisi impetrata prius venia.

De CRIMINALIBVS actionibus, vel, vti Romani vocare malebant, accusationibus, infra suo loco dicere licebit. Iam, quomodo actor aduersario suo edere actionem consueuerit, paucis dicemus. Primo omnium obseruo, tanta Germanos veneratione prosequutos esse iudices, vt non prius actionem proponerent, quam venia loquendi ab iis impetrata. Pertinet huc formula LEGIS SAL. *tit.* 53. §. 2. *Rogo te, tunzino, vt Neistigante* * *gasachio meum illum, qui mihi fidem fecit, (legitimum enim mihi debet debitum,) secundum legem Salicam mihi adstringas.* Ad quae tunzinus vel decanus: *Ego Nestigantio Gasachio illo tuo in hoc mallo, quod lex Salica habet.* Apud RIPVARIOS, teste eorum LEGE *tit.* 55. formula erat: *Ego vos (rachimburgios,) tangano, vt mihi legem dicatis.* Cuius formulae tanta erat vis, tantumque pondus, vt qui ita rogati ius dicere nollent, 15. solidis mulctarentur, Conf. LEG. SAL. *tit.* 60. §. 1.

* Mon-

* Monstrum hoc vocabuli ECCARDVS *ad leg. Sal. p. 95.* idem Francis fuisse existimat, quod ICtis Romanis Lucius Titius, Sempronius, vel in §. 2. *Inst. quib. mod. toll. obl.* A. Agerius et Numerius Nigidius. Et sane tale quid significare illud *nestigante*, ex altera LEGIS SALICAE editione, a Carolo M. emendata, patet, vbi haec formula verbis magis perspicuis ita exprimitur: *Rogo te, iudex, vt hominem illum* DENOMINATVM, *gesachiosem meum, qui mihi fidem fecit, de debito tali denominato, secundum legem Salicam mihi eum inde adstringas.* Vbi, qui in antiqua editione est *nestigante* in hac recentiore est *homo ille denominatus*. TANGANO, quo verbo vsos esse diximus Ripuarios, idem est ac rogo, vel adiuro. GLOSSA apud LINDENBR. *p.* 1585. TANGANO *adiuro, interpello*, procul dubio a Germanico *dingen* vel *thiggen*, quo pro orare vtitur OTFREDVS *Lib. I. cap. 4.* et alibi passim. Coniectura enim ECCARDI *p.* 103. verbum hoc esse a Germanico *zange*, quod Saxonibus fit, *tange*; tam a re aliena est, vt, forcipibus et fidiculis omnibus adhibitis, ad Francicum illud tangano trahi vix possit.

§. CLV.

Idem et medio aeuo obseruatum video: idque luculenter probari potest ex AVCTORE *des richtsteigs*, qui omnibus fere actionibus huiusmodi veniam petendi formulam praemittit, veluti *cap. 7. 8. Here her Richter wil gy N. wort horen?* cui iudex respondere iubetur: *ya. cap. 10. Here her Richter, N. biddet eines ordels. cap. 11. Here her richter, ick klage gode vnd yvv, dat N. syn. N. hebbe, vnd bidde, das gyene darumme to ter antvverde beyden.* Et in caussis criminalibus, de quibus *cap. 31. Eya here her richter, ick bidde dorch Got eines mannes, de myn wort sprecke. Here her richter N. de biddet, dat he mute bringen vor yu in dat gerichte einen, de he bereden will, dat he syn deef sy, vnd den he in der hanthafftigen daet begrepen heft. Heere her richter, wil gy dorch Got vnd dorch des rechten willlen N. wort vort horen.* Sic nemo omnino in iudicio vel pro se, vel pro alio postulabat, adeoque nec actionem edebat, nec exceptionem proferebat, nisi rogata prius venia. *

Quod et medio aeuo obseruatum.

* Quin nec discedere e foro cuiquam licebat, nisi impetrata venia. Ac proinde statim initio iudicii iudex de consilii sententia edicebat, ne quid in iudicio fieret sine venia. *Ergebot dinges laub*, vti est in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art. 59.* ad quae verba GLOSSA notat: *Dinges laub das ist, dass niemands ohne vrlaub hinweggeben, vnd das geding oder gericht lassen moge, ehe es aufgegeben wird. Welches aber allein von den schoepfen, den klagern, vnd antvvortern gesaget ist.* Quemadmodum vero apud Francos nihil sine venia a iudice impetrata in iudicio dicendum faciendumue erat, et tamen non licebat iudici rogato cuiquam sui copiam negare: ita idem et medio aeuo obseruatum esse, nouimus. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. 16. Der richter solt niemandes zu klagen verbieten, oder zu seiner klage hinderung thun.*

§. CLVI.

Impetrata venia, actor breuiter proponebat actionem, simili fere formula, qua olim Romani vti solebant. Quemadmodum enim hi non prolixis libellis actiones intentabant, sed formulis vtebantur, quas vel iureconsulti, vel praetores prodiderant, e. g. AIO HVNC FVNDVM, QVI IN CAMPANIA EST, MEVM ESSE EX IVRE QVIRITIVM: AIO TITIVM MIHI CENTVM EX MVTVO DARE OPORTERE, κ. τ. λ. CAR. BRET. *ord. perant. iudici. ciuil. cap. 24. et 26.* ita simili breuitate magnopere delectatos esse animaduertimus maiores nostros. Tales

Actiones singulas veteres breui formula complectebantur.

fane funt formulae agendi in LEGE ALAM. *tit.* 56. §. 2. MARITVS MIHI DEDIT MORGENGEBA *tit.* 84. HIC EST NOSTER TERMINVS etc. Et in LEGE BAIVVAR. *tit.* 15. *cap.* 11. §. 1. ISTVD MANCIPIVM EGO COMPREHENDI EXTRA TERMINVM, VBI DVX EXERCITVM DVXIT, et §. 4. PATER MEVS RELIQVIT MIHI HOC MANCIPIVM IN HEREDITATEM. Conf. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. *tit.* 17. *cap.* 2. vbi plures huiusmodi formulae, quae actoribus, ne eas pro arbitrariis habeas, tamquam legitimae ac sollemnes praescribuntur. *

* Et eas quidem formulas non scriptas offerebant: sed viua voce praecinebant, quamuis in acta vel protocolla referrentur a scribis iudicii. Non ergo opus erat, vt libellus offerretur, isque deinde cum reo a iudice communicaretur: sed eodem die et actio edebatur, et ei a reo opponebatur exceptio, et iudex super probatione pronunciabat, et praesentes testes audiebat, vel reum iurare iubebat, vel certum diem certamini singulari vel alii huiusmodi purgationis generi praefiniebat, et litem sententia definitiua terminabat. Recte ergo viri docti suspicantur, illas litium ambages, quas hodie in plerisque Germaniae foris miramur, nos iuri ecclesiastico et ciuili debere, eoque demum inuecto, tantam factam esse rerum conuersionem, vt iam pridem optent cordatiores, vt fora murice sternantur?

§. CLVII.

Itemque fiebat medio aeuo. Morem hunc maiorum mordicus tenuerunt posteri: idque denuo luculenter probatur ex AVCTORE *des richtsteigs*, vero Saxonum Flauio, quippe qui omnium fere actionum formulas, paucissimis fortasse, praeter caussidicos, notas euulgauit. Sic *cap.* 7. occurrit actio mutui: *so klaget N. over N. dat he eme sculdig sy teyn marck, vnde biddet eines ordels, eft gy ene icht tho der antvverde byden schollen. cap.* 50. actio aduersus, heredem ex nomine a defuncto contracto. *N. biddet eines ordels, nademe dat he schulde vordert vppe N. na doder handt, eft he syeme icht bevvysen scolle. cap.* 13. actio, qua quis rem mobilem a se emtam persequitur: *N. sprecket, de se haue sy syne, vnde he hebbe sy gegen N. suluen gekofft. cap.* 23. hereditatis petitio: *Here her richter, N. de biddet, dat gy bekennen, oder eme gunnen, dat he dat bevvisen mutte, dat he N. rechte erue sy. Herre her richter,* * *so klage ik yu, dat N. sy gekommen, vnd hebbe sick mynes deels ondervvunden, vnd bidde, dat gy en tho der antvverde beyden.* Et tales sunt formulae actionum omnium, quae in libello isto vtramque faciunt paginam.

* Quum tam saepe hactenus haec adloquutio occurrerit: *Here her richter*: operae pretium fuerit, disquirere, quid illa sibi velit. Posterius *her* esse dominum, nemo dubitauerit. Eum enim honorem maiores nostri habebant iudicibus, vt eos veluti κατ' ἐξοχὴν dominos, *die herren*, vocarent. Hinc frequentissime formulae: *Die herren sind beysammen, ita pronunciarunt domini*, ceterae. At quid prius *Here*? Mihi hic videtur clamor forensis, omnibus gentibus originis Germanicae sollemnis, et adhuc receptus apud Normannos, qui vocem hanc eloquuntur *haro*, a vetere vocabulo Celtico et Gothico *hior* gladius. Nam notum est, alibi pro *haro* etiamnum in caussis criminalibus clamari: *wapen, wapen*. Ceterum non modo in caussis criminalibus auditam esse hanc quiritationem, sed et in ciuilibus eamdem hodie quoque audiri apud Normannos, obseruarunt MONACHI BENEDICTINI *congregationis S. Mauri in additionibus* ad CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. voce Haro, Tomo* III. *p.* 1064. vbi selectissimae de hac voce obseruationes occur-

occurrunt: Eius vestigia superesse puto in formula carnificis: *Herr richter, hab ich recht gerichtet?* Ita enim hanc vocem veterem, sibi non amplius intellectam, deprauarunt posteri: quasi carnifex accedere ad se iubeat iudicem, testem rei bene gestae sibi futurum. Nugae.

§. CLVIII.

Quando prolixiores inualuerint libelli, iique scripti.

Tales erant veteres actionum formulae. Sed ex quo in foris nostris caussas agere coeperunt homines iuris Romani et Pontificii principiis innutriti, vel potius DVRANDI, aliorumque eius ordinis hominum praeceptis imbuti: alia plane esse coepit rerum facies. Iam enim actiones non amplius ad iuris Germanici, sed ad Romani, normam exigebantur: nec breui formula amplius intentionem suam complectebantur actores, sed eam vel in articulos redigebant, quem vocabant libellum ARTICVLATVM e foro proscriptum per REC. IMP. *vltimum* §. 27. *et* 59. vel praemissa facti narratione, positoque agendi fundamento subnectebant petitionem, vt iudex pro se litem daret, qui pragmaticis est libellus SVMMARIVS. Omnia etiam haec non viua voce proferebant, sed scripta offerebant iudici, ex eoque nata est ingens actorum forensium moles, quum saepe integris voluminibus caussam suam tueantur litigantes, quam olim paucissimis verbis non minus dextre perorabant.

§. CLVIIII.

Veteris iuris reliquiae.

Fatendum tamen est, paucas passim superesse veteris moris patrii reliquias, veluti (1. quod in inferioribus iudiciis passim et actio viua voce ad protocollum dictetur, et, reliquae adlegationes a scriba iudicii eodem modo excipiantur: (2. quod in Saxonia, quamuis libellus offeratur scriptus isque ante terminum cum reo communicetur, tamen postea is in termino repetendus sit viua voce, *dieklage muss von mund aus in die feder wiederholet werden*. Quod adeo religiose obseruant, vt nec ex schedula quidem eum legere liceat, et qui in curiis supremis, eam consuetudinem neglexerit, in expensas termini mulctamque 5. imperialium condemnetur. SCHWENDENDOERF. *ad Fibig. p.* 272. MARTINI *ad processf. Sax. tit.* 5. §. 1. *n.* 114. Praeterea (3. quamuis alibi id non tam amare exigatur: prouocationi tamen, quam vocant, inferant formulam: *klager vvolle seine vbergebene klage nach allem ihrem inhalt vnd clausuln von vvort zu vvort anhero viederholet haben, vnd der antvvort gevvartig seyn.* SCHWEND. *ibid. p.* 271. MARTINI *ibid. p.* 216. Denique (4. quod quamuis libellus scriptus offeratur, plerumque tamen actores vtantur formula: *Klager saget zu anbringung seiner klage*. Sed paucae hae sunt reliquiae iuris patrii, nantesque in gurgite vasto.

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

TIT. V.

DE EXCEPTIONIBVS ET LITIS CONTESTATIONE.

§. CLX.

Rei partes admodum fauorabiles.

Male actum fuisset cum reo, si audita actoris intentione, statim eo inaudito de re decreuisset iudex. Immo potius tam fauorabiles erant rei partes, vt nihil eorum, quae ad istius defensionem pertinere videbantur, ei negandum existimarent. Hinc frequens illud iuris Germanici veteris axioma: *Alles vvas ein mann vor gericht nicht thut, vvie vvissentlichen es sonst vvare desselben mocht er mit seiner vnschuld entgehen, vnd man mocht ihn des nicht vberzeugen*. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 18. Itaque, quo pacto reus apud Germanos et litem contestatus sit, et se exceptionibus aduersus actorum intentionem defenderit, hoc titulo paullo accuratius pro instituti ratione ostendere iuuabit.

* Sensus est, negante reo actum, qui extra iudicium gestus sit, non admissum esse actorem ad probationem, sed fauorabiliores fuisse partes rei, si hic iureiurando se purgare vellet. Id enim significat phrasis: *einer klage mit seiner vnschuld entgeben*. At similis est *art. 7. Wer etwas borget, oder gelobet, der sol es gelten, vnd vvas er thut, das soll er stets halten. Will er es aber leugnen darnach, er erwehret sich des mit seinem eyde, vvo er es vor gericht nicht gethan hat. Was er aber vor gerichte thut, da soll der mann nicht vmbschvvehren. Denn das uberzeuget ihn der sachvvaldige vvohl mit zvveyen anderen mannen, vnd der richter soll der dritte seyn*. Et hoc quidem ius inter tria illa esse ait SPECVLATOR *d. art.* 18. quae inuito Carolo M. sibi reseruarint Saxones. At glossator et hanc eorum iurium originem negat, et ipsam regulam falsam esse existimat. Ait enim: *Dieses ist auch vnrecht. Denn man uberzeuget einen Sachsen, vnd alle, so dem Sachsischen recht vntervvorffen sind, auch nach dieses buches recht, gleich so vvoll, als andere leute, vt supra art. 7. 8. 13. et et 25. infra art. 64. Auch findestu es im andern buch im 6. 22. 34. vnd 69. articul. Vnd in dem dritten art. 21. 24. 27. 28. vnd 30. Darumb siehestu, dass es ia falsch ist*. Qua de re plura suo loco.

§. CLXI.

Litis contestatio quid, et quotuplex?

Per litis contestationem Germani intelligebant responsionem rei ad actionem ab aduersario institutam. Vnde reus a Francis dicebatur *gasachio*, quasi contradictor, * LEG. SAL. *tit.* 53. §. 2. a Germanis reliquis *der antvvorter*. Quum vero, qui respondere dicuntur, vel aiant, rem, ita se habere, vel negent: litis contestationem GERMANIS vel ADFIRMATIVAM vel NEGATIVAM fuisse oportet. Quamuis vero ab hac responsione plane diuersa fuerit litis contestatio Romanorum: CAR. BRET. *de ord. perantiquo iud. cap.* 30. *Antiqu. nostr. Rom. Lib. IIII. tit.* 6. §. 42. tamen et Germanicarum gentium leges hac voce vti, animaduertimus, puta LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 23.

* GA-

* GASACHIO a Germanico *sache* deriuant plerique, veluti LINDENBROG. *in glossar. p.* 1406 cui *gasachio* est quasi *gegensacher*, ECCARD. *ad leg. Sal. p.* 95. SCHILTER. *in gloss. Teut. p.* 337. Sed quum caussam non minus actor, quam reus, habere dicatur, nullaque ratio sit, cur reus potius, quam actor, dicatur gasachio, si a caussa nomen hoc oritur: et praeterea maiores nostri, orthographiae parum curiosi, litteris ch, g, k, fere promiscue vsi sint, dicentes *chind* pro *kind*, et *chibot* pro *gebot*: mallem *gesachionem* dictum a *sagen*. *Gesagen* vero veteribus erat, quasi *gegensagen* respondere. Obseruauit hoc auctor GLOSSAE MONSEENSIS, quam edidit PEZIVS *p.* 338. vbi GISAGET, *condixerit*.

§. CLXII.

Reo *negante* actionis fundamentum, non idem vbique obtinebat. Modo enim alterutri iusiurandum deferebatur, modo eius vice erat singulare certamen, modo actori probatio; modo reo onus sese purgandi incumbebat, modo tum demum reus iurabat, si quando, probatione ab vtroque litigante suscepta, nondum tamen liqueret. Postremum obseruabant WISIGOTHI, quorum LEGE *Lib. II. tit.* 2. §. 5. cautum erat: *Quoties caussa auditur, probatio quidem ab* VTRAQVE PARTE, *hoc est, tam a petente, quam ab eo, qui petitur, debet inquiri, et quae magis recipi debeat iudicem discernere competenter oportet. Tamen, si per probationem rei veritas inuestigari nequiuerit: tunc ille qui pulsatur,* SACRAMENTIS *se expiet.* Quumque tunc, qui iureiurando sese purgauerat, innocens haberetur: eadem lege cautum esse videmus, vt, *postquam iurauerit ille, qui pulsatus esset, quinque solidos, qui pulsauerit, cogatur exsoluere.* Litis contestationis negatiuae effectus apud Wisigothos.

§. CLXIII.

Apud BVRGVNDIONES, qui litem contestabatur negatiue, aut ipse se ad iurandum paratum ostendebat, aut iusiurandum ab aduersario oblatum suscipiebat. Iurante alterutra parte, lis erat finita. Sin quis oblatum ab altera parte respueret iusiurandum, neque caussam eius ac consacramentalium religioni committere auderet: integrum illi erat, ad singulare certamen prouocare aduersarium,* ex quo si victor abiret actor, omnem summam libello comprehensam nouies ex victi bonis consequebatur: victo contra actore, omnes eius consacramentales 300. *solidos mulctae nomine, absque vlla induciarum praestatione, exsoluere cogebantur.* LEX BVRG. *tit.* 45. Addatur *tit.* 80. §. 2. ex cuius §. 3. constat, etiam eum, qui columniatori auctor ad subeundum singulare illud certamen fuerit, eamdem mulctam debuisse. Apud Burgundiones.

* Hoc ipsum est, quod in illa Burgundionum lege tam acriter reprehendunt AGOBARD. *adu. legem Gundobad. cap.* 6. *p.* 113. *Tom. I. Op.* aliique veteres. Nam primum testes non admittebant, ab actore productos, sed reum iurare patiebantur, quantumuis testibus idoneis conuinci posset. *Quae vtilitas est*, inquit feruidissimi ingenii praesul, *vt propter legem, quam dicunt Gundobadam, cuius auctor exstitit homo haereticus, et fidei catholicae vehementer inimicus, (cuius legis homines sunt perpauci,) non possit super illum testificari alter, etiam bonus Christianus? Ex qua re oritur res valde absurda, vt, si aliquis eorum in coetu populi, aut etiam in mercato publico commiserit aliquam prauitatem, non coarguatur* TESTIBVS, *sed sinatur* PERIVRARE, *tamquam non fuerint, per quos veritas posset agnosci.* Deinde ne pueros quidem in verba sua adigere dubitabant Burgundiones, eoque pertinet locus CA-

PITV-

PITVLAR. *Lib. I.* §. 63. *Et ut paruuli, qui sine rationabili aetate sunt, non cogantur iurare, sicut Gundebodingi faciunt.* Denique in singularia illa certamina quam maxime inuehitur AGOBARDVS *ibid. cap.* 7. *p.* 113. *Horum enim caussa*, inquit, *accidit, vt frequenter non solum valentes viribus, sed etiam infirmi et senes, lacessantur ad* CERTAMEN *et* PVGNAM, *etiam pro vilissimis rebus, quibus feralibus certaminibus contingunt homicidia iniusta, et crudeles ac peruersi euentus iudiciorum, non sine amissione fidei et caritatis, ac pietatis, dum putant, Deum illi adesse, qui potuerit fratrem suum superare, et in profundum miseriarum deiicere* Et *cap.* 11. *p.* 118. *Quum haec omnia ita sint: quis est tam temerarius, vt credat, si duo pro asino molino, aut quidquid etiam sit vilius contendant, non possit alter cadere, cuius illud esse debere putatur, quum forte aut multa, aut maiora existant peccata eius, quam alterius, pro quibus puniendus sit? Vere haec non est lex, sed nex.* Denique 14. *p.* 121. *Hic autem interrogo, vtrum caussa mala fuerit, pro qua bellator vterque occumbit?*

§. CLXIIII.

Apud Francos. Francos, saltim AGOBARDI aetate, ad sacramenta et certamina singularia non descendisse, si testes in promtu essent, quibus reus negans conuinceretur, vel ex eo patet, quod Burgundiones ideo ad Francorum leges amplectendas cogi cupit AGOBARDVS, ne amplius testimonia reiiciantur idonea, nec vnicuique fas sit, perfidiam suam vel iureiurando, vel gladio tueri. Et hinc tam multa salutaria de testibus praecipiuntur in CAPITVLARIBVS, vt vel loca hic colligere velle taediosum esset futurum. Contra in iisdem *Lib. V.* §. 197. prudenter monentur iudices, ne litigantes facile ad iusiurandum admittant: *Volumus, vt sacramenta cito non fiant, sed vnusquisque iudex prius caussam veraciter cognoscat, vt eum veritas latere non possit, nec facile ad sacramenta veniant.* *

* Saepe quidem iureiurando se purgabant rei, cuius moris exemplum est apud GREG. TVRON. *histor. Lib. VII. cap.* 23. et in ANNAL. BERTIN. *ad ann.* 831. saepe consacramentales adhibebant, vti apud eumdem *Lib. VIII. cap.* 9. et *Lib. VIIII. cap.* 32. saepe in caussa dubia ad singulare certamen vel ad iudicium ignis, vel aquae siue frigidae siue feruentis, vel ad examen crucis confugiebant, ceu praeclare demonstrarunt CAR. DV FRESNE *in glossar. Lat. voc. aqua, ignis, ordalia.* SIRMOND. *ad Goffrid. Vindoc. Lib. III. epist.* 38. BALVZ. *ad capitul. Tom. II. p.* 1155. Sed praeterquam quod haec omnia, magis ad caussas criminales, quam ad ciuiles, pertinuisse videntur, (quamuis et in ciuilibus negotiis ad singularia certamina aliquando itum esse, obseruet HADR. VALES. *rer. Francic. Lib. XV. ad ann.* 590.) sub regibus Carolingis haec iudicia Dei, quae vocabant, pro illicitis haberi coepisse, suo loco demonstrabimus. Interim legi potest AGOBARDI libellus *contra iudic. Dei, T. I. p.* 301.

§. CLXV.

Quomodo litem negatiue contestati sint Saxones? Similes fere fuerunt mores reliquarum gentium, quos tamen ideo hic fusius recensere nolumus, quod infra, vbi de probationibus dicendum fuerit, eos accuratius pertractandi futura sit occasio. Iam tantum, quae post Carolidarum aetatem fuerit litem negatiue contestandi ratio, paucis ostendemus. Vbi denuo nobis insigni adiumento est AVCTOR *des richsteigs*, qui libello isto non modo formulas agendi, sed et excipiendi, litemque contestandi cum cura praescripsit. Exemplum huiusmodi litis contestationis est *cap.* 8. vbi rei aduocatus, impetrata loquendi venia, ita respondere iubetur: *Vnschuldich sege he sick, dat he N.*

he N. icht schuldich sy, vnd biddet eines ordels, offt he is eme icht neger tho vntgande sy vven em yenne sy over tho gande. Et *cap.* 13. *Here her richter, ick bin des vnschuldich, dat ick sy eme verkost, vnd bidde enes ordels.* Denique *cap.* 16. *Here her richter, ick en hebbe syner haue nicht*, id est, nego, me quidquam rerum eius habere: vbi simul monet AVCTOR, interrogasse actorem, an si probare possit, reum res suas possidere, hic iurare teneatur? Ex quo intelligitur aliquando, probante actore, non condemnatum esse reum, si se hic iureiurando purgare posset.

§. CLXVI.

Sed sufficiant haec de litis contestatione *negatiua*. Si reus inficiari non poterat, quod ab actore adfirmabatur: res ipsa exigebat, vt se EXCEPTIONE PEREMTORIA tueretur, id est, adlegatione vel iuris, vel facti, quo actio elideretur. Neque enim existimandum est, tam argutos fuisse maiores nostros, vt multum interesse existimarint, vtrum ipso iure non competeret actio, an ope exceptionis tolleretur. * Quidquid enim in iudicio proferebat reus, eo consilio, vt actio effectu careret, illud Germani exceptionem vocabant, siue illud ad ius siue ad factum, pertineret.

Adfirmatiuae litis contestationi subiungebatur exceptio. Haec quid Germanis fuerit?

* Notum est, non omnes reorum adlegationes, quibus intentio actoris eliditur, Romanis dictas esse exceptiones, sed eas duntaxat, quibus actio, stricto iure competens, ob aequitatem excluditur, *pr. Inst. de except. L. 2. pr. D. eod. L. 12. D. de dol. et met. except.* At tantum abest, vt Germani vmquam his tricis delectati sint, vt ne recepto quidem Romano illud discrimen admiserint, sed pragmatici et hodie omnia, quae ad perimendam actoris actionem faciunt, exceptiones adpellitent, siue in facto, siue in iure consistant. Hinc quotidie audiuimus exceptiones solutionis, compensationis, rei non sic, sed aliter, gestae, ceteras, quae iureconsultis Romanis exceptiones numquam dictae sunt.

§. CLXVII.

Talium exceptionum peremtoriarum passim fit mentio in vetustis Germanorum legibus. Suffecerit vnum vel alterum exemplum. In LEGE BAIVV. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. conquerente actore, reum suum agrum iniuria inuasisse: reus opponit exceptionem antiquioris possessionis: EGO TVA OPERA PRIORA NON INVASI CONTRA LEGEM, NEC CVM SEX SOL. COMPONERE DEBEO, NEC EXIRE, QVIA MEA OPERA ET LABOR PRIOR HIC EST, QVAM TVVS. Et *tit.* 17. *cap.* 2. reus actori obuertit exceptionem dominii. Primum enim actor ita intendit: CVR INVADERE CONARIS TERRITORIVM, QVOD EGO IVSTE IVRE HEREDITATIS DONAVI? reus excipit: CVR MEVM DONARE DEBVISTI, QVOD ANTECESSORES MEI ANTEA TENVERVNT, ET MIHI IN ALODEM RELIQVERVNT, ET VESTITA EST ILLIVS MANVS, * CVI TRADIDI, ET FIRMARE VOLO CVM LEGE?

Exempla exceptionum peremtoriarum ex legibus antiquis.

* Notanda haec loquutio, quae non modo probat id, quod supra docuimus, puta quod et res allodiales in alterum transferri consueuerint per inuestituram, (Lib. II. Pars I. §. 117.) verum etiam ostendit originem loquutionis Germanicae, qua inuestitura per manum exprimitur, e. g. *die gesamte hand*, pro inuestitura simultanea, *hantlohn* pro laudemio, cetera.

§. CLXVIII.

§. CLXVIII.

Ex auctore *des richtsteiges*.

Similis et postea fuit excipiendi ratio apud SAXONES et SVEVOS, id quod vel vno exemplo ex AVCTORE *des richtsteiges* probare licebit. Agens ille de actione, aduersus fideiussores instituta, *cap.* 9. octo exceptiones reo in mundo esse monet, primo exceptionem ordinis: *nademe dat de sakevveldige* (debitor principalis) *dar yegenvvardich sy, est me den icht bilke beklagen schole?* secundo exceptionem diuisionis: *est me eme hoger, vvenne vmme synen antal beklagen mutte, edder schole an synen kumpanen broke vverde?* Id enim cauetur IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 85. tertio exceptionem solutionis: *nademe he vor den he louede, ene bereidinge bevvisen mach, est he tho rechte nicht schole loss syn?* quarto exceptionem nouationis: *nademe dat yt lovede meth dagen, met borgen, edder met ander vervvandelingh vernyet sy, est he tho rechte denne icht los sey?* quinto pacti non adimpleti, si nempe plures promiserint se pro debitore intercessuros, idque deinde non fecerint: sexto exceptionem non subsistentis debiti principalis: septimo compensationis, puta, si pignus acceperit creditor: postremo exceptionem solutionis a debitore principali factae. *

* Ceterum ex hoc aliisque eius libelli locis patet, exceptiones semper proponi consueuisse per modum interrogationis. Quemadmodum enim vetere iure Rom. exceptio a praetore erat postulanda ac impetranda, ceu patet ex loco CICERONIS *de inuent. Lib. II. cap.* 19. *Agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum:* POSTVLAT *is, quicum agitur a Praetore* EXCEPTIONEM, *extra quam si in reum capitis praeiudicium fiat*: ita apud Germanos a iudice postulanda dandaque erat exceptio. Prius fiebat per interrogationem, vel petitionem decreti, posterius per decretum seu interloquutionem. Praetor enim quaerebat ex scabino, an reo haec exceptio competat? eoque id adfirmante, hic ad illam admittebatur. Exemplum est in *cap.* 27. *des richtsteiges*, vbi actori, rem, tamquam feudalem vindicanti reus opponit exceptionem, rem esse allodialem, statimque interrogat, an non sibi haec exceptio competat? et an non, ea probata, actori praeferendus sit? et statim sequitur decretum, ipsi hanc exceptionem esse profuturam. Verba ita se habent: *So* VRAGE, *wedder du icht neger tho beboldende bist dynes eygenes, an dem gude, edder yt yenne tho lene neger tho behaldene sy? So* VINT ME, *du sist des neger.* VINDEN vero vel *finden* est dicere sententiam, vel decernere. Vnde et hodie Hamburgi sententia praetoris dicitur *eine findung* vel *niedergerichts findung*.

§. CLXVIIII.

Habebant Germani etiam exceptiones dilatorias, tum communes cum Romanis.

Sed quum inter octo illas exceptiones, quas fideiussori opponi posse ait AVCTOR *des richtsteiges*, quaedam non sint *peremptoriae* vel perperpetuae, sed *dilatoriae* seu *temporales*: inde facile patet, Germanis in promtu fuisse etiam huius generis exceptiones, et quidem non modo eas, quibus Romani vtebantur, veluti incompetentis iudicis, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 283. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 25. 79. 87. iudicis suspecti, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 23. CAPIT. *Lib. VII.* §. 170. 142. 143. IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 52. restitutionis in integrum, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 210. *et* 211. feriarum, IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 11. excussionis, seu ordinis et diuisionis, (§. 168.) praeiudicii, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. §. 1. 2. 3. et similes, verum etiam quasdam Germanis proprias, quales in primis erant exceptiones non-

nondum praestitae guarandae et satisdationis; de quibus iam quaedam pro instituti ratione dicenda erunt.

§. CLXX.

Tum sibi proprias, qualis exceptio guarandae.

Talis, inquam, praecipue est exceptio *guarandae*, qua quis ab alio actione siue ciuili siue criminali pulsatus, non cogebatur prius litem contestari, vel tamquam contumax condemnabatur, quam actor promisisset, alium ex eodem capite non acturum. Si ergo praestita *guaranda*, (id quod stipulata manu fiebat,) alius quis aduersus reum ageret, et actor illum repellere non posset, hic et reo poenam, *die vvehrbusse*, debebat, (§. 142.*) et iudici mulctam, vel si res siue hereditarias, siue expeditorias, siue vtensiles petens guarandam praestitisset, isque inde alium acturum repellere non posset, et reo et iudici mulctam soluere cogebatur, simulque res amittebat. Ita rem exponit auctor IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 15. *Lib. III. art.* 14. *

* Sueuos ignorasse arbitramur hanc *guarandam*. Praeterquam enim, quod nec eius promissionis, nec mulctae illius, quae vocatur *die wehrbuss*, vsquam fit mentio: in BERGERIANA *iuris prouincialis Sueuici* editione *p.* 306. caput occurrit, a MEICHSNERO omissum, quo id, quod in iure Saxonico tamquam effectus guarandae describitur, constitutioni aduocati attribuitur. En verba vtriusque speculi: *Dievveil die gevvehr ongelobet ist*, inquit REPKOVIUS, *so mag der klager bessern seine klage*: Contra SPECVLATOR SVEVVS: *Dievveyl er nicht vorsprechen hat, so mag der chlager pessern seine clag, vnd darnach nicht, wann als mann ertheilt nach dem rechten.*

§. CLXXI.

Eius effectus,

Sed et hunc effectum guarandae attribui animaduertimus, quod, ea praestita, non amplius integrum sit actori actionem mutare. IVR. PROV. SAX. *Lib I. art.* 63. *Lib. III. art.* 14. Ex quo recte colligere nobis videmur, Germanos hoc promissum aeque pro contractu habuisse, ac Romanis litis contestatio obligationem quasi ex contractu inuoluere visa est. *L.* 33. *D. de obl. et act.* SCHILT. *Ex. XIII.* 4. Addimus, ne ad litis quidem contestationem obstrictum fuisse reum, guaranda nondum praestita. Hinc quando SPECVLATOR SAXO *Lib. II. art.* 3. scribit: *Vmb alle sachen, da man den man vmb beschuldiget, da soll er fur antvvorten zu hand, bekennen oder leugnen*, recte notat KLINGIVS: *Das ist, vven die gevvehr angelobet.*

§. CLXXII.

Exceptio satisdationis de prosequenda lite, tum apud veteres.

Progredimur ad *satisdationis* exceptionem. Eam iam veteribus notam fuisse, satis constat. In primis vero cautio de prosequenda lite in eorum legibus frequenter occurrit. Sic apud WISIGOTHOS lex, *Lib. II. tit.* 1. §. 11. exigebat hanc cautionem, si feriae inciderent, et reus non esset persona tam fide digna, vt nudae eius repromissioni standum videretur. Eamdem per *vvadia* seu pignora praestare tenebatur reus, si quando ob exceptionem praeiudicialem lis eodem die finiri non posset. Exemplum ex CAPITVLARI *Ludouici Pii ann.* 826. a CAR. LABBEO edito, protulit GVNDL. *in πρῶτ. pandect. Lib. II. tit.* 8. *p.* 178. Denique si quando reus iusiurandum et sa-

cramentales spondebat, die ad illud praestandum dicto, pignora deponenda erant apud iudicem, ea lege, vt pro commissis haberentur, nisi die illo vel iuratum vel actori satisfactum esset. LEG. ALAM. *tit.* 36.

§. CLXXIII.

tum apud Saxones et Sueuos.

Similis cautio et medio aeuo ab vtroque litigante exigi solebat, tum apud Saxones, tum apud Alamannos. Nam in IVRE SAX. *Lib. II. art.* 9. legimus: *Der richter soll auch burgen haben, von dem klager, und von dem, auf vvelchen die klage gehet, dass sie des rechten vollkommen vvollen.* Vbi quidem interpres Latinus vertit; *vt iudici se repraesentent*, adeoque intellexit cautionem *iudicio sisti*: sed palam est, Saxonem potius intelligendum de cautione de lite prosequenda. Id enim discimus ex IVRE PROV. SVEV. *cap.* 3. *Da zvveen Mann fur gericht gehen, vnd klagen vmb gult einander an, oder vmb ander vngericht; die sollen burgen setzen, der ein, dass er die klag vollfuhre, der ander dass er der klage antvvorte, als recht sey.* * Sed et cautionis de praestando iureiurando mentio fit in IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 11.

* Aliquando et de indicio sisti cavebat reus, tum in caussis ciuilibus, tum in criminalibus. Et tunc fideiussores, nisi reum exhiberent, eamdem poenam ferre cogebantur, quae mansura fuisset ipsum reum. IVS PROV. SVEV. *cap.* 161. §. 2. *Wer ausburget einen man von einem richter, dass er ihn furbringe vmb vngerichte, bringet er ihn nicht fur, er muss das alles leyden, das iener solt leyden.* Hinc quamuis iudex cautionem recipere sine accusatoris consensu non posset in caussis homicidii, rapinae, similibusque; IBID. *cap.* 153. tamen si accusator in eo adquieuerat, et semel receperat fideiussorem, hic, non exhibito reo, capitis damnabatur: Ita enim SPECVLATOR *ibid. cap.* 326. *Es soll niemand da burg werden vmb einen todschlag. Wird aber einer burg, man tuedtet ihn, als jenen.* Ex quo intelligimus, maiores quoque nostros ex parte probasse consuetudinem Graecorum, aliarumque gentium, qui supplicium sumebant a fideiussoribus, vel vadibus, qui pro capitis reo sese obstrinxerant, de quo more legendi GROT. *de iure belli et pac. Lib. II. cap.* 21. §. 11. *n.* 2. PVFENDORF. *de iure belli et pac. Lib. V. cap.* 10. §. 12. Ex parte, inquam. Nam Saxones hac in re humaniores fuisse, discimus ex IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art.* 9. *Wer da burge wird vor den mann ihn wieder vorzustellen, und mag ihn dann nicht gehaben, wann er ihn wieder stellen soll, er muss es bessern nach dem der beklagt ward, also doch, dass er der klagen zuvor ubervvunden sey. Gebet ihm aber die klage an den leib, er muss sein* WERGELD *geben. Vnd das wird denn dem klager, vnd nicht dem richter. Sein gevvett aber hat der richter daran.* Attamen haec omnia intelligenda de casu, si reus aufugisset. Nam si decessisset, vel alias per vadem non stetisset, quo minus reum exhiberet, procul dubio liberatus erat fideiussor. Nam et si quis pecudem se exhibiturum promiserat, mortua pecude liberabatur, modo exhiberet corium. IVS PROV. SVEV. *cap.* 139. §. 2. et SAX. *Lib. II. art.* 11.

§. CLXXIIII.

Exceptio cautionis de reconuentione.

Ex quibus omnibus simul discimus, nec exceptionem cautionis de iudicio sisti et iudicatum solui ignotam fuisse maioribus nostris. * Sed praecipua tamen erat cautio de reconuentione, quam si praestare non possent rei, aliquando in carcere habitare cogebantur. Quum enim reconuentiones omnino probaret Germanorum Themis, et ei tamen, nisi finita conuentione, locus non esset: aut fideiussores exigebantur, aut reus mandabatur custodiae, nisi bona immobilia possideret. IVS PROV.

PROV. SAX. *Lib. I. art. 61. Wo der mann recht fodert, da soll er vviederumb rechtens pflegen. Kein klager darff burgen setzen, ehe denn die klage betaget vvird. Wer keinen burgen haben mag, den soll man behalten in des richters gevvalt, ob der da kein erb hatt, vnd er vmb vngericht klaget, oder ob die klag auf ihn gehet.*

* Sic proscriptus non poterat proscriptione eximi, nisi satisdaret iudicatum solui. IVS PROV. SAX. *Lib. III. cap. 18. Burgen soll der geachtete setzen, dass er wolle vorkommen sich zu verantvvorten. Hat er der burgen nicht, der richter soll ihn behalten, bis dass er rechtens pflege.* IVS PROV. ALAM. *cap. 153. Ein verachter mann, will er sich aus der achtziehen, so soll er fur den richter kommen vngefangen vnd vngebunden, der ihn zu acht hat gethan, vnd soll ihm gevvisse burgen vmb der klagern schulde setzen vnd vmb sein busse, vnd sind die klager da zugegen, die sollen die burgschafft selbst empfangen vmb ihr ansprach. Vnd nimmet der richter vngevvisse burgen, der richter soll den schaden han, vnd nicht die klager.* Et *cap. 89. Wes der klager vor gericht schuldig wird, oder der, auf den die klage geht, da sollen sie burgen vmb setzen, ob sie nicht gutes in dem gericht haben. Wer nicht burgen hat, den soll der fronbot behalten.*

§. CLXXV.

Singularis quoque et propria Germanis erat exceptio dilatoria, qua vtebantur rei, qui alia lingua, quam quae illis vernacula erat, conueniebantur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. 17. Ein ieglich mann, den man beschuldiget, der mag vvol vviedern zu antvvorten, vvo man ihn nicht beschuldiget mit der sprach, die ihm angeboren ist, als ob er nicht deudsch kan, vnd sein recht dazu thut,* (i. e. si hoc iureiurando confirmet,) *schuldiget man ihn dann an seiner sprach, so muser antvvorten, oder sein fursprech von seiner vvegen, also dass es der klager vnd der richter vernemen mogen. Hat er aber einst deudsch geklaget, oder geantvvortet, oder vrtail gefunden vor gericht, vnd mag man es gezeugen er muss vvieder antvvorten zu deudsch,* (*ohn vor dem reich*) *dann also hat ein ieglich mann sein recht nach seiner geburt.* *

Exceptio linguae actoris sibi ignotae.

* In IVRE PROV. SVEVICO *cap. 80. §. 6. editionis Meichsnerianae* (in Bergeriana enim haec desiderantur,) caput hoc paullo aliter se habet. Nam primum cauetur, vt si quis, actione pulsatus, linguam, qua actor vsus est, calleat, nec tamen litem contestari velit, iudex ei tres dilationes concedat, et ne sic quidem respondentem tanquam confessum et conuictum condemnet, et praeterea mulctam exigat ob contumaciam. Deinde si quis linguae, qua conuenitur, ignarus est; speculator Alamannus ei aduocatum linguae istius gnarum dari iubet. Si huius non fit copia, distinguit, sitne reus ἐν αὐτοφώρῳ deprehensus, vel ab aliquo visus, dum furtum faceret, an testibus conuinci non possit. Priore enim casu condemnari eum iubet, de posteriore vero praecipit: *man solle ihn behalten, biss man ihm gevvinnet einen, der sein sprach kan.* Denique additur, pro confesso habendum esse, quem testes linguam callere adfirment, si litis contestationem pertinaciter refugiat.

§. CLXXVI.

Denique et id addimus, non prohibuisse exceptiones dilatorias, a reo oppositas, quominus is litem contestaretur, sed eum ad respondendum obstrictum fuisse, saltim sub conditione, si satisfactum esset his

Exceptionibus dilatoriis non differebatur litis contestatio.

his exceptionibus. Interea dum iis nondum fuerat satisfactum, perinde erat, ac si litem nondum esset contestatus. Et huc pertinet locus IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 30. *Dievveil sich der mann antvvortens vvehret, mit vrteilen vnd mit recht, dievveil so hat er nicht geantvvortet.* Cuius manifestus sensus est, puta non videri qui respondit, respondisse, donec iudex super responsione fuerit interlocutus.

§. CLXXVII.

Conclusiones quaedam de guaranda.

Talis fuit veterum litis contestatio: tales exceptiones, tum peremtoriae, tum dilatoriae. Cuius veteris iuris Germanici paucae quaedam in foris nostris reliquiae supersunt. Nam inde est, (1. quod adhuc in terris Saxonicis exigitur praestatio guarandae, (2. manu stipulata, vel tacto iudicis baculo, praestanda, et (3. in actis consignanda. CONST. SAX. *Part. I. Const.* 4. et ibi MOLLER. et CARPZ. Quo pertinet formula, qua reus vti solet: *Gestalt denn klager die gevvehr hiemit angelobet, vnd solches ad acta zu registriren bittet:* itemque formula registraturae quam vocant: *Acto. hat N. N. die geforderte gevvehr der klage durch einen hand-schlag (vel an den gerichtsstab) vvurcklich angelobet, vnd ist solches zur nachricht hieher registriret vvorden.* SCHWENDEND. *ad Fibig. p.* 475. (4. Quod ne in criminalibus quidem caussis accusator immunis sit a guaranda praestanda, CARPZ *process. Sax. tit.* 9. *art.* 4. *n.* 13. quamuis (5. ea cesset in caussis exsequutiuis, COLER. *proc. exsequ. Part. IIII. cap.* 3. *n.* 17. nec non (6. in summariis, CARPZ. *ibid. n.* 43. quales (7. et matrimoniales habentur. BEVST. *de sponsal. et matrim. Part. I. cap.* 1.

§. CLXXVIII.

eiusque effectu.

Quamuis vero (8. dirus ille effectus, puta *die vvehrbusse*, hodie omnino in foro cesset: * non tamen plane inanis haec est guarandae praestatio, siquidem actor, praestita illa, nec (9. actionis libellum amplius mutare, nec (10. iusiurandum deferre potest. MOLLER. *ad part. I. Const. elect.* 4. *n.* 11. *sequ.* BERLICH. *Part. I. concl.* 19. *n.* 14. Quare (11. non modo pragmatici suadent, vt reus non prius, quam postulata guarandae praestatione, litem contestetur. FIBIG. *cap.* 2. §. 12. *n. L. p.* 470. sed et (12. iudex actorem contumacem, si citatus se non sistat, condemnat in impensas, reumque ab instantia absoluit hac interloquendi formula: *Dass beklagter von dieser instanz billig zu absoluiren, klager auch demselben die vnkosten zu erstatten, vnd caution de lite prosequenda zu bestellen schuldig.* SCHWENDEND. *ad Fibig. p.* 471.

* Hinc praestationem guarandae hodie pragmatici vocant actum cum nullo actoris periculo coniunctum, ac proinde guarandam et a procuratore, licet speciali mandato non instructo, promitti posse censent. CARPZ. *Process. tit.* 5. *art.* 2. *n.* 53. SCHWENDEND. *ad Fibig. p.* 475. qui simul obseruat, vrgente reo speciale mandatum, interloquutionem sequi solere: *Dass klager die gesonnene gevvehr der klage zur nothdurfft angelobet, derovvegen beklagter seines vorvvendens vngeachtet auf dieselbe sich einzulassen schuldig.*

§. CLXXVIIII.

§. CLXXVIIII.

Nec non de cautione pro reconuentione et expensis.

Praeterea inter. iuris patrii reliquias referri potest (13. cautio pro reconuentione et expensis, Romanis ignota, at (14. in Germania vbique necessaria, si actor non possideat immobilia, reusque (15. illam ante litis contestationem petat. CARPZ. *Lib. II. resp.* 76. Et sane haec cautio non modo in caussis ordinariis, verum etiam (16. in summariis et exsequutiuis recte exigitur; COLER. *proc. exsequut. Part. IIII. cap.* 3. *n.* 20. non tamen (17. in matrimonialibus, BERL. *Part. I. concl.* 20. *n.* 18. nec (18. in criminalibus, quidquid hic obiiciat CARPZ. *Part. I. const.* 5. *def.* 23.

§. CLXXX.

De euentuali litis contestatione.

Id quoque ex iure vetere patrio reliquum est, (19. quod licet quis plures exceptiones dilatorias actori opponat, nihilominus tamen litem in euentum, vti loquuntur, contestari teneatur, et, (20. si id non fecerit, condemnetur in expensas, et (21. litis contestatio illi iniungatur sub poena confessi et conuicti. Neque enim Germani, pertaesi diuturnarum litium, ferre poterant, vt partes hoc obtentu litem protraherent, ac proinde (22. voluerant, vt super exceptionibus dilatoriis et litis contestatione vna eademque sententia interloquutoria pronunciaretur.

§. CLXXXI.

De modo litigandi introducto iure can. et ciuili.

Sed fatendum est, has quoque veluti fractas e naufragio tabulas esse, et pleraque in foro et hic mutasse ius canonicum, et ciuile, semel receptum, idque eo facilius fieri potuisse, quo lubentius ordines imperii ordinem iudicii cameralis veluti pro lapide Lydio, ad quem iudicia sua componenda essent, haberent, eumque omnium perfectissimum esse putarent atque aequissimum. * Hunc vero plane ad normam iuris ciuilis et canonici esse compositum, statim vnusquisque animaduertit.

* Antea sane persuaderi non potuit imperii ordinibus, vt recepta litigandi ratione taediosiore, qualem ius canonicum inuexerat, antiquo iudi totum ordini nuncium mitterent. Immo potius sub Fridrico Austriaco serio actum esse animaduertimus de iudiciis patriis conseruandis, et iureconsultis Romanis ex foro proscribendis. Qua de re plura diximus in *Hist. iur. ciuil. Lib. II. cap.* 4. §. 99.

TIT. VI.

DE PROBATIONIBVS ET PVRGATIONIBVS.

§. CLXXXII.

Lite contestata vel probatio vel purgatio requirebatur.

Probatio litis forensis quasi caput est, et fundamentum. Quum enim reus raro tam sit veritatis amans, vt quod ei ab actore obiicitur, illico fateatur, aliquando etiam actor per calumniam multa de reo mentiatur, quae illi in mentem numquam venerunt: necesse est, vt vel

vel actor intentionis suae fundamentum, vel reus exceptionem probet, vel hic iustam suspicionem, in quam adductus est, saltim a se amoliatur, quorum prius PROBATIONEM, posterius PVRGATIONEM vocamus,

§. CLXXXIII.

Vtraque quotuplex sit?

PROBATIO apud Germanos quoque modo per *testes*, modo per *instrumenta*, fiebat: nec minus, deficientibus aliis probandi mediis, *iusiurandum* deferebatur. PVRGATIO vero, ex quo ius ecclesiasticum mores Germanorum, ferro aliisque modis temerariis tuendi innocentiam, damnauit, in *canonicam* et *vulgarem* diuiditur, quamuis olim vulgarem *iudicium Dei* vel *ordelam*, * quasi *Gottes vrtheil* vocare mallent.

* *Ordela* vel *ordalium* esse ipsum Germanorum *vrtheil*, postea speciatim ad illas purgationes translatum, recte obseruat HICKESIVS *Vol. II. p.* 149. Existimabant enim veteres, Deum ipsum quasi ferre sententiam, et dare litem secundum alterutrum, cui bene ista exploratio cesserit. Quamuis enim aliquando et purgatio per sacramentum iudicium Dei vocetur, veluti a GREG. TVR. *de mirac. Lib. III. cap.* 39. et in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 15. id tamen rarius fieri animaduertimus, plerumque autem, tunc Deum iudicare, dictum legimus, si ex singulari certamine aliquem illaesum abire, vel ferro candente non laedi contigerit. Hinc illa CAPITVLAR. L. *ann.* 809. §. 20. *Vt omnes iudicio Dei credant absque dubitatione*, LEG. BVRG. *tit.* 45. *Deo iudicante confligere*, GREG. TVR. *Lib. VII. cap.* 14. *Ponere aliquid in iudicio Dei*, LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 13. §. 2. *Per pugnam ad iudicium Dei decernere*. Quin sicuti Germanice has purgationes simpliciter et sine addito vocabant *ordel*: ita id et Latine aliquando exprimebant per vocabulum, *iudicium*: veluti in CONCIL. MOGVNT. *ann.* 888. *Can.* 23. *Aut* IVDICII *examine, aut sacramenti, protestatione se expurget*.

§. CLXXXIIII.

Iure Wisigothico pars vtraque probabat.

De probatione ergo quaeritur primum, cui illa iure vetere Germanorum incubuerit? Deinde quomodo ea suscepta et impleta fuerit? denique quodnam eius fuerit effectum? Et iure quidem Romano actoris fuisse probare actionem, rei exceptionem, inter omnes constat. Idem principium sequutos animaduertimus WISIGOTHOS, non ignaros iuris Romani, quippe qui non modo ab actore, verum etiam a reo, probationem exigebant, arbitrio relicto iudici, vtrius partis probationes validiores iudicet. LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 2. §. 5.

§. CLXXXV.

Itemque iure Francico.

Idem et de Francis, aliisque originis Germanicae gentibus, videtur dicendum. Saltim illos vtrique parti indulsisse, vt testes producere possent, patet ex CAPIT. *Lib. IIII.* §. 45. At prius ipsi iudices ex officio audiebant testes, et in rei veritatem inquirebant. *Et si nec per illos veritas inueniri poterat, tunc licebat ligantibus ex vtraque parte testes adhibere: et, si discordarent, secundum constitutiones promulgatas examinabantur*.

§. CLXXXVI.

An et iure Saxonico?

AT SAXONES existimasse, reum Saxonem testibus conuinci non posse, sed potiorem esse ad rem praestito iureiurando retinendam, quam acto-

actorem ad reum de actu extra iudicium explicato testibus conuincendum, iam supra ex IVR. SAX. *Lib. I. art.* 18. *et* 7. probauimus simulque ostendimus, glossatorem et originem huius iuris, et ius ipsum in dubium vocare. (§. 160.) Cuius argumentis, quid roboris insit, paucis iam dispiciendum fuerit. Ipse enim ad alios iuris Saxonici textus se refert, ex quibus adpareat, reum etiam apud Saxones testibus conuinci omnino potuisse. *

* Nimirum primo ipsum profert *art.* 7. *Lib. I.* Sed hic manifesto agit de actu in iudicio, vel apud acta explicato: *Was der mann vor gerichte thut, da soll er nicht vmb schwehren. Denn des uberzeuget ihm wol mit zweyen andern mannen, vnd der richter soll der dritte seyn.* Idem etiam dicendum de *art.* 8. vbi de iudicis testimonio de re coram tribunali suo gesta agitur: *Des muss der richter selb siebende seiner dingmanne oder anderer erbarer leut, die ein Vrtheil finden mogen, gezeug seyn. Des fronbothen gezeugnis stehet vor zween mann, ob man es bedarff, da man mit sieben mann zeugen soll*: Nec non de *art.* 13. vbi liberi separati iubentur bona conferre non separatis, si cum iis familiam erciscere velint, et quidem praestito iureiurando. Additur exceptio: *Ist es aber ander gut, das man es beweisen mag, da mogen sie nicht fur schweren.* Vbi procul dubio intelliguntur bona liberis separatis apud acta vel in iudicio adsignata. Nam ita paullo post ipse SPECVLATOR: *Verloben sie es vor gericht, so mag man sie bass vberzeugen, dann sie es vnschuldig mogen werden.* Frustra porro glossator huc trahit *art.* 6. et *art.* 69. *Lib. II.* nec non *art.* 28. *Lib. III.* vbi non de reo testibus ab actore conuicto, sed de reo, exceptionem testibus probante agitur: *Alle vergoltene schuld soll der man beweisen selbst dritt der leute, die es sahen oder horeten, dass er sie vergalt.* Sed et *art.* 22. *Lib. II.* et 21. et 24. 25. *Lib. III.* de actibus in iudicio explicatis agunt. *articulus* vero 34. *Lib. II.* et 27. *et* 30. *Lib. III.* huc plane non pertinent, quia ibi de probationibus plane nihil legas. Solida ergo est SPECVLATORIS obseruatio, neque ille sibi ipsi contradicit, ceu glossatori visum est. Enimuero haec omnia intelligenda sunt tantum de caussis ciuilibus. Nam criminis manifesti reos ob periculum periurii testibus potius conuincendos fuisse, quam iureiurando suo committendos, facile intelligitur, eoque pertinent *art.* 64. *Lib. I. art.* 34. *Lib. II.* in quibus frustra praesidium quaerit glossator.

§. CLXXXVII.

Itaque Saxones distinguebant, ciuilisne sit caussa, an criminalis. In hac enim accusator reum, ἐν αὐτοφώρῳ deprehensum, (*in handhafftier that*,) testibus conuincere poterat. In illa denuo multum videbatur interesse, de actu in iudicio gesto lis esset, an de tali, quem quis extra iudicium explicasset. Priore enim casu itidem testibus locus erat: posteriore reus potius vel iureiurando se purgabat, si litem negatiue esset contestatus, vel exceptionem suam, si id mallet, testibus probabat. * Quibus obseruatis omnes IVRIS SAXONICI textus, quos sibi manifesto contradicere, glossator existimat, facile conciliabis. Quis eo iure probare potuerit, vel non?

* Sunt tamen casus quidam singulares, vbi actori licebat producere testes. Eo pertinet locus IVR. SAX. *Lib. I. art.* 15. *Wer dem andern sein gut leihet, versetzt, oder zu behalten thut, vmb bescheid oder ohne bescheid*, (cum conditione, vel sine ea) *will es ihm iener darnach verlaugnen, oder seine erben nach seinem todte, dieser ists naher zu behalten selb dritte, denn iener, der es im gewehr hat, dafür zu schweren. Mag aber iener, der es im gewehr hat, sein fahrend gut daran gezeugen, oder sein erbgut, oder hat es im gewehr zu recht, er bricht ihm sein gezeug* (probatio actoris reprobatione rei elidi-

eliditur,) *ihm vverde dann gebruch an seiner gevvehre*. Vbi elegans exemplum probationis et reprobationis etiam apud Saxones occurrit. Sic et, qui monachum induit, idque deinde negat, vt in feudo succedat, testibus productis, potest conuinci. IBID. *Lib. I. art.* 25. et *Lib. II. art.* 22.

§. CLXXXVIII.

Quis iure Sueuico?

Enimuero hae ambages non videntur placuisse Sueuis, qui potius actori videntur dedisse facultatem, reum testibus conuincendi. Exempla sane eius rei exstant plurima. Actori, qui heredem ex obligatione defuncti conuenit, testes producere licuisse, patet ex IVR. PROV. SVEV. *cap.* 254. Idem etiam licuisse ei, qui ipsum debitorem suum conuenerit, argumento est *caput* 259. Attamen et hanc probationem actoris iureiurando rei elidi potuisse, vel inde colligo, quod vnicum casum excipit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 259. et eumdem quidem, quem exceperat SAXO, puta si actus apud acta vel in iudicio gestus esset. En verba: *Was aber vor gericht geschicht, da soll man nicht vmb schweren, niemand bey dem eyd, es gang dann dem mann an den leib, oder an seines leibes in theil*. Si ergo hoc solo casu reus non admittebatur ad iusiurandum purgatorium: merito eum alias admissum fuisse dixeris, quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

§. CLXXXVIIII.

Probatio per testes. Hi a quo electi?

Sed iam de modo probandi. Probabat quis vel per TESTES, vel per INSTRVMENTA, vel per IVSIVRANDVM. De TESTIBVS primum obseruandum, eos non semper produxisse actorem vel reum, sed saepe ipsum iudicem, partes vero tum demum eos producere potuisse, si iudex neminem, qui idoneus vel rei conscius esset, reperire potuisset. Eo enim pertinet locus CAPITVL. *Lib. III.* §. 78. *Vt quandocumque testes ad rem quamlibet discutiendam quaerendi atque eligendi sunt, a misso nostro et comite, in cuius ministerio de re qualicumque agendum est, tales eligantur, quales optimi in ipso pago inueniri possunt. Et non liceat litigatoribus per praemia falsos testes adducere, sicut hactenus fieri solebat*. Quae repeti videmus in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 5. quocum iungendus etiam §. 7. *

* Attamen apud eosdem LANGOBARDOS IBID. §. 9. constituerat Luitprandus, *vt nullus comes nec eorum iuniores nullatenus praesumant alicui homini sua testimonia tollere aut extrahere, sed permittant ei habere sua testimonia, quae conquirere aut rogare potuerit. Et si aliquis contra hoc facere praesumserit, nostra, inquit, voluntas est, vt ipse veniat in nostram praesentiam, ibidem inde accipiat talem sententiam, quomodo nostra voluntas fuerit, ad iudicandum*. Vt adeo hoc et ius postea aliquantulum immutatum videatur.

§. CLXXXX.

Quales eos esse oportuerit ratione aetatis et status;

Deinde vel maxime Germani exigebant testes idoneos, omnique exceptione maiores. Quosdam vero ob *aetatem*, alios ob *statum* vel *conditionem*, alios ob *vitae turpitudinem*, alios ob speratam ex dicto testimonio *vtilitatem*, testimonium dicere prohibebant. Sic sane, quod ad *aetatem* attinet, non admittebant minorem 15. annis, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 78. Quod ad *conditionem*, exigebant testes laicos, (neque

que enim clericos teſtimonium aduerſus laicos dicere patiebantur, ſi alia eſſet veritatem inueſtigandi ratio, * LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 12. *et* 17. ingenuos, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 3. (nam nec ſeruorum, nec ſemper libertinorum, teſtimonium audiebant, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. §. 1. LEG. WISIG. *Lib. V. tit.* 7. §. 12. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 157.) homines eiuſdem pagi, LEG. LANGOB. *ibid. tit.* 51. §. 11. CAROL. M. *addit. ad leg. Sal. tit.* 2. §. 4 opulentos, vel tam locupletes ſaltim, vt mulctam, ſi peieraſſent, inferre poſſent, LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 3. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 13. BAIVVAR. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 2. vt adeo hominum egenorum et vilium fides ob metum corruptionis, quam maxime laboraret. LVDOVICI PII *addit. ad capit. Lib. III.* §. 56.

* Auctor huius legis eſt Ludouicus Pius, ordini ſacro alioquin deditiſſimus, addens rationem: *Nemo enim clericus, vel diaconus, vel presbyter, pro qualibet cauſſa intret in curiam, nec ante iudicem cauſſam dicere praeſumat.* Et hactenus quidem non adeo male. At quae ſequuntur, hieme Gallicana frigidiora ſunt: *Quoniam omnis* CVRIA *a* CRVORE *dicitur, et immolatione ſacrorum. Et ſi quis clericus clericum accuſans in curiam introierit, anathema ſit.* Siccine non licet curiam intrare clerico, quia curia a cruore nomen habet? Et quis vmquam ſomniauit, curiam a cruore dici? Sed non tam a cruore abhorruerunt clerici, quam a curia, quia ibi homines laici, ceu vocant, rerum potiebantur, ad quorum tribunalia venire facinus erat indignum clericorum maieſtate. Longa haec iniuria eſt, quam hic merito praetermittimus.

§. CLXXXXI.

Molto magis ergo ſuſpectum videbatur eorum teſtimonium, quibus inſignis *vitae turpitudo*, omnem fidem detrahebat. Teſtes ergo eſſe oportebat viros bonos et probos, LEG. WISIG. *Lib. V. tit.* 7. §. 7. CAPITVL. *Lib. V.* §. 162. *et Lib. VII.* §. 207. Chriſtianos, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 133. non iudicio publico damnatos, vel criminibus infames, LEG. LANG. *Lib. II. tit.* 51. §. 3. WISIG. *Lib. II. tit.* 4. §. 3. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 248. non falſarios, vel periuros LEG. ALAM. *tit.* 42. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 4. *et* 8. non infames, LEG. LANG. *ibid.* §. 7. *et Lib. I. tit.* 35. §. 1. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 18. non denique Iudaeos, LEG. WISIG. *Lib. XII. tit.* 2. §. 10. haereticos, CAPITVL. *Lib. V.* §. 183. excommunicatos, CAPIT. *Lib. VII.* §. 153. ebrios. * CAROL. M. *addit. ad Leg. Sal. tit.* 2. §. 4. CAPITVL. *Lib. III.* §. 38. ratione vitae,

* Tantum enim abeſt, vt ebrios teſtimonium dicere paterentur, vt non niſi ieiunis liceret teſtimonium perhibere. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 51. §. 2. *Omnino nullus, niſi ieiunus, ad iuramentum, vel ad teſtimonium admittatur.* Et §. 6. *Nullus teſtimonium dicat, aut ſacramentum iuret, niſi ieiunus.* Qui mos ad poſteros manſit, adeo, vt ſaepe audiamus homines ideo petere dilationem praeſtandi iuriſiurandi, quia iam ientaculum ſumſerint.

§. CLXXXXII.

Denique et eorum omnium teſtimonium tamquam ſuſpectum reiiciebant, quorum intererat, alterutrum vel victorem excedere iudicio, vel opprimi. Hinc non audiebant propinquos, CAPITVL. *Lib. VI.* §. 271. adfines, LVDOV. PII *addit. Lib. IIII.* §. 7. teſtes de domo inimici, ratione affectuum?

ei, IBID. *Lib. III.* §. *6.* et CAPIT. *Lib. VII.* §. 132. pecunia corruptos, CAPIT. *Lib. V.* §. 247. vltro se offerentes testimonio, vel in sua caussa testaturos, CAPIT. *Lib. VII.* §. 110. immo nec socios criminis CAPIT. *Lib. V.* §. 157. *et* §. 161.

§. CLXXXXIII.

Testes iure Sax. et Sueu. inhabiles. Nec medio aeuo aliter sese res habebat. Nam et tunc plerique, quos adhuc recensuimus testari prohibebantur. Quod vt exemplis demonstremus, SPECVLATOR SVEVVS *cap. 76.* a testimonio repellit impuberes, seu quatuordecim annis minores, feminas, nisi in certis caussis, stupidos, insanos, qui curae propinquorum subsunt, caecos, surdos, excommunicatos, proscriptos, haereticos, periuros. Quibus in IVRE PROV. SAX. *Lib. III. art. 37.* iunguntur omnes, qui se sponte offerunt ad dicendum testimonium.

§. CLXXXXIIII.

Testium numerus. Deinde obseruandum, non semper apud maiores nostros fidem fecisse testes duos, sed aliquando tres, aliquando plures, fuisse producendos, pro diuersitate caussarum. Sic tres testes requiruntur in LEGE BAIVV. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 2. LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 28. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 22. septem in SPEC. SAX. *Lib. II. art.* 22. septuaginta duo IBID. *Lib. I. art. 6. 8. et 66. Lib. III. art.* 39. Numquam vero vllius momenti erat testimonium vnius hominis. CAPITVL. *Lib. V.* §. 162. *Vt testimonium vnius hominis non recipiatur*. Et *Lib. VI.* §. 40. *Ad vnius testimonium nullus condemnabitur*. Ex quo merito colligere nobis videmur, ignorasse omnino Germanos iusiurandum suppletorium. *

* Attamen qui vno teste actionis suae fundamentum probauerat, negantem reum poterat prouocare ad singulare certamen, siue pro conuicto, siue pro victore habendum, pro ferali istius praelii exitu. LEX BAIVV. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 2. *Si autem* VNVS *fuerit* TESTIS, *et ille alter negauerit, tunc Dei accipiant iudicium: exeant in campo, et cui Deus dederit victoriam, illi credatur. Et hoc in praesenti populo fiat, vt per inuidiam nullus pereat.*

§. CLXXXXV.

Ii cogi poterant ad dicendum testimonium. Praeterea ne id quidem omittendum videtur, quod testes, si forte testimonium perhibere nollent, cogi a iudice potuerint. LEX SAL. *tit.* 52. §. 1. *et* 2. *Si quis testis necesse habet, vt donet, et forsassis testis non vult ad placitum venire, ille, qui eos necessarium habet, manire illos debet cum testibus, vt de eo, quod viderunt, testimonium praebeant, et si venire noluerint, et eos sunnis non detinuerit, vnusquisque illorum 600. denar., qui faciunt sol. 15. culpabilis iudicetur. Si vero praesentes in testimonium fuerint vocati, et eaque videunt testimonium praebere noluerint, et perbanniti fuerint,* * *600. den. qui faciunt. sol. 15. culpabiles iudicentur.*

* PERBANNIRE, vt recte vidit ECCARD. *ad Leg. Sal. p.* 95. est peremtorie citare, adeoque sensus est, testem peremtorie citatum, si testimonium perhibere detrectet, in mulctam 15. solidorum esse condemnandum. At proinde non modo, qui falsum testimonium dixerant, puniebantur, quemad-

madmodum supra, quum de crimine falsi ageremus, obseruauimus, verum etiam qui vel testimonium detrectabant, vel veritatem, vt loqui solebant, celabant, LEX WISIG. *Lib. II. tit. 4. §. 2. Certe si admonitus quisquam a iudice de re, quam nouit, testimonium perbibere noluerit, aut si nescire se dixerit, id ipsum etiam iurare distulerit, et per gratiam aut per venalitatem vera suppresserit: si nobilis fuerit, testimonium postea in nullo iudicio dicere permittatur, nec testimonium ipsius recipiatur vlterius. Quod si licet ingenuae, minoris tamen fuerint dignitatis personae, et testimonio careant, et centena flagella infamati suscipiant, quia non minor reatus est vera supprimere, quam falsa confingere.*

§. CLXXXXVI.

Quandoquidem vero aliqui verentur in iudicis conspectum venire, et praesentes dicere testimonium: Germani nulli eius rei gratiam faciebant, sed eos absciſſe in iudicium venire iubebant, multoque minus credebant, sufficere testimonium scriptum, quod tamen ipsos Romanos aliquando admisisse, nouimus. CAPIT. *Lib. VI. §. 145. Testes non absentes, neque per epistolam, testimonium dicant, sed praesentes, quam nouerunt et viderunt, non taceant veritatem: nec de aliis caussis testimonium dicant, nisi de his tantummodo, quae sub praesentia eorum acta esse noscuntur.* Et LEX. WISIG. *Lib. II. tit. 4. §. 5. Testes non per epistolam testimonium dicant, sed praesentes, quam nouerint, non taceant veritatem.*

Deponere tenebantur praesentes.

§. CLXXXXVII.

Ceterum testibus non modo si sollemnitati cuidam interessent, verum etiam si ad dicendum testimonium prouocarentur, aurem vellicabant maiores nostri. LEG. BAIVV. *tit. 16. cap. 1. et 2.* Quem ritum procul dubio a Romanis acceperant, quibus sollemnis admodum fuit antestatio. Neque credebant testi, nisi iurato. Exigunt sane hoc LEX WISIG. *Lib. II. tit. 4. §. 2.* LEX BAIVVAR. *tit. 16. cap. 5.* RIPVAR. *tit. 50.* CAPIT. *Lib. VII. §. 207.* Attamen LEX LANGOB. *Lib. II. tit. 28. §. 2.* gratiam iurisiurandi facit iis hominibus *quibus rex aut iudex sine sacramento credere possit.* In eo vero diuersi erant gentium Germanicarum mores, quod aliae testes prius examinandos, * aliae eos iureiurando prius obstringendos, putarent. Prius exigit LEX LANGOB. *Lib. II. tit. 51. §. 2.* IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. 88.* posterius LEX VVISIG. *Lib. II. tit. 4. §. 2.* CAPITVL. *Lib. VII. §. 207.*

Auribus tracti et iurati.

* Examen vocabant *discussionem*. Antequam enim eorum testimonio crederetur, testes seorsum audiebant, eorum testimonia inter se comparabant, variis etiam interrogationibus eos tentabant, vt, an mentiri vellent, explorarent. Iudicibus sane haec testium discussio commendatur a CAROLO M. *in addit. ad Leg. Sal. tit. 2. §. 4.* LEG LANG. *Lib. II. tit. 51. §. 2. 6. et 7.* CAPITVL. *Lib. III. §. 10. et 52.* Quum ergo periuria, quoad fieri posset, cauere vellent: non illico in verba sua adigebant testes, sed prius ipsam eorum depositionem expendebant, an fide digna, et iureiurando confirmanda videretur. Hanc rationem ipsa reddit LEX LANGOB. *ibid. §. 7. Quia si ita agatur, multi falsi testes possunt esse superati, si separatim interrogati fuerint.*

§. CLXXXXVIII.

Ceterum testes iurare tenebantur sollemni ritu, qui apud varias Ger-

Quomodo iurarint per arma?

Germanicae originis gentes erat varius. Apud BAIVVARIOS lege cautum erat, primum vt testes, quibus, tactis auriculis, testimonium fuerat denunciatum, inter se sortirentur, isque, cuius sors exierit, adprehensa eius manu, qui testimonium denunciauerat, iuraret verbis conceptis: AD TESTEM SORTITVS SVM, ET AD TESTEM ME FACERE VOLO, SIC ME DEVS ADIVVET, ET ILLVM, CVIVS MANVM TENEO, QVOD EGO AD TESTEM ILLVM INTER VOS PER AVREM TRACTVS FVI, DE ISTA CAVSSA AD VERITATEM DICENDAM: deinde vt hic praestito iureiurando arma sua sacranda * porrigeret, et per ea iuraret solus cum vno consacramentali. LEX BAIVVAR. *tit.* 16. *cap.* 5.

* Habes hic iusiurandum per arma, quod et aliis Germanicae originis gentibus sollemne erat. Nam et Langobardi, si caussa saltim 20. solidorum esset, per sancta euangelia: sin minoris pretii, *ad* ARMA SACRATA *Iurabant*. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 55. §. 5. Similis mos inoleuerat apud Saxones. LEG. SAX. *tit.* 1. §. 8. Et exstant huius ritus exempla etiam apud medii aeui scriptores, veluti FREDEGAR. *Chron. cap.* 74. auctorem ANNAL. FRANC. a Pithoeo editorum *ad ann.* 873. AIMON. *Lib. IIII. cap.* 26. ADAM. BREM. *Lib. I. cap.* 33. Ex quorum testimoniis patet, et Saxones, et Danos, hoc ritu iurare consueuisse, de quibus postremis id demonstrauit etiam THOM. BARTHOLIN. *de causs. contemtae a Dan. mortis Lib. I. cap.* 6. Immo ne Franci quidem olim aliter iurabant, eiusque rei testis est VEN. FORTVN. *Lib. VI. Carm.* 7. vbi de Francorum optimatibus Geileswinthae reginae fidem suam iureiurando obstringentibus:

Vtque fidelis ei sit, gens armata PER ARMA
Iurat, iure suo se quoque iure tegat.

Denique iam quarto saeculo auctor est AMMIANVS MARCELLIN. *Lib. XVII. cap.* 12. *Quados, eductis mucronibus, quos pro numinibus habuerint, iurasse, se permansuros in fide*. Ritus tamen non omnibus idem fuisse videtur. Quadi enim iurabant *eductis mucronibus*: Franci *concutientes gladium, eumque testantes*, vti tradit ADROVALDVS: Langobardi, Boii et Saxones *tactis armis*: Alamanni et Ripuarii manum tantum chirotheca ferrea armabant. Vid. LEG. ALAM. *tit.* 89. RIPVAR. *tit.* 33. §. 1.

§. CLXXXXVIIII.

Itemque super euangeliis, reliquiis sanctorum et altari.

At postea morem inualuisse obseruo, vt testes omnes vel in sacrosancta euangelia imponentes manum, vel sanctorum reliquias in capsis reconditas, aut aram saltim, iis consecratam, tangentes iurarent. Prioris iurisiurandi exemplum apud Langobardos vidimus. Posterioris innumera supersunt, (vid. MARCVLFI *adpend. cap.* 29. *et* 33. LEG. ALAM. *tit.* 6.) etiam medio aeuo, quo notissima fuit formula: *auf den heiligen schvveren*, cui similis illa in CAPIT. CAROLI SIMPL. *cap.* 2. §. 6. *super sacra iurare*. Attamen Francis praecipue sanctissimum videbatur iusiurandum *super capella S. Martini*, * id est, super eiusdem reliquiis, quibus tactis, etiam palatinae caussae finiebantur, GREG. TVR. *Lib. IIII. cap.* 46. *Lib. VIII. cap.* 16. MARCVLF. *Form. Lib. I. cap.* 38. nec non super tumulo S. Dionysii, martyris, quem tamquam diuum regni tutelarem Franci venerabantur. GREG. TVR. *Lib. V. cap.* 32.

* *Capellam* idem esse, ac capsam, in qua diui cuiusdam ossa condebantur, eleganter probat HIER. BIGNON. *not. ad Marculf. Lib. I. cap.* 38. ex EVODIO *de mirac. S. Stephani Lib. I.* vbi auctor ille: CAPELLA *argentea, in qua*

in qua erat reliquiarum portio. Praeterea idem profert insignem locum SANGALLENSIS *Lib. I. cap.* 4. ex quo patet, *reges Francorum* CAPPAM S. *Martini ob sui tuitionem et hostium oppressionem, iugiter secum ad bella portasse, eaque* SANCTA SVA *adpellare consueuisse*. Plura, quae huc pertinent, collegerunt Monachi Ord. S. Benedicti congreg. S. Mauri in *addit. ad* CAR. DV FRESNE *glossar. Med. et inf. Lat. Tom. II. p.* 26. *sequ.*

§. CC.

Formulae iurandi improbatae religionis.

In primis vero cauebant, ne testes vterentur formula iurisiurandi improbatae religionis, qualis praecipue erat illa *per vitam regis liberorumque eius*, de qua CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 42. et LEX LANGOB. *Lib. III. tit.* 24. §. 1. Est enim illa iurandi formula per genium, salutem, vitamue principis ea ipsa, a qua maxime abhorrebant veteres Christiani, et ob quam tot cruciatus perferebant, Christiani quippe pietati plane aduersam. Vid. FYLESAC. *select. Lib. II. p.* 85. GVIL. CAVE *Christianism. prim. Lib. III. cap.* 4. *p.* 724. *sequ.*

§. CCI.

Effectus probationis per testes.

Enimuero quantumuis sanctissime iurassent testes, non tamen testimonia eorum id pondus habebant, vt ideo actor, qui eos produxerat, victor foro excederet, vel reus, pro quo testes deposuerant, absolueretur. Plerumque enim hic iureiurando se purgabat: aliquando etiam ob testium dissensum alterutri singulare certamen erat subeundum. Cuius moris iam supra exempla quaedam tam luculenta adducere nos meminimus, vt hic actum agere merito pigeat.

§. CCII.

Probatio per instrumenta apud Germanos satis antiqua.

Potius ad alterum probandi modum prouehimur, quem productis INSTRVMENTIS fieri, diximus. Quamuis enim veteres Germani imperiti fere litterarum fuerint: tamen ex quo aliquem litterarum vsum habere coeperunt, nihil fere publicae priuataeque rei gesserunt, quod non retulerint in litteras, adhibitisque vel testibus, vel personis publicis, in scripturam redegerint. Argumento sunt tot Francorum, Alamannorum, Langobardorum formulae, totque gentium originis Germanicae diplomata, chartae et notitiae, quarum tam immensus omnibus saeculis prouentus fuit, * vt post tot vasta volumina nouum quotidie spicilegium relictum videamus omnibus, qui illustrandae historiae patriae animum adpellunt.

* At ipsa diplomatum multitudo ac vetustas dubios reddidit viros doctissimos PAPEBROCHIVM *propyl. n.* 125. *sequ.* et GERMONIVM *discept.* 2. *de vet. reg. Franc. diplom. cap.* 3. effeceruntque vt diplomata suspecta haberent. At his, praeter MABILLONIVM, ita satis fecisse animaduertimus RVINARTVM, FONTANINVM, aliosque viros doctissimos, vt irritus adhuc fuerit Germonii et Papebrochii conatus, quamuis nemo temere negaturus sit, plura in tanta veterum diplomatum multitudine manifesto falsa esse, ac interpolata, haud pauca etiam suspecta saltim et dubia; ceu patet ex tot bellorum diplomaticorum exemplis, quae ex instituto recensuit illustris academiae nostrae cancellarius, IO. PETR. A LVDEWIG. *praef. Tom. I. Reliqu. vet. MSS.*

§. CCIII.

Instrumentis maxime

Quum vero instrumenta vel PVBLICA, vel PRIVATA sint: primo obser-

publicis fidem habebant.

obseruandum est, etiam veteres Germanicae originis gentes omni exceptione maiora habuisse *publica*, et primum quidem in ipso iudicio a personis publicis scripta, deinde a tabellionibus confecta, demum priuatim quidem in chartam coniecta, at testium idoneorum subscriptione munita. Priuatorum vero non perinde habitam esse rationem animaduertimus, nisi conceptis verbis rite scripta, ac clausulis necessariis instructa essent. Nulla lex de instrumentorum fide accuratius agit, quam WISIGOTHICA. *Lib. II. tit.* 5. vbi et de requisitis instrumentorum, et de eorumdem effectu, omnia, quae scitu necessaria sunt, suggerit. Quare ex ea potissimum praecipua excerpere iuuabit.

§. CCIIII.

Wisigothi quid in instrumento requisiuerint?

Instrumentum apud VVisigothos legitimum habebatur, si (1. dies et annus esset expressus: LEG. VVISIG. *Lib. II. tit.* 5. §. 1. *et* 2. (2. Si et ipse, ad quem caussa pertinebat, et testes idonei, quales erant, qui scripturam perlegerant, eamque vera complecti deprehenderant, IBID. §. 3. subscripsissent, et addidissent signa sua: * IBID. §. 1. et 3. vel ipso instrumenti auctore morbo impedito, alius pro eo volente, et rem ratam habente, subscripsisset et signasset: modo postea testis ille, qui vicariam operam praestitit aegroto, scripturam intra sex menses coram sacerdote et testibus publicasset: IBID. §. 1. *et* 14. (3. si scriptura illa nec vi et metu extorta, IBID. §. 5, nec (4. a seruo, IBID. §. 6. nec (5. de rebus turpibus confecta esset. IBID. §. 7. Denique id quoque (6. obseruari volebant legislatores, vt nemo simul rem et personam alterius instrumento obligaret, sed tantum poenam conuentionalem dupli vel tripli sibi stipularetur, in eum casum, si promisso alter non stetisset. IBID. §. 8.

* Non tamen existimandum est, sigilla hic intelligi, quae illis temporibus nec tam vulgaria inter priuatos, nec omnibus promiscue concessa erant. Immo potius multo post illi demum, qui saltim equestris nobilitatis ornamentis condecorati erant, vocabantur *siegelmassige*. SCHILTER. *Exerc. X.* §. 40. Itaque per signa eo tempore intelligebatur vel ipsa subscriptio, vel figura crucis, aliudue simile. Probari hoc potest exemplis EX TRADITIONIBVS FVLDENSIBVS, WERTHINENSIBVS, FRISINGENSIBVS, aliisque similibus. Sed sufficiat vnicum ex *chartis Alamannicis* apud GOLDAST. *Tomo II. n.* 17. *p.* 30. vbi sub finem formulae permutationis haec legimus: *Actum in Chiricheim in cubiculo regis publice, praesentibus istis, quorum hic signa continentur, sign. Totoni, qui hoc concambium cum Grimaldo, Abbate, et aduocato suo, Libone, perpetrauit, sign. Witperti, † Pero, † Voluuini, † Hagano, † Libo iunior, † Vto, † Isanbart, † Erchanfrid, † Ridbert, † Meginbert, item † Vto, item † Witpert. Ego itaque Theodbardus, Praepositus, vice Remmingi, presbyteri, rogatus scripsi et subscripsi. Notaui diem Martis II. Non. April. ann.* 27. *regni Hludouuici in orientali Francia, sub Karolo principe eiusdem Hludouici, Regis, filio.*

§. CCV.

Quem iis tribuerint effectum?

Comparatum ita instrumentum plenam fidem faciebat: IBID. §. 1. et si quis deinde, productis testibus fidem illius eleuare auderet, nihil agebat: IBID. §. 18. immo potius in poenam conuentionalem, instrumento expressam, condemnabatur, saluo nihilominus instrumento. IBID. §. 5. Si quid, quod contra leges esset, instrumento compre-

hen-

hendebatur : non ideo totum instrumentum nullum erat, sed id duntaxat, quod legibus repugnabat. IBID. §. 10. Denique id omne intelligendum est de instrumentis authenticis et indubiae auctoritatis: Si enim dubium incidebat, comparatione litterarum res ad liquidum perducebatur. * IBID. §. 15.

* Quandoquidem hoc ex iure Romano procul dubio depromtum, atque, vt fieri solebat a Wisigothis, interpolatum est: operae pretium fuerit, totam hic legem illam adscribi, *Omnes scripturae*, inquit legislator, *quarum auctor et testis defunctus est, in quibus tamen subscriptio vel signum conditoris, atque firmitas testium reperitur, dum in audientia prolatae exstiterint, ex aliis chartarum signis vel subscriptionibus comprobentur: sufficiatque ad firmitatem, vel subscriptionis huius indaginem agnoscendam, trium vel quatuor scripturarum similis vel euidens prolata subscriptio: Quod si talibus scripturis legum tempora obuiauerint, pro certo decernitur, quia valere non poterunt*. Ex quo loco simul discimus, praescriptionem apud Wisigothos obstitisse instrumentis inueteratis, si intra tempus lege definitum non fuerint producta.

§. CCVI.

Apud BVRGVNDIONES quanti fuerint instrumenta, ex eorum lege non satis potest intelligi. Id tamen certum est, nihil eos temere vel publici vel priuati negotii gessisse, quod non et in litteras referri, et a quinque, vel tribus saltim testibus, subscriptionibus signisque firmari vellent. Saltim id non modo de donationibus, verum etiam de venditionibus, diserte cautum est LEGE BVRGVND. *tit.* 43. §. 1. *et* 2. *tit.* 60. §. 1. *et Addit. tit.* 12. §. 3. Testes tamen et libertinae et seruilis conditionis admittebant, si ingenuorum non esset copia: IB. *tit.* 60. §. 2. et 3. et vacillante scripturae fide, iuriiurando erat locus, IB. §. 4. Id quod vel ideo notatu dignum est, quod alioquin iusiurandum suppletorium apud gentes Germanicas extra vsum esset. * Quid de instrumentis sanxerint Burgundiones?

* Et tamen non a Romanis hoc didicerant Burgundiones, quibus vere ignotum fuisse iusiurandum suppletorium, demonstrauimus dissertatione *de lubricitate iurisiurandi suppletorii*: sed inter ipsos Burgundiones ea iurandi consuetudo inualuerat. Verba enim GVNDOBALDI *d. tit.* 60. §. 4. ita se habent: *Aut si testimonii fides tracta fuisset* (legerim: *aut si testimonio fides detracta fuisset*) SECVNDVM CONSVETVDINEM BARBARORVM *praebeat iusiurandum*. Barbarorum autem vocabulo in hac lege semper venire Burgundiones, vnusquisque animaduertet.

§. CCVII.

Sed et FRANCI pleraque gesta litterarum monimentis consignabant, veluti donationes, venditiones, permutationes, dotis dationes, manumissiones, idque non solum ex MARCVLFI aliisque veterum formulis, sed et ex ipsis eorum legibus luculenter potest probari. Scribebantur autem instrumenta huiusmodi publice *in mallo*, adhibitis, si res minoris pretii esset, testibus septem, sin maioris momenti, duodecim.* LEX RIPVAR. *tit.* 59. §. 1. Huiusmodi charta plene probabat etiam pro reo, qui conuentus rei vindicatione, securus erat, si prae manibus habens chartam diceret: NON MALO ORDINE, SED PER TESTAMENTVM, HOC TENEO. IBID. §. 8. Si tamen aduersarius chartam fal- Quid Franci?

sam vel perforatam diceret, vel ob aliam caussam eam in suspicionem adduceret, eius probanda erat γνησιότης. Quod quomodo factum sit, fusius ostendit LEX RIPVAR. *ibid.* §. 2. *sequ.* Sane et comparationem litterarum factam esse patet ex §. 5.

* Plura de scripturarum et instrumentorum fide etiam in CAPITVLARIBVS cauentur, veluti quod in iis euidenter exprimi oporteat annum et diem, quod et ii, qui auctores horum instrumentorum essent, et testes subscribere et signis suis roborare litteras teneantur, quodque eae tunc habeantur omni stabiles firmitate, et immutari non possint. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 146. *sequ.* Porro, quod, qui scripturam proferat, veritatem eius testibus probare debeat, si in dubium vocetur, IB. *Lib. V.* §. 216. et si id praestare non possit, qui illam protulerit, is tamquam falsitatis reus detineatur. IB. *Lib. VII.* §. 181. *Addit. III.* §. 73. Quae sane argumento sunt, posteros etiam maiorum consuetudines legesque sanctas habuisse, et scripturis, quas de rebus tantum non omnibus conficiebant, plurimum tribuisse.

§. CCVIII.

Quid Alamanni? Porro et ALAMANNIS frequentissimum chartarum vsum in donationibus aliisque negotiis fuisse, vel formulae traditionum S. Galli, a GOLDASTO editae, et Alsaticae, quas ECCARDVS legis Salicae editioni nouae subiunxit, argumento esse possunt. Ipsa LEX ALAM. *tit.* 1. §. 1. in donationibus Ecclesiae factis exigit *firmitatem chartae*, testium sex vel septem praesentiam, eorumque nomina in ipsa charta expressa, quibus *tit.* 40. additur, scripturam non valituram, *nisi in qua annus et dies euidenter ostendatur*. Mortuo eo, qui conficiendum curarat instrumentum, heredibusque instrumentum in dubium vindicantibus, testes iurati audiebantur, ratumque erat instrumentum, quod hi iureiurando firmauerant. IBID. *tit.* 2. §. 1. Sin perierat charta, aut in cineres redacta fuerat, licebat heredibus, quorum intererat, cum testibus nominatis quinque in Ecclesia iurare, quod pater nec chartam conficiendam curarit, nec donationem fecerit Ecclesiae. Quo facto, secundum iurantem lis dabatur. IB. *tit.* 2. §. 2.

§. CCVIIII.

Quid Baiuuarii, Saxones, Frisii? Similia habemus in LEGE BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 1. *tit.* 15. *cap.* 2. §. 1. *et cap.* 12. Quanta vero vis fuerit instrumenti rite confecti, ex eodem *tit.* 15. *cap.* 13. patet, vbi haec legas: *Pacta vel placita, quae per scripturam quamcumque facta sunt, vel per testes denominatos tres vel amplius, dummodo in his dies et annus sit euidenter expressus, immutare nulla ratione permittimus.* Et quamuis in LEGIBVS SAXONVM, ANGLIORVM, et FRISONVM, scripturarum et instrumentorum non fiat mentio: vetera tamen monimenta earum gentium, saltim SAXONVM et FRISIORVM, dubitare nos non patiuntur, quin et negotia pleraque in scripturam redegerint, et instrumentis, rite confectis, multum ponderis ad probationem adimplendam inesse, existimarint. *

* Antiquissimum eius generis monimentum, quod ad Saxones Frisiosque peraeque pertinet, sunt TRADITIONES WERTHINENSES, i. e. variae donationes et ex aliis titulis factae traditiones, quibus locupletatum est mona-

monasterium Werthinense ad Ruram, quas DAN. PAPEBROCHII beneficio nactus edidit LEIBNIT. *script. rer. Brunsu. Tom. I. p. 101. seq.* Ex eo chartulario pauca haec obseruo, (1. Saxones et Frisios non modo per publicas personas haec instrumenta conficienda curasse, verum etiam publice, (2. adhibitis testibus, qui (3. nomina et signa sua subiicerent: quin et (4. poenam dicere consueuisse iis, qui contra instrumentum acturi essent, et (5. inprimis diem, annum, locum, cum cura notasse. Quae omnia probamus ex verbis vltimis *traditionis l. p.* 101. *Si quis vero, quod futurum esse non credo, ego ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus vel pro heredibus meis, seu qualibet opposita persona, quae contra hanc chartam cambiae iniusto conamine venire tentauerit, aut eam infringere voluerit: ... a fisco mulctatus auri libras duas, argenti pondo decem coactus exsoluat, et sic quidem, quod repetit, euindicare non valeat, sed firma et immutabilis haec cambia in sempiternum permaneat, stipulatione subnixa. Acta est autem publice anno 31. gloriosi atque religiosi secundi regis Caroli XVI. Kal. Martii in loco, qui dicitur Dipanbeci in Ripa-rura coram testibus et manum mittentibus, quorum nomina subtus adnotantur. Notaui tempus, diem, locum, quo haec acta sunt, Ego Thiathaldus humilis presbyter rogatus scripsi et subscripsi. Signum Folcberti, qui hanc chartam fieri rogauit, et propria manu firmauit. Signum Regenberibi. Signum Alfdagi. Signum Bonno. Signum Fridubaldi. Sig. Hludouuini. Sig. Giffudi. Sign. Borngeri. Sign. Hildiradi. Sign. Borbini. Sign. Liudrici. Sign. Walafridi,*

§. CCX.

Supersunt LANGOBARDI, quorum LEGE *Lib. II. tit.* 41. §. 1. et 2. cautum est, vt chartae publicae conscriberentur a cancellariis electis, bonis et veracibus, ante comitem et scabinos, et vicarios eius, vel cancellarii ad infirmos irent, et chartas secundum legem scriberent, et a testibus easdem corroborari iuberent, denique chartam scriptam publice proferrent coram episcopo, comite, iudice, eiusue vicario, vel coram ipsa plebe, ne postea de istius fide dubium posset suboriri. Eadem LEX *ibid.* §. 6. praeter cancellarios meminit notariorum, qui et ipsi iureiurando adstricti chartas publica auctoritate scribebant.* Quid Langobardi?

* Notarii alii erant ipsorum iudicum, *gerichts-schreiber*, de quibus iam supra, vel publici, quibus principes officium chartas publicam fidem habituras scribendi contulerant, iureiurando prius obstrictis, cuius formulam eo ipso loco LEGIS LANGOB. reperimus. *Notarii autem hoc iurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec occulto, nec de vno comitatu in alio, nisi per licentiam ipsius comitis, in cuius comitatu stare debet.*

§. CCXI.

Quemadmodum vero instrumentum, non secundum legum praescriptum factum, ipso iure nullum, vel, vti legislator loquitur, *inane et vacuum* erat: IBID. §. 6. praesertim si in eo dies et mensis non accurate expressus esset: IB. *Lib. III. tit.* 38. ita legitime factum plene probare videbatur, IB. *Lib. II. tit.* 21. §. 12. emtorque instrumentum venditionis producens, in quo pretium solutum esse dicebatur, securus erat, si venditor illud denuo peteret: IB. *Lib. II. tit.* 55. §. 17. etiam si contra legem publicam aliquid placuisset paciscentibus, modo id vtriusque consensu scriptum esset. IB. *Lib. I. tit.* 29. §. 2. Attamen constare debebat, genuinum et sincerum esse quod produceretur, instrumentum, quod et apud Langobardos, auditis testibus, et instituta lite- Effectus instrumentorum secundum eorum legem.

terarum comparatione probari solebat. IB. *Lib. II. tit.* 21. §. 22. *et Lib. II. tit.* 55. §. 33.

§. CCXII.

In speculo Saxonico raro fit mentio instrumentorum.

Atque ita satis intellecturum esse vnumquemque, arbitror, veteres Germanos consentienre veluti suffragio plurimum detulisse chartis, sollemniter et publica auctoritate scriptis, atque idoneorum hominum testimonio firmatis. Proximum ergo est, vt ad tempora insequentia, quibus, iura Saxonum et Sueuorum in foris Germaniae viguerunt, progrediamur. Vbi merito mireris, SPECVLATOREM SAXONEM parum aut nihil de fide instrumentorum tradere, quum tamen ex tot diplomatibus et chartis veterum Saxonum satis adpareat, eos et res quasuis, publice vel priuatim gestas, diligenter in litteras retulisse, easque in iudiciis protulisse probationis caussa. *

* Probari id posset innumeris exemplis. Sed quum elementa iuris nos scribere meminerimus: suffecerit vnicum ex perillustris cancellarii nostri IO. PETR. DE LVDEVVIG. *Reliqu. MSSC. Tom. II. p.* 361. vbi in diplomate Rudolphi Halberst. Episcopi refertur, *de decima cuiusdam villae, quae dicatur Mose, iuxta fluuium Oram in parte Aquilonis, inter Marchionem, Albertum, et fratres de S. Paullo talem agitatam esse controuersiam. Illi: nostra est, inquiunt, decima, ostendentes ab episcopis sibi data* PRIVILEGIA. *Sed mea est possessio, computans eam inter cetera, quae habet a nobis, beneficia sua. Illi tantum* SCRIPTVM, *iste obtinuit decimam. Non sine querela eorum ventum est ad nos.* Habes hic litem, in qua ius suum fratres S. Paulli aduersus Albertum Marchionem probarunt productis priuilegiis et instrumentis, idque Halberstadii, vbi tum ius Saxoniae viguisse, nemo dubitat.

§. CCXIII.

Quid ius Sueuicum de iis tradat?

At tanto plura de litterarum et chartarum fide reperias in IVRE SVEVICO, maxime *cap.* 299. vbi suadet, vt, quibus vsusfructus constituatur ab aliqua ecclesia, ii chartas super eo scriptas, et praelati sigillo firmatas, sibi dari petant, et si forte laicus, alicui constituens vsumfructum, sigillo careat, is ciuitatis vel iudicis, siue municipalis, siue prouincialis, sigillo vtatur. Denique rationem addit §. 2. *Wir sprechen, dass brieff besser seyn, dann zeugen, die sterben, so bleiben die brieff immer stat. Diess heissen hand festen, da hilfft ein todter zeug, als ein lebendiger.* Ceterum qualia esse oporteat instrumenta, rite scripta, idem docet SPECVLATOR *cap.* 383. *Wer handfeste machet, der soll zu dem mindesten sieben Mann darin setzen, die gezeugen, sind, ist ihr mehr, das ist auch gut. An ieglicher handfest hilfft der tot gezeug, als der lebend. Wo man handfeste machet, da soll man das alter Christi auffsetzen, man mag wol mit recht der zeugen siegel daran legen.*

§. CCXIIII.

Probatio per iusiurandum subsidiaria.

Apud Germanos IVSIVRANDVM reliquarum probationum veluti supplementum erat, neque enim illud admittebatur, quamdiu in promtu essent vel testes, vel instrumenta, quibus res ad liquidum perduci posset. Talia loca iam supra vidimus. Iam consuli possunt LEX WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 22. LEX ALAM. *tit.* 42. CAPITVL. *Lib. V.* §. 197. Multo minus ergo iuriiurando locum dabant Germani,

mani, si quando res oculorum aliorumque sensuum testimonio posset demonstrari. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 15. *VVas man wieder ihn bevveisen mag, * dasur antvvortet er ohne seine vnschuld oder eyde.*

* Est hic locus paullo obscurior; ac proinde explicandus. *Beweisen* hic non est testibus vel instrumentis probare, sed per ocularem, ceu vocant, inspectionem. Recte hoc obseruauit auctor GLOSSAE: *Etliche beweissung ist leiblich, etliche vnleiblich. Leibliche beweissung ist diese, dass man etwas bey einem manne durch sehen, horen, vernehmen oder greiffen erweissen mag, oder dass man ihn in handhaffter that gegenwertig damit begriffen hat. Dieser beweissung gezeugniss leidet der Sachsse. Die vnleibliche bevveisung aber ist diese, dass man einen nur mit vvorten bezuchtiget, als ob man einen eines dinges, so vnbeweisslich vnd verborgen ware, ziehe. Solch gezeugniss leider der Sachse nicht.* Hinc sensum huius periochae commodissime expressit interpres Latinus: *Incusatus de quacumque re, quae penes eum non adparuerit, se suo poterit excusare sacramento: Quae autem apud eum per sensus corporis poterunt demonstrari, in his per iuramentum non euadet.*

§. CCXV.

Quum vero iusiurandum apud Romanos esset vel VOLVNTARIVM, vel IVDICIALE, vel NECESSARIVM: duorum priorum generum in legibus Germanorum nec vola nec vestigium exstat: sed omne, quod in foro praestandum erat, iusiurandum necessarium, et a iudice ipso delatum fuisse, animaduertimus. Is vero, exigentibus id legibus, modo actori, modo reo, et huic quidem plerumque, deferebat iusiurandum: vt adeo omne fere iusiurandum apud illos fuerit *purgatorium*: *suppletorio* vero vix esset locus, nisi apud Burgundiones, (§. 206.) et eo quidem casu, si quis protulisset instrumenta, quorum sinceritas ab aduersario in dubium vocabatur. LEX BVRG. *tit.* 60. §. 4. Omne iusiurandum in Germania necessarium.

§. CCXVI.

Si cui vero iusiurandum a iudice fuerat delatum, illud plerumque non in continenti praestabatur, (videbatur enim res, quae cum animae periculo coniuncta esset, moram aliquam requirere,) sed ei dies dicebatur, ante quem diem se sisteret, et iuraret. Quin vt eo minus dubitari posset, quin esset adfuturus: pignora, vel vti vocabant, *wadia* eo nomine dare cogebatur aduersario vel iudici. Vt exemplis rem illustremus: LEGE LANGOB: *Lib. II. tit.* 56. §. 6. cautum est, *vt, si quis alii pro quacumque caussa guadiam et fideiussorem de sacramento sic suscepto, et proxime praestando dederit, ei detur spatium vsque ad 12. noctes, ad ipsum sacramentum dandum.* Sic et pusillum laxamenti concedunt IVRA SVEV. *cap.* 105. et SAXON. *Lib. II. art.* 10. quamuis diem certum, intra quem iurandum sit, non praefiniant. * Praestabatur post interuallum, dato pignore.

* Ceterum terminus ille erat peremtorius. Si quis enim die constituto non praestaret iusiurandum: non modo caussa cadebat, sed et mulctam debebat, tum iudici, tum parti aduersae, nisi legitima impedimenta eum excusarent. IVS. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 11. *Wer eide gelobet vor schulde zu schweren, vnd leistet er sie nicht zu rechter zeit, er ist der schuld vberwunden, da die eyde vmb gelobet waren, es benehme ihm dann ehehaffte noth, die er beweissen moge. Waren auch die eyde gelobet vor gericht, man muss dem*

 richter

richter darum wetten , vnd deme seine busse geben , dem man die eyde gelobet hatte . Ist aber der mann bereit zu leisten seinen eyd , den er gelobet hat zu rechter zeit , vnd will ihn jener nicht annehmen , oder ob er da nicht ist, wann mann den eyd thun soll , der eydes soll dieser ledig seyn , vnd der schuld , da er den eyd vor gelobte , ob er des gezeugen hat , dass er ihn leisten wolte. Ex quo simul patet , iusiurandum pro praestito esse habitum , si , altero ad illud praestandum parato , alter vel tergiuersaretur, vel plane non adesset in iudicio . Ceterum gemina per omnia est dispositio IVRIS PROV. SVEV. *cap.* 205. §. 3.

§. CCXVII.

Requisitis consacramentalibus. Neque tamen vnius semper hominis, siue actori, siue rei conscientiae rem committebant: sed plerumque pro caussae grauitate plures paucioresue exigebant, qui vna iurarent, quos *iuratores* vel *consacramentales* vocari animaduertimus. * Quemadmodum ergo ipsi litigatores liquido iurabant, rem se ita habere: ita *iuratores* , *sacramentales* , vel *consacramentales* , iurabant, se credere, alterum recte et sancte iurasse: *c.* 13. *X. de purg. can.* FORM. SEC. LEG. ROM. *cap.* 31. Si quis solus iurabat, *sua manu*; sin cum aliis, *tertia* , *quarta* , *septima* manu iurare dicebatur: LEX FRIS. *tit.* 3. §. 5. et *Addit. tit.* 3. §. 1. et *tit.* 4. §. 1. Vnde distinctio inter *maius* et *minus sacramentum* , in LEG. FRIS. *tit.* 1. §. 11. 13. *et* 14. *et tit.* 2. §. 7. pro quo interpres iuris Saxonici Latinus barbare scripsit *mettertium* vel *metseptimum* iurare. SPEC. SAX. *Lib. I. art.* 15. *et art.* 8.

* Nemo de illis accuratius egit , quam CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. p.* 146. *Tomo II.* ex quo discimus, non admissos esse alios , quam (1. viros bonos, atque integrae existimationis , qui et testes esse possent. (§. 190. seq.) HINCM. *Opusc. XXX.* (2. eiusdem conditionis atque ordinis, LEX FRIS. *tit.* 1. §. 7. aliquando (3. eiusdem sexus, seu ex Walliae legibus probat CANGIVS, immo et (4. eiusdem nonnunquam gentis et familiae. LEG. BAIVVAR. *tit.* 7. *cap.* 15. CAPITVLAR. *III. ann.* 813. §. 9. Addit laudatus CANGIVS, (5. sacramentales, quos actor produxerit, *nominatos* vel *denominatos* dictos esse, quos reus elegerit, *aduocatos*. LEG. ALAMANN. *tit.* 89. BAIVVAR. *tit.* 6. §. 2.

§. CCXVIII.

Iisque vel paucioribus vel pluribus. Diximus pro momento caussae modo plures, modo pauciores exigi consueuisse iurisiurandi socios. Hinc modo cum vno, seu *in manu proximi* iurabat, LEG. FRIS. *addit. tit.* 4. CAPITVL. *III. ann.* 813. §. 43. modo cum duobus, vel manu tertia, LEG. SAX. *tit.* 1. §. 1. 6. 9. DITM. MERSEB. *chron. Lib. vlt. p.* 423. modo manu quarta, LEG. FRIS. *tit.* 2. §. 8. modo quinta, LEG. ALAM. *tit.* 6. §. 6. CAPITVLAR. *III. anni* 789. §. *vlt.* modo sexta, LEX SAX. *tit.* 3. §. 2. LEX SAL. *tit.* 76. modo septima, LEX BAIVVAR. *tit.* 3. §. 2. modo duodecima, LEX SAL. *tit.* 76. §. 1. BVRG. *tit.* 8. *et* 52. RIPVAR. *tit.* 66. CAPIT. ad LEG. ALAM. *tit.* 2. *et* 6. SAX. *tit.* 1. §. 3. 4. 5. FRIS. *tit.* 14. §. 1. 2. 3. LANGOB. *Lib. II. tit.* 55. §. 2. 3. 5. 33. CAPIT. *Lib. V.* §. 129. Attulit laudatus CANGIVS exempla, quod quidam iurare coacti sunt decima, vndecima, decima quarta, decima sexta, octaua decima, vigesima vna, vigesima quarta, quinta, septima, trigesima, trigesima septima, quadragesima, quadragesima octaua, quinquagesima, septuagesima secunda, septuagesima quarta, octuagesima prima,

ma, centesima, quin et trecentesima manu: sed pleraque ad gentes exteras pertinent, praeterquam quod et iusiurandum octaua decima, et vigesima quinta manu memoratur in LEGE SAL. *tit.* 76. LEG. BAIVVAR. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 2. CAPIT. ad LEG. ALAM. §. 22. *sequ.* cum quadraginta electis in eod. CAPITVLARI *ad leg. Alam. ibid.* septuagesima secunda manu * in LEGE RIPVAR., *tit.* 66. et octuagesima, in CAPIT. ad LEG. ALAM. §. 23.

* Iura Saxonum et Sueuorum diutissime hunc morem retinuerunt. Quamuis plerumque vel tres, vel septem iuratores vel consacramentales ibi requirantur. IVS. SAX. *Lib. I. art.* 8. 15. 66. *Lib. III. art.* 39. IVS SVEV. *cap.* 259. *et* 305. Hinc natum verbum iuridicum Germanicum *besiebenen*, vel *ubersiebenen*. Priuilegium KITZINGENSE apud WEHNER. *Obs. pract. voce besiebenen p.* 54. *Welche aber in ebregeschriebener massen die missethat nicht bekennen, die mag man* BESIEBEN, vbi et alia eiusdem commatis loca ex variarum ciuitatum priuilegiis reperies. Caue enim, credas, *besiebenen* idem esse, ac diras quaestiones decernere, vel ex reo diris quaestionibus excruciato quaerere, an confessionem ratam habeat? vti vocabulum accipiunt PET. FRID. MINDAN. *de mandat. iudic. Lib. II. cap.* 47. §. 6. et KELLER *de offic. iurid. polit. Lib. II. cap.* 17. *p.* 467. Res ipsa enim docet, *besiebenen* nihil aliud esse, quam reum conuincere iureiurando accusatoris et sex consacramentalium. Add. THOMAS. *de occas. concept. ac intent. constit. crimin. Carolin.* §. 15. Hinc paroemiam veterem: *Wer von sieben sagt, der leugt gern*, eleganter explicat HERT. *epidipn. par. iur. cap.* 8. *p.* 438.

§. CCXVIIII.

At quaeritur, ipsine actores vel rei, quos iurare per legem vel ex iudicis decreto oportebat, iurare debuerint, an per alium id iusiurandum praestare potuerint? Posterius merito adfirmauit SCHILTERVS, *Exerc. XXIII.* §. 32. *sequ.* qui hunc morem in alterius animam iurandi non modo aliquot testimoniis et exemplis ex BARON. *annal. eccles. ad ann.* 1155. §. 7. *et ad ann.* 1177. immo et ex LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 48. §. 11. probauit, verum etiam eiusdem originem arcessiuit a clericis, qui religioni sibi duxerint iurare, ac proinde alios substituerint pro se et in animam suam iuraturos: id deinde, vt fit, imitatos esse, ait, laicos, primum illustres, ac deinde etiam plebeios, donec in mores iuerit hoc iusiurandum, in alterius animam praestandum. * Plura hanc in rem dixit CAR. DV FRESNE *glossar. med. Lat. p.* 162. *Tom. II.* ex quo discimus, dictum esse hoc *iusiurandum vicariis manibus* praestitum, IB. *p.* 163. eosque, qui hanc vicariam praestiterint operam, vocatos esse IVRATORES IB. *p.* 169. Aliquando et per procuratorem iurare licebat.

* Attamen hoc medio aeuo non indulgebatur mulieribus, quae ipsae adesse et iusiurandum praestare cogebantur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 46. *Wo es den frauen zu eyden kommt, die sollen sie selber thun, vnd nicht ihr vormund.* Quae repetuntur etiam a SPECVLATORE SVEVO *cap.* 307. §. 4. Quum ergo de viris tale nihil reperiamus in vtroque speculo, meritio inde collegit SCHILTERVS. *ibid.* his omnino licuisse alios ad praestandum pro se iusiurandum substituere.

§. CCXX.

Quod ad ipsos iurandi ritus attinet, eorum plures omnino erant. Iurisiurandi PER ARMA mentionem iam supra fecimus, quorum non con- Iurandi ritus et formulae recen-

pro iam Christianismo vsitati.

confundenda purgatio PER SPATHAM TRACIAM, LEG. ALAM. *tit.* 44. *et* 89. Vidimus etiam, iurare iussos esse homines in Ecclesiis, et quidem vel super crucem, DOMNIZO *vit. Mathild. Lib. I. cap.* 2. vel tacto altari, LEG ALAM. *tit.* 7. §. 2. BAIVVAR. *tit. I. cap.* 3. §. 2. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 2. CAPITVL. *Aquisgr. ann.* 787. §. 62. vel dextra sacrosanctis evangeliis imposita, CAPITVL. *Lib. V.* §. 34. vel super reliquiis, siue coram positis, et a iurante inspectis, siue tactis iisdem, * LEG. ALAM. *tit.* 6. §. 7. ANNAL. BERTINIAN. *ad ann.* 757. AVDOEN. *vit. Elig. Lib. II. cap.* 56. 59. 75. GREG. TVRON. *Lib. V. cap.* 33. 48. 49. REGINO *Chron. ad ann.* 756.

* Aliquando iurandum erat ad plura altaria, veluti ad tria, GREG. TVR. *Lib. V. cap.* 49. item septem, nouem, quindecim, ceu docent exempla apud CAR. DV FRESNE *glossar. p.* 154. *Tom. II.* Similiter super plurium caelitum reliquiis iuratum esse, comperimus. Sic Thassilo, Bauarus Pippino, Carolo M. et Carolomanno fidem iuratus super corpore S. Dyonysii, S. Martini et S. Germani. EGINARD. *annal. ad ann.* 757. Ceterum et formulae huiusmodi sacramentorum supersunt, veluti in FORM. BIGNON. XXXIIII. HIC IVRO PER HVNC LOCVM SANCTVM, ET DEVM ALTISSIMVM: et CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 209. SIC ME (vel, si sacramentalis quis esset: ILLVM) DEVS ADIVVET, ET ILLI SANCTI, QVORVM RELIQVIAE SVNT, VT VERITATEM DICAM (vel DICAT.) Item: PER HVNC LOCVM SANCTVM ET DEI REVERENTIAM IVRO. FORM. *iuxta leg. Rom. XXXI.* HVIVS SANCTI VIRTVTE OPPRIMAR, SI ALIQVID FALSI LOQVOR. GREG. TVR. *de glor. confess. cap.* 93.

§. CCXXI.

Nec non alii, qui ante Christianismum inoleuisse videntur.

Hi praecipui erant iurandi ritus, quum Christo iam nomen dare coepissent gentes originis Germanicae. Antea enim plures alii erant, quibus non statim repudium dedisse posteros etiam Christianos, animaduertimus. Eos quoque non sine cura collegit CAR. DV FRESNE *ibid. p.* 159. Sed nos eos tantum consectamur, qui proprie ad Germanos pertinent. Tales sunt ritus iurandi *in manu comitis dextra data*, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 15. iurandi *in vestimento*, LEG. FRIS. *tit.* 3. §. 4. *et tit.* 12. id est, vt SICCAMA explicat, prehensa ora vestis eius, cui iurabatur. LEG. FRIS. *tit.* 14. §. 4. iurandi *in pecunia*, id est, manu numo, in quo vultus regis vel crux conspiciebatur, imposita. IBID. *tit.* 12.

* Immo passim etiam occurrunt ritus quidam et formulae iurandi improbatae religionis, qui non tam genti alicui communes, quam ab hominibus superstitiosis suo arbitrio inuenti fuisse videntur. Vt enim iam non dicam de iureiurando clericorum super stola sacra, super libro missali, vel canone ecclesiastico: CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. p.* 166. plures huiusmodi ritus et formulas recenset, vel uti *per animam patris*, WITTICH. *Lib. III. init. per omnes gentes* ORD. VITAL. *Lib. XII. p.* 880. *per dentes Dei*, CHRON. FLANDR. *cap.* 17. *per lanceam S. Iacobi*, IBID. *cap.* 8. *et* 16. *per coronam*, imposita capiti manu, SANVT. *Libr. III. Part. XI. cap.* 3. *per salutem suam*, GREG. TVRON. *Lib. III. cap.* 15. *per splendorem Dei*, ORD. VITAL. *p.* 536. *per Sion et Sinai montem*, BALVZ. *form.* 15. *per barbam Ottonis*, GOB. PERS. *cosmodr. p.* 202. Vt omittamus iam formulas alias, vere impias, quarum permultas ibi collegit laudatus CANGIVS.

§. CCXXII.

§. CCXXII.

Denique quidam certis gentibus proprii.

Immo quidam erant iurandi ritus, quibusdam gentibus proprii, et hinc tanto notatu digniores. De Frisiis sane suis ex vetere ivre Fris. *art.* 81. obseruat Sibr. Siccama *p.* 65. sollemne eis fuisse, si iusiurandum, quod manifestationis vocant, iurandum esset, sinistra manu tollere capillos, iisque dextrae manus duos digitos imponere. Quod quum ei genti sanctissimum videretur iusiurandum, natum inde esse obseruat prouerbium, tum demum fidem habendam esse Frisio, si manu capillos teneret. Sed et Francos iurasse stipulas in manu tenentes, patet ex capitvlar. *Lib. VI.* §. 285. * Denique Iudaeos inter Christianos habitantes iurasse tactis libris legis Mosaicae, ex vetustis tabulis et conciliorum canonibus probauit Car. dv Fresne *ibid. p.* 163.

* Stipula vero est baculus, festuca, culmus, quo in plerisque sollemnitatibus vtebantur maiores nostri. Nescio ergo, cur pro spicis acceperit LEHMANNVS *Chron. Spir. Lib. II. cap.* 30. dum scripsit: *Die alten Teutschen nahmen einen buschel ahrenfrucht in die rechte hand, ruften Gott vnd die engel sambt dem vmstand, vber dem, vvas sie gesaget, zu zeugen an, vnd vvurffen darauff den buschel mit den handen in die hohe.* Atqui in CAPITVLARIBVS mentio non fit spicarum, sed stipularum, nec in altum Francos proiecisse legimus stipulas, sed manibus eiecisse.

§. CCXXIII.

Masculi manu eleuata, mulieres et clerici ad pectus deflexa iurabant.

Fieri itaque non potuit, quin iurarent veteres manu dextra extensa et in altum sublata. Siue enim aram tangerent, siue positum in ea librum euangelii, siue reliquiarum capsam in ara collocatam, tollenda erat dextra. Atque inde est, quod iurantes dicuntur *manus extulisse*, Greg. Tvr. *de mirac. Lib. I. cap.* 20. *eleuasse*, ibid. *cap.* 33. *et* 53. *extendisse*, decret. Thassil. §. 7. *porrexisse*, metrop. Salisb. *Tom. III. p.* 274. Feminae tamen apud Alamannos iurabant dextra pectori imposita, idque iusiurandum vocabatur per pectus, vel nastaid. leg. Alam. *tit.* 56. §. 2. *

* Notum est, hunc ritum et hodie obseruari. Dextra enim pectori sinistro imposita iurant et feminae et clerici. Et obseruatum est a CAR. DV FRESNE *glossar. p.* 160. ritum hunc esse antiquissimum, cuius iam meminerit OVID. *Amor. Lib. III.*

Supposuisse manus ad PECTORA *lubricus amnis*
Dicitur, et socii iura dedisse tori.

Et ex LVITPRANDO refert, Nicephorum Imperatorem Byzantinum iurasse *tunso digitis pectore*. Nec tamen crediderim, inde hunc ritum per manus traditum accepisse Alamannos. Itaque hic non possumus non adsentiri doctissimo NIC. HIER. GVNDLINGIO, qui *in Gundlingianorum Parte IIII. Diss. II.* §. 10. *p.* 324. ex CHRYSOST. *homil.* 19. ad populum Antioch. et AVCTORE *operis imperfecti in Matth. serm. XXXXIII.* obseruat, mulieres et pueros librum euangelii e collo suspensum ubique circumtulisse. Οὐχ ὁρᾷς, inquit CHRYSOSTOMVS, *πῶς αἱ γυναῖκες, καὶ τὰ μικρὰ παιδία ἀντὶ φυλακῆς μεγάλης εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τοῦ τραχήλου, καὶ πανταχοῦ περιφέρουσιν, ὅπουπερ ἂν ἀπίωσιν; Non cernis, vt mulieres et paruuli pueri pro magna custodia e collo suspendant euangelia, et vbique circumferant, quocumque abierint?* Fuisse hoc et mulierum in Germania gestamen, argumento sunt vetera epitaphia, quae in templis et hodie passim visuntur. Quum ergo iurandum esset per sancta euangelia: nihil sane attinebat, mulieres extensa manu tangere librum in altari positum, sed defuncta videbatur religione, si librum e collo pendulum digitis dextrae duobus vel tribus contigisset. An clericis similis mos ideo pla-

placuerit, quod sibi euangelium in ipso pectoris scrinio et alta mente repostum habere viderentur, alii viderint.

§. CCXXIIII.

Ritus iurandi medio aeuo usitati probati ex iure Sax. et Sueu.

Plerique hi ritus paullatim exoleuisse videntur, ex quo IVRA SAXONICVM et SVEVICVM in Germania viguerunt. In vtroque enim vix aliud iusiurandum memoratur, quam tactis sanctorum reliquiis, euangeliis, vel altaribus praestandum. Hinc IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 4. VVann er sich denn auff den heiligen aufzeucht*. Et paucis interiectis: *VViedert man ihm das mit vnrecht, vnd zeucht er sich darnach auff den heiligen aus, er ist ein vngeechter mann*: Vbi interpres Latinus vtrumque locum vertit: *postquam se tunc iuramento expurgauerit*, itemque: *si ipse se iureiurando a proscriptione liberauerit*, vt facile pateat, eum ritum iurandi frequentissimum fuisse. Contra et iurisiurandi tacto sacrosancto euangelio, vel altari, vel cruce aliqua consecrata, praestiti meminit SPECVLATOR SVEVVS *cap. 341. §. 3.* *

* En verba notatu dignissima: *Man soll alle die eyd schvveren bey Gott, vnd bey seinen heiligen, man soll auch schweren auf das heilig euangelium, vnd auf einen gevveihetent altar, vnd auff ein gevveichte*: (in BERGERIANA *p. 195. Etvvan auf aim gevveichten chrauuz.*) *Man soll auch die hand auffheben gegen den himmel, vnd bey Gott vnd den heiligen schvveren*. Addit speculator, eum, qui aliter iuret, et sacris arcendum et triginta et nouem plagis coercendum esse, addita ratione: *Wer bey ichts anders schvveret, der thut vvieder den Christen-glauben*.

§. CCXXV.

Ex diplomatibus aliisque monimentis.

Sed et reliqua eius aeui monimenta vix aliorum iurandi rituum faciunt mentionem, quam quos superiore paragrapho memorauimus. Diploma Fridrici II. ann. 1219. editum a fratre τῷ μακαρίτῃ, *Antiqu. Gosl. Lib. II. p. 219. Ipse cum burgensibus duobus certum faciat aduocatum et ceteros burgenses* IN RELIQVIIS. In LEG. GOSLAR. a LEIBNITIO editis vtramque paginam faciunt phrases: *an dem hilligen erwehren, vp de hilligen erhalten*, ceterae, quae et in diplomatibus eius aeui frequentissime occurrunt. Vid. ill. a LVDEWIG *Rel. MSSC. Tom. VIII. p. 217. Tom. VIIII. p. 570. 572. Tom. X. p.* 248. 643. 648. Iuramenti super sancto altari praestiti exemplum habes IBID. *Tom. V. p.* 482. quemadmodum iurisiurandi *sub testamento Dei* itemque *sub testimonio Christi*, id est, sancto euangelio praestiti IBID. *Tom. II. p. 46. et p. 392.*

§. CCXXVI.

Modus iurandi super diuorum λειψάνοις.

Ceterum modus iurandi non vnus idemque omnibus fuisse videtur. IN LEG. MVNIC. GOSL. *Lib. I. tit. vom huys-tinsse* §. *6.* ritus super sanctorum reliquiis iurandi ita describitur: *Der soll den fordern fuss auf den sull setzen, vnd die hand auf die heiligen legen, vnd sprechen: dass mir Gott so hilffe, vnd die heiligen!* Id vero non de limine templi videtur intelligendum, sed de gradu altaris, cui reliquiae impositae erant in ipso iudicio, cui dextro pede insistere tenebatur is, a quo erat iurandum. Aliunde enim constat, in ipso iudicio fuisse sanctorum λείψανα, quae proferri iussu iudicis possent, quoties opus esset. *

* Di-

* Discimus hoc denuo ex auctore des RICHTSTEIGS *vber das Landrecht cap.* 8. vbi ritus iurandi ita describitur: Quaerit rei aduocatus: *Here ber richter, vvill gy N. vvort horen?* respondet iudex: *ya.* Reus: *Vnschuldig secht he sick, dat he N. ichs schuldig sy, vnd biddet eines ordels, effs he is ime icht neger tho ontgande sy, vven em yenne sy ouer tho gande?* Tunc sequitur interloquutio: *he sy is neger tho ontgande.* Hinc pergit rei aduocatus: *Her richter, he biddet, vnd ick van synetvvegen der billigen, vnd eines steuelers.* Respondet iudex: *Ick gans em wol.* Tunc is, qui iuriiurando praesuturus est, *der steueler*, interrogat: *Here ber richte, gunne gy my, dat ick staele en synen eyd, so biddet he, dat gy en orlouen tho donde, vvat tho dem eede hore.* Respondet iudex: *Ick orlou es em, he sehe, da he recht tu.* Hinc porro formula iurandi a iudice praescripta: reus iurat, *dass eme Gott also helpe, vnd die billigen*, et postquam venia impetrata retraxit dextram, et sese eleuabit (*vvan he sus geschvvoren heft, vnde mit orloue affgenommen heft, vnde vpgestan is,*) postremo quaerit: *offt he vollkommen sy mit synem rechte*, et decernitur, *he sy vollkomen.*

§. CCXXVII.

Quemadmodum vero supra obseruauimus, alium fuisse gestum iurantium feminarum, alium masculorum: ita et hoc aeuo idem obseruatum esse deprehendimus. Vt enim iam non repetamus locum IVRIS PROV. AVSTR. ap. LVDEW. *reliqu. MSSC. Tom. IIII. p.* 14. iam supra a nobis adlatum: (*Part. I. Lib. II.* §. 268.) vbi eodem modo describitur feminae iusiurandum, ac in LEG. ALAM. *tit.* 55. §. 2. testis omni exceptione maior est SPECVLATOR SVEVVS, qui ipse quoque mulieres iurantes dextrum pectus et capillos tangere iubet. * Feminae et hac aetate iurabant tacto pectore.

* Apud MEICHSN. *cap.* 196. verba ita se habent: *Man soll ihr vmb ihr morgengab recht thun, vvill sie auf ihr zvvo brust, vnd auf ihr zvveen zopff schvveren, ob sie der hat.* At in BERGERIANA *p.* 31. non vtriusque pectoris, sed dextri, nec vtriusqe capillorum flagelli, sed dextri tantum fit mentio: *Man muz ihr darumb recht thun, vnd sy soll ihr morgengab behaben auf ihrer rechten brust, vnd auf den rechten zopf, ob syden hie:* At hodie laeuo pectori imponitur manus dextra, adeoque vix gestus feminae iurantis recte concipi potest, ut recte se habet BERGERIANA editio. Ceterum quamuis et LEX ALAMANNICA, et IVS PROV. AVSTR. et SPECVLVM SVEVICVN hunc ritum praescribant tantum feminae, de promissa morgengaba iuranti: paullatim tamen inualuisse videtur, vt et in aliis caussis iuraturae sese in hanc formam componerent, nisi quod ritus tangendi capillos, tamquam superstitionem redolens, iampridem exoleuerit.

§. CCXXVIII.

Vtrumque porro ius, tum SVEVICVM *cap.* 345. tum WEICHB. MAGD. *art.* 135. et 136. prolixe agunt de iureiurando, quod Iudaeus praestare cogitur, eiusque tum ritum, tum formulam, quamuis diuersimode, describunt. Et SPECVLATOR quidem SVEVVS ritum hunc praescribit: *Diss ist der iuden eyde, wie sie sollen schweren vmb ein teglich ding, das zu ihrem eyde stehet, er soll auf einer seuhaut stehen, vnd sollen die fünff bucher Moysi vor ihm liegen, vnd soll ihme die rechte hand in dem buch liegen bis an das rist:* At nihil horum habet auctor WEICHBILDI, * qui potius *art.* 136. ait: *Gelobet der iude einen eyd zu thun, den soll er thun vnter bann in ihrer schule.* Immo Latinus interpres, qui in plerisque a textu Germanico facit diuortium, *art.* 139. alium plane ritum fingit: *Alii*, inquit, *in iu-* Quo ritu iurarint Iudaei?

ramentis Iudaeorum obseruant modum, qui sequitur, et dicunt, quod iuramentum Iudaei facere debent ante synagogam, tenendo catenam, qua synagogae ostium attrahitur ad occludendum, et quoque nudipes stet.

* Attamen GASP. ZIEGLERVS *de iurib. Iudaeorum cap.* 5. §. 5. profert locum ex antiquo iuris Saxonici exemplari, in quo ritus iurandi a Iudaeis obseruandus, ita describitur: *Da muss der jude stehen auff einer schvveinen haut, die junge hat gehabt, binnen vierzehen nachten. Die haut soll man auffschneiden bey dem rucken, vnd sie breiten auf die zitzen, da soll der jude auffstehen barfuss, vnd nichts anhaben, denn ein neder-kleid, vnd ein harentuch vmb sich, also ist sein recht.* Ita alter veterum iuris interpretum alteto vel nequior fuit, vel stolidior. Ita vnusquisque aliquid excogitauit, quo miserrimis istis mortalium illuderetur. Quasi vero tantum religionis Iudaeo incutere possit pellis suis, vt tanto magis abhorreat a periurio! Hinc acutum hic vidisse dixeris auctorem glossae VVEICHB. *art.* 135. dum scripsit: *Dass die juden sollen barfuss stehen auff einer schvveinhaut, das ist eine fantasey. Denn es ist genug, dass sie den eyd ihun in vorgeschriebener vveise.*

§. CCXXVIIII.

Purgationes quid? Germani fortium et praesagiorum studiosi.

Sed vt demum ad PVRGATIONES vulgares, quae diutissime Germanis probationis loco fuerunt, perueniamus: per illas intelligimus omnes modos, veritatem per prodigium aliquod eruendi. Vetustissimi enim Germani fortium erant studiosissimi, omniaque quae paullo obscuriora et difficilioris disquisitionis videbantur, hoc modo ad liquidum perducere conabantur. * Hinc TACITVS *de mor. Germ. cap.* 10. *Auspicia* SORTES*que, vt qui maxime obseruant. Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt.*

* Similia de Scythis refert HERODOT. *Lib. IIII. p.* 198. de ALANIS AMMIAN. MARCELLINVS *Hist. Lib. XXXI. cap.* 2. Immo borealium gentium omnium tantum fuit huius siue artis, siue superstitionis studium, vt ne hodie quidem, florente inter eos per tot saecula religione Christiana, impietatem illam plane exuisse dicantur: quamuis fama omnia, vt fit, in maius extollere, multique non tam odiosae illius artis eximia quadam scientia, quam vulgi credulitate, nobiles fieri fortilegi videantur.

§. CCXXX.

Exploratio veritatis per aquam et duellum.

Immo non solum sorte decidebant quaestiones dubias: sed et aliis prodigiis eodem consilio vtebantur. Argumento est examen infantium dubiae originis,

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus:

de quo ritu iam supra quaedam ex IVLIANI *Epist.* 16. obseruauimus. Nec minus, quae de propriis Germanis equorum praesagiis memoriae prodidit TACITVS *ibid.* testimonium eius rei omni exceptione maius praebent. Nullum tamen res obscuras inuestigandi medium fuit Germanis frequentius, magisque quotidianum, quam certamen singulare, cuius exemplum idem protulit TACITVS, quamuis illud non tam ad caussas forenses, quam ad ipsa reip. fata, pertineret. *

* Ea

* En TACITI verba: *Est et alia obseruatio auspiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum est, captiuum, quoque modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt. Victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.* Ex quibus sane intelligimus, Germanis singulare certamen medium certissimum visum esse rem incertam ad liquidum perducendi, certoque illis fuisse persuasum, non posse non Deum, cuius iustitia freti homines illos commiserint, victoria alterutri concessa ostendere, quid in fatis, vel quid verum sit. GALB. *Vit. Caroli Comit. Flandr. n.* 162.

§. CCXXXI.

Medio aeuo hi modi eruendi veritatem ad iudicia prolati sunt.

Aetas illa TACITI paullo post homines tulit nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem. Nam insequentibus saeculis non modo mansit illa res dubias per huiusmodi sortes et prodigia explorandi consuetudo, sed et nouis inuentis modis Deum tentandi aucta est, et quae antea ad futura magis exploranda comparata erant, iis et ad facta praeterita probanda vtebantur, in ipsis iudiciis, modosque hos vocabant IVDICIVM DEI, itemque ORDALIA, IVDICIVM S. SPIRITVS, veluti apud IO. DE BEKA. *Episc. Vltrai. cap.* 23. IVDICIVM PROBABILE, veluti in SYNODO SELIGENSTAD. *can.* 7. iisque non modo in caussis criminalibus, verum etiam in ciuilibus, et his quidem aliquando leuissimi momenti, vtebantur. LEG. BVRG. *tit.* 45. ANGL. et WERIN. *tit.* 15. ALAM. *tit.* 84.

§. CCXXXII.

Hinc examen aquae frigidae.

Ceterum plurima ac diuersissima erant huius purgationis vulgaris genera, quamuis alia aliis frequentiora. Notissimum erat iudicium AQVAE FRIGIDAE, in eo consistens, quod homo in aquam proiectus, si mergeretur, innocens, sin supernataret, nocens crederetur: *Charta Philippi Augusti, Regis Francorum apud* CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. p.* 376. *Tom. I.* Id vero examen, quod Francis, Germanis, Anglis, Scotis, Hispanis, Hungaris, Italis placuisse, docet idem CAR. DV FRESNE, fiebat aqua certis exorcismis adiurata, GVIBERT. *vit. Leonis VIIII. cap.* 2. IVRET. *ad Iuon. Carnot. Epist. LXXIIII.* praesentibus arbitrisque sacerdotibus, quod merito improbat ECCARDVS *de casibus S. Galli cap.* 14. immo et in ipsa ecclesia, ceu ex concilio Helenensi ann. 1065. probat laudatus CANGIVS *p.* 279.

§. CCXXXIII.

Aquae feruentis.

Nec minus frequens erat AQVAE FERVENTIS iudicium, quod qui subibant, brachium nudum in aquam feruentem immittere cogebantur, innocentesque habebantur, si illud integrum atque illaesum extraherent. Id quoque ab omnibus paene originis Germanicae gentibus receptum fuit, veluti a Wisigothis, LEG. WISIG. *Lib. VI. tit.* 1. §. 3. Francis, CAPITVL. *ann.* 819. *cap. I.* Frisiis, LEG. FRIS. *tit.* 3. §. 6. Langobardis, LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 9. §. 29. 35. 39. Quumque aqua feruens, similibus adiurata ritibus, aheno vel cacabo contineretur: * ipsum hoc iudicium vocabatur AENEVM, in LEG. SAL. *tit.* 55. §. 1. *tit.* 76. §. 2. itemque CALDARIAE, in LEGE WISIG. *Lib. VI. tit.* 1. §. 3. LANGOB. *Lib. I. tit.* 33. §. 1. de cuius ritu

tu plura suo more collegerunt CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. p.* 281. *sequ.* et ECCARD. *ad Leg. Sal. p.* 98.

* Eodem laudatus ECCARDVS *ibid.* refert lebetem, quem Cimbros misisse Augusto obseruat STRABO *Lib. VII. p.* 293. *Καὶ γὰρ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν εἶχον πρότερον, καὶ ἔπεμψαν τῷ Σεβαστῷ δῶρον τὸν ἱερώτατον παρ' αὐτοῖς λέβητα. Hodieque antiquas incolunt sedes, nuperque Augusto lebetem, qui apud ipsos sacerrimus habebatur, dono miserunt.* Et vsum sane lebetis vel crateris fuisse in diuinationibus, ipse testatur STRABO *ibid. p.* 134. vbi narrat, Cimbros, quum se in prouincias Romanorum infudissent, secum circumtulisse cratera, amphoras circiter XX. capientem, et in exercitu habuisse vates quasdam canas, albo vestitu, carbasinis supparis desuper fibula adfixis, cinctu aeneo, pedibus nudis, quae ex cratere illo futura praecinerent. Quamuis vero ritum multo aliter describat STRABO: nobis tamen iam sufficit, lebete vel cratere vsos esse Germanos ad res occultas dubiasque explorandas.

§. CCXXXIIII.

Examen crucis. Eiusdem generis erat examen PER CRVCEM, de quo ritu diuersissimae sunt eruditorum sententiae, recensitae a CAROLO DV FRESNE *glossar. Lat. Tom. I. p.* 1274. Alii enim sortes manu cruci imposita iactas; alii ramusculos, cruce insignitos, altari impositos, alii ipsum crucis lignum in ignem coniectum esse, existimant. Enimuero ex HIER. DELLA CORTE *Lib. IIII. Hist. Veron. p.* 178. idem ostendit CANGIVS *p.* 1275. litigantes, dum sacra celebrabantur, in Ecclesia aliqua ad crucis imaginem stare coactos, existimatumque esse, eum, qui prior examinis corruisset, nocentem esse. * conf. MABILLON. *de re dipl. Lib. VI. n.* 51. *p.* 498. *sequ.*

* Examen hoc crucis potissimum Francis placuisse animaduertimus, eiusque exempla sunt in CAPITVLAR. IIII. *ann.* 803. §. 3. *et ann.* 779. §. 10. SYNOD. VERMER. *ann.* 751. §. 17. FORM. LINDENBR. *cap.* 172. et BIGNON. *cap.* 12. AGOBARD. *contra iud. Dei cap.* 1. Enimuero hanc superstitionem ipsi demum Franci damnarunt, publicaque lege primus sanxit LVDOVICVS PIVS, vt nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere praesumat, ne Christi passio, quae glorificata est, cuiuslibet temeritate contemtui habeatur. Habetur sane haec lex in CAPITVL. *Aquisgr. ann.* 816. §. 27. ex eoque postea translata est in LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 55. §. 2. immo et in CAPITVL. CAROLI M. *Lib. V.* §. 102.

§. CCXXXV.

Ferri candentis. Quid dicamus de examine per FERRVM CANDENS, apud omnes peraeque gentes Germanicae originis receptissimo? Erat vero hoc purgationis genus in subsidium inuentum, aeque ac iudicium aquae frigidae. Si qui enim per valetudinem ferro contendere non poterant: ii, si liberi essent homines, ferro candente; * sin rustici, aqua frigida sese purgabant. HINCM. REM. *Tom. II. op. p.* 543. EADMER. *hist. nou. p.* 48. Ritus erant varii, de quibus denuo CAR. DV FRESNE *Tom. I. p.* 386. Nos iam id tantum animaduertimus examen hoc institutum esse in templo, ferro prius variis precibus et exorcismis consecrato: quin, fuisse quasdam Ecclesias, quibus ius esset, ferrum huiusmodi, ab Episcopo aliquo consecratum, adseruandi, ceu ex *charta Fontanellensi anni* 1082. probat CAR. DV FRESNE *ibid. p.* 338.

* Hoc

* Hoc quoque examen diuersimode instituebatur. Modo enim quis manu portabat ferrum candens per nouem pedes, modo per XII. ignitos vomeres nudis pedibus transibat, modo ferreae chirothecae candenti dextram immittebat, ANN. FVLD. *ad ann.* 858. Immo et plures modos ex ANDR. SVENONIS Lib. VII. *Leg. Scan. cap.* 15. et SAX. GRAMM. *Lib. X. p.* 271. adducit saepe laudatus CANGIVS, qui etiam obseruat, ne Constantinopolitanis quidem principibus ignotum fuisse μύδρον ἄγειν, quin iam veteres Graecos simile purgationis genus habuisse, cuius mentionem faciat SOPHOCLES *in Antigona*, pluribus quodque ibi explicet SCHOLIASTES. At aliquando ne his quidem contenti per pyram vel rogum ibant, innocentes, si illaesi exirent. Vid. ABB. VRSP. *Chron. p.* 173. Aliquando vestes, quum corpora committere igni malebant. GREG. TVR. *hist. Lib. II. cap.* 1.

§. CCXXXVI.

Quamuis vero altissime radices vbique egisset ille purgandi ritus, eiusque passim mentionem faciant leges et scriptores medii aeui; paullatim tamen et illum ex orbe Christiano proscribere coeperunt Pontifices Romani, veluti STEPHANVS in *can. consuluisti: causs.* 2. *qu.* 3. ALEXANDER III. *Epist.* 19. HONORIVS *cap. dilecti X. de purg. vulg.* Quorum exemplum etiam reges et principes sequutos esse, docet CAR. DV FRESNE *glossar. Tom. I. p.* 389. Sed exemplis probari potest, non potuisse inueteratam consuetudinem tam facile euelli, vt non et multo post has leges Germani ferro candente veritatem explorandam putarint. * Eius ritus abrogatio.

* In Anglia hic explorandi modus mansit vsque ad saeculum XIII. et tempora Henrici III. regis, vti demonstrauit IO. SELDEN. *Not. ad Eadmer. p.* 48. De Germania idem dicendum est. Nam adhuc saeculo XIII. huiusmodi exemplum habes in CHRON. COLMAR. *ad ann.* 1278. *Rusticus quidam de Villingen candens ferrum portauit nuda manu, sine corporis laesione.* Quod sane vel ideo notatu dignissimum est, quod eo modo se purgauit rusticus, quum alioquin tantum ad homines liberos pertinere crederetur hoc purgationis genus. (§. 234.)

§. CCXXXVII.

Sunt et alia purgationis vulgaris genera, sed non aeque omnibus Germanicae originis gentibus communia. Eius generis est purgatio per sortes, cuius meminit LEX FRISICA *tit.* 14. §. 1. vbi illa prolixius ita describitur: *Tunc ducendi sunt ad basilicam, et sortes super altare mittendae, vel, si iuxta ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias sanctorum. Quae sortes tales esse debent. Duo tali, de virga praecisi, quos tenos vocant* (Frisiis vimen hodienum vocatur *tien:*) *quorum vnus ligno crucis dignoscitur, alius purus dimittitur, et lana munda obuoluti, super altare, vel reliquias mittuntur, et presbyter, si adfuerit, vel, si presbyter deest, puer quilibet innocens vnum de ipsis sortibus de altari tollere debet, et interim Deus exorandus, si illi septem, qui de homicidio commisso iurauerunt, verum iurassent, euidente signo ostendat. Si illum, qui cruce signatus est, sustulerit, innocentes erunt, qui iurauerunt, si vero alterum sustulit, tunc vnusquisque illorum septem faciat suam sortem, id est, tenum de virga, et signet signo suo; vt, eum tam ille, quam ceteri, qui circumstant, cognoscere possit, et obuoluant lana munda, et altari, seu reliquiis imponan-* Purgatio per sortem.

ponantur , et presbyter , si adfuerit , si vero non , vt superius , puer innocens , vnumquemque illorum singulatim de altari tollat , et eum , qui suam sortem esse cognouerit , rogat , cuius sortem extremam esse contigerit , ille homicidii compositionem persoluere cogatur , ceteris , quorum sortes prius lanatae sunt , absolutis .

§. CCXXXVIII.

Nec non per corsnid.

Nec commune omnibus , sed Angliis , aliisque quibusdam , * proprium fuisse videtur iudicium OFFAE vel PANIS adiurati , quod Angli vocabant CORSNED , non a caseo , vti non nemo somniat , sed a *cors* , quod Anglo-Saxonibus fuit exsecratum , et *sned* (Germ. *Schnitt* ,) quod bolum vel offam significat : ceu recte obseruauit CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. Tom. I. p.* 1234. Offerebatur enim homini suspecto bolus vel offa , certa conceptione verborum certisque praecibus adiurata credebaturque , illum hac offa suffocatum iri , qui delicti , cuius incusabatur , reus esset .

* Quamuis et vocabulum *corsned* sit Anglo-Saxonicum , et eius probationis praecipue mentionem faciant LEGES CANVTI , *Regis , cap. 6. et sequ.* nec non INGVLFVS *p.* 898. ipse tamen laudatus CAROLVS DV FRESNE *p.* 1235. similia exempla profert ex HIST. TREVERENSI et FORMVLIS LINDENBROGIANIS , ex quibus patet , ne Francis quidem et Germanis ignotum hunc purgandi modum fuisse , quamuis , quod ad prius exemplum ex historia Treuerensi depromtum attinet , bolus ibi non homini , sed cani , obiectus esse dicatur , a Duce Limburgensium , Henrico , vt pateret , an iure illi sacris interdictum esset : nec suffocationem canis sequutam esse , narretur , sed narretur tantum ; canem bolum a Duce obiectum attingere noluisse , quum tamen cum aude arripuerit , ab alio oblatum . Et sapiebant sane , qui in cane potius , quam in se , diuini iudicii periculum facere malebant .

§. CCXXXVIIII.

Et per SS. Eucharistiam.

Magis frequens erat purgatio per SS. EVCHARISTIAM , sed tamen fere clericis tantum propria , quibus quum iurare nefas videretur , hoc modo sese purgare placuit , maxime quum praeeuntes haberent pontifices maximos , veluti Gregorium Papam VII. apud LAMB. SCHAFFNAB. *ad ann.* 1077. ex quo discimus , sumentes corpus et sanguinem Domini sibi ipsis quaeuis detestanda esse imprecatos , si nocentes essent . Sic Gregorii Papae , cuius iam meminimus , verba haec recitat LAMBERTVS : *Ecce corpus dominicum , quod sumturus ero , in experimentum mihi hodie fit innocentiae meae , vt omnipotens Deus suo me hodie iudicio vel absoluat obiecti criminis suspicione , si innocens sum , vel subitanea interimat morte , si reus .* * *Haec et alia , vt sollemne est , praefatus verba terribilia , quibus Deum caussae suae aequissimum iudicem et innocentiae adsertorem adesse precabatur , partem Dominici corporis accepit et comedit .*

* Neque hunc tantum tristissimorum illorum sacrorum euentum memorant eius aeui annales , sed et varia , vt solent , addunt prodigia , quibus Deus eorum , qui nocentes essent , temeritatem redarguerit . Sic RADVLFVS GLABER. *Lib. V. cap. 1.* auctor est , clerico quodam sumente sacram eucharistiam , *protinus per medium vmbilici egredi visam esse partem candi-* *dissi-*

dissimam, quam sumsisset eius sacrificii, dantem procul dubio euidens indicium reatus, se indigne percipientis, Lotharium quoque, Regem, hoc se ritu purgantem, omnesque, qui vna cum illo participes facti fuerant SS. Eucharistiae, vertente anno exstinctos esse, obseruant ANNAL. MET. et REGINO *ad ann.* 870. nec non CHRON. REICHERSP. *ad eumd. ann.* Alios denique non quidem morte vel subitanea, vel lenta, obiisse, at illico animi adeo angi coepisse, vt delictum faterentur veniamque rogarent, patet exemplo clerici, de suspicione haereseos sese purgaturi, quod ex HIST. TREV. adduxit CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. p.* 286. *sequ.*

§. CCXXXX.

Denique per certamen singulare.

At nullum fuit purgationis genus magis vulgare omnibusque commune, quam quo, instituto CERTAMINE SINGVLARI, suspicionem a se amoliri vel veritatem probare conabantur, quippe cuius mentionem faciunt LEG. BVRG. *tit.* 45. ALAM. *tit.* 43. BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 2. *tit.* 9. *cap.* 4. CAPITVLAR. *Lib. III. tit.* 46. LEG. LANGOB. *Lib. I. tit.* 9. §. 39. *Lib. II. tit.* 35. §. 3. 4. *sequ.* LEG. FRIS. *tit.* 14. §. 7. ex quibus locis, veteres hoc certamine non modo in criminalibus, sed et ciuilibus caussis, vsos esse, intelligimus.

§. CCXXXXI.

Eius ritus a viris doctis descripti.

De eo purgandi modo insignes sunt CAR. DV FRESNE et IOACH. IO. MADERI *in diss. de duellis* obseruationes, quarum potiores merito huc transferimus. Ostendit vero laudatus CANGIVS *Tom. II. p.* 188. certamen hoc initum esse decernente iudice, certaturos vero apud iudicem deposuisse pignus vel *wadium*, quod pro damni et iacturae compensatione cederet: *p.* 189. eum, qui alterum prouocarit, alteri in wadium obtulisse chirothecam seu rem quamuis aliam, eamque coram iudice proiecisse, quam deinde adpellatus, impetrata prius iudicis venia, sustulerit, eoque modo, se conditionem accipere, professus sit. Quin *p.* 190. et obsides eo nomine datos esse, demonstrat. Addit *ibid.* arma peditum fuisse gladium et clypeum; milites vero vel equites, tota πανοπλία equestri ornatos, in arenam prodiisse. *p.* 191. aetatem a pugnaturo exigi consueuisse annorum 21. ab ea vero decertandi necessitate immunes fuisse mulieres sexagenariis maiores, aegrotos, sacerdotes, clericos, monachos, quibus omnibus vicaria opera aliorum, quos *campiones* vocabant, vti licuerit, quamuis ne clericorum quidem pugnacium exempla desint. Denique *p.* 192. eum, qui in hoc certamine succubuisset, perinde poenam dedisse a legibus statutam, ac si crimen confessus, vel de eo conuictus esset.

§. CCXXXXII.

Eius abrogatio.

Quamuis vero barbaram hanc lites non iure, sed ferro, decidendi consuetudinem merito e foro proscribendam esse, viderint tum pontifices maximi, concilia et episcopi, inter quos nescio an primas teneat AGOBARDVS *aduersus legem Gundobad. Tom. I. Op. p.* 107. *et libro contra iudic. Dei ibid. p.* 301. tantum tamen abest ut pares huic vitio fuerint leges, vt et insequentibus temporibus nihil fuerit certaminibus istis forensibus frequentius, * ac proinde illa et in medii aeui

aeui leges, et maxime Saxonicas, immigrarint. Quin tametsi postea paullatim exoleuerit forensis illa truculentia: inter milites tamen, nobiles et studiosos academicos occasionem dedit mori, ius sibi ipsis manu dicendi, cui abolendo tot Regum principumque edicta vix adhuc suffecerunt.

* Laudatissimus CAR. DV FRESNE, *Glossar. Lat. Tomo II. p.* 193. qui hic omnibus palmam diligentiae praeripuit, exempla certaminum singularium, ex decreto iudicum in Gallia initorum, ann. 1353. 1386. 1390. immo et sub Francisco I. rege et anno 1547. adducit. Ex quibus facile conieceris, quum ne Galliae quidem reges, quorum maior postremis temporibus in regno suo fuit auctoritas, hunc inueteratum morbum curare potuerint, multo minus id fieri potuisse in Germania, vbi iis temporibus procax libertas ciuitatem ita miscuerat, vt omnes paene publicae priuataeque controuersiae non iure, sed armis, terminarentur.

§. CCXXXXIII.

Purgationes, quae Saxonibus et Sueuis receptae? Diximus etiam in medii aeui leges migrasse illam ferro se purgandi consuetudinem. Verum non hanc tantum, sed et reliquarum purgationum aliquas legibus istis probari animaduertimus. Sane in IVRE SAX. *Lib. I. art.* 39. tria purgandi genera coniunguntur, dum scribit REPKOVIVS: *Die ihr recht mit direberey oder raub verloren haben, ob man sie dieberey oder raubes anderweit beschuldiget, sie mogen mit ihrem eyd nicht vnschuldig werden. Sie haben dreyerley wahl, das gluende eisen zu tragen, oder in einen siedenden kessel zu greiffen bis an den elbogen, oder mit kempffen sich deme zu erwehren.* AT SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 160. §. 5. ommisso singulari certamine, condemnari illum iubet in *die wasser vrtheil*, * *oder das eysen auf der hand zu tragen, oder in einen wallenden kessel mit wasser zu greiffen, bis an den elenbogen. Gerichtet er dann, so ist er von der vrtheil ledig.* Quod et de eo, qui falsam monetam anteá cuderat, et postea in suspicionem de nouo inciderat, statuitur *cap.* 385. Quin et in controuersiis ciuilibus aquae frigidae iudicio fuisse locum, veluti si duo praedium pari iure et titulo vindicarent, patet ex *cap.* 75. *et* 126.

* In BERGERIANA *pag.* 65. pro *wasser-vrtheil* est *die wachs-vrtheil*, quod et *p.* 215. legitur. At *p.* 126. et *p.* 441. haec quoque editio habet *die wasser vrtail*, vt duo priora loca in mendo cubare videantur. Argumento est etiam editio SCHANNATI, quae *cap.* 128. *et* 163. itidem habet *ein Wasser vrthail*. Ceterum quum illud iudicium aquae vbique a iudicio feruentis aquae distinguatur: non potest non intelligi examen per aquam frigidam. Vt adeo quatuor purgationis genera eo tempore, quo ius Sax. et Sueuicum viguit, recepta fuisse intelligamus, puta *aquae frigidae, aquae feruentis, ferri candentis, et singularis certaminis seu duelli.*

§. CCXXXXIIII.

Frequentissimum singulare certamen. Ei in quibus caussis fuerit locus? SINGVLARE CERTAMEN licitum erat in caussis grauioribus, maxime criminalibus, in quibus reus, si succubuisset, capitis damnaretur: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 16. itemque in caussis fractae pacis, IB. *Lib. I. art.* 63. aliisque occultis, vbi et testium adseuerationi anteferrebatur prouocantis ad certamen victoria. Exemplum est in IVR. SAX. *Lib. I. art.* 64. vbi homine in furto, rapina alioue crimine deprehenso et

ſo et occiſo, quamuis ſeptem teſtibus rem adfirmantibus, cognatis tamen permittitur, vt occidentem ad ſingulare certamen poſſint prouocare: *Beut aber einer des todten freund, vver der ſey, ihm zu vertreten mit kampff, der verleget allen gezeug. Denn ſo mag man den todten ohn kampff nicht uberwvinden, er ſey denn verfeſtiget, das iſt, verechtiget*. Ita et, qui moderamen inculpatae tutelae iactabat, ferro contendere cogebatur, ſi quis cognatorum hominis occiſi eum prouocaret. IVS PROV. SVEV. *cap.* 164.

§. CCXXXXIIII.

Si quis ergo alterum ad hoc certamen prouocare vellet: *primo* eum, permittente iudice, prehendere debebat, quod fiebat manu ſupremae veſtimenti parti iniecta *. *Deinde* dimiſſo rationem reddere tenebatur, cur ei iniecerit manum, ac *tum* eum ter accuſare, veluti, ſi eum fractae pacis reum perageret, quod vim fecerit, quod vulnera illi inflixerit, quod quaedam rapuerit. Eo facto *porro* reus *guarandam*, quam vocabant, ſibi promitti petebat. *Denique* reum negantem, actor prouocabat ad ſingulare certamen, et iudex, ſi ita videretur, interloquebatur, reum ad illud ſuſcipiendum iure obligari. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 63.* Modos alterum prouocandi.

* Ritum hunc accurate deſcribit SPECVLATOR SAXO, cuius verba hic legere operae pretium fuerit: *Wer kempfflich gruſſen vvill einen ſeiner genoſſen, der muſs bitten den richter, ob er ſich untervvinden moge eines ſeines friedebrechers zu rechte, den er da ſahe?* Quaerebat nimirum, an ſibi ius eſſet manum iniiciendi ei, qui ſibi vim fecerit. Iudice de ſcabinorum ſententia decernente, actori ius eſſe manum iniiciendi, hic quaerit: quomodo id fieri oporteat: *Wann ihm das mit vrtheil getheilet vvird, daſs ers thun moge, ſo fraget er, vvie er ſich ſein untervvinden ſolle, daſs es ihm hulffllich ſey zu ſeinem kampff?* Iudex ergo, auditis ſcabinorum ſententiis, decernebat, actorem reum trahere poſſe lacinia veſtimenti ſuperioris, (*gezogen mit ſeinem haupt-gerathe*,) quae verba Latinus interpres vertit, id fieri debere *manſuete, in ſui ſuperiore foramine veſtimenti*. Itaque Germani hic exigebant vim quamdam imaginariam, vel manus iniectionem, idque ſibi volunt phraſes: *zu kampff* GEFANGEN, *und gegruſſet ſeyn*. IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 65. nec non *den andern vor gericht zu kampff ſahen*. IB. *Lib. III. art.* 36.

§. CCXXXXV.

Prouocato ad certamen reo, aut accipienda erat conditio, aut iuſta alleganda cauſſa, cur eam iure detrectaret. Tales iuſtae cauſſae erant, I. impares natales. Nam quamuis nobilior ignobiliorem iure prouocaret: non tamen fas erat ignobiliori, prouocare nobiliorem. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 62. SVEV. *cap.* 164. Et hinc prouocanti ingenuo probandae erant quatuor imagines, ſi illi cum ingenuo res erat: IVR. PROV. SAX. *Lib. I. art.* 50. nec Iudaeus detrectare poterat hoc certamen, prouocatus a Chriſtiano, quamuis huius res erat arbitrii, an cum Iudaeo in arenam deſcendere vellet. IVR. PROV. SVEV. *cap.* 340. §. 7. Deinde II. nemo cogebatur certamen ſuſcipere pomeridie, vel deficiente iam die prouocatus. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 63. *Kampffes mag auch ein Mann vvoll vvegern, ob man ihn nachmittage gruſſet, es vvare dann ihr beyder gunſt.* III. Nec manus in Ob quas cauſſas illud detrectari potuerit?

iure conferere tenebatur is, qui in ea prouincia, in qua prouocabatur, non erat natus. IVS PROV. SVEV. *cap.* III. *Spricht ein man einen kampflichen an, so mag er des Kampffes da vvohl ubervverden, ob er von dem land nicht gebohren ist, da er ihn anspricht.* Addatur IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 26. Denique IIII. IBIDEM *Lib. I. art.* 63. obferuatur, nec cognatum a cognato potuisse prouocari. Quisquis ergo horum vllum iniuria prouocarat: is mulctam prouocato pendere tenebatur, eoque pertinet locus IVR. SAX. *Lib. I. art.* 51. *Wer sich des andern zu kampf untervvindt, entgehet er ihm zu recht, er muss ihn mit busse lassen.*

§. CCXXXXVI.

Aut saltim dilatio peti?

Iacta semel alea, decretoque a iudice interposito, aut illico in arenam erat descendendum, aut si qua iusta caussa iudici videretur, pusillum laxamenti prouocato dabatur. Iustae autem videbantur caussae, I. si cui imparato huiusmodi certamen denunciaretur. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 3. *Grusset man einen zu kampffe, der vngevvarnet dar kommen ist, vnd ihm vmb die sache dar nicht bescheiden ist, er soll tage haben nach seiner geburt, ob er das bittet, dass er sich dazu bereite.* Si quis ergo certamen acciperet, illudque differri peteret: ingenuo concedebantur induciae sex hebdomadum, ministeriali aliisque, seruituti non obnoxiis, quatuordecim noctium: IBID. II. Valetudo adfecta, veluti si quis eum, a quo vulneratus fuerat, ad certamen prouocarat, cui, si non esset, cuius vicaria opera vteretur, eo vsque induciae concedebantur, dum conualuisset: IBID. *Lib. I. art.* 49. Dilato certamine, iudex vtrique ab altero vim fieri vetabat, (*er vvurckte ihnen beyden frieden:*) et si secus alteruter fecisset, eum in mulctam condemnabat. IB. *Lib. III. art.* 36.

§. CCXXXXVII.

Quibus armis instructos esse oportuerit pugnaturos?

Adpetente die, huic certamini constituto, vtrique de armis erat cogitandum, et quidem non qualibuscumque, sed iustis, et legitimis, quae ita describit SPECVLATOR SAXO *Lib. I. art.* 63. *Der richter soll zvvey boten geben, ihrer ieglichen einen, die da fechten sollen, die da sehen, dass (die vvaffen) angeleget vverden, nach rechter gevvonheit. Leder, vnd leinen ding mogen sie vvohl anthun, als viel, als sie vollen. Heupt vnd fusse sollen ihnen fornen bloss seyn, vnd an den handen sollen sie nicht mehr haben, dann dunne handschuch, ein bloss schvverd in der hand, vnd eines oder zvvey vmbgegurtet, das stehet an ihr beyder vvillkuhr. Einen runden schild in der andern hand, da nichts, dann holz vnd leder an sey: aber die boecklein mogen vvoll eisern seyn. Ein rock ohn ermeln vber den harnisch.* * Si arma deessent pugnaturis: iudex ea, teste eodem SPECVLATORE, illis commodabat. IBID.

* Quid si mulier, (quod ipsum quoque aliquando fiebat,) in arenam descenderet? Vidi in bibliotheca Aug. Guelpherb. veterem codicem, qui inscribitur *bampff recht*, in quo mulieris cum viro certamen legitimum ita et describitur et depingitur. Vir claua instructus, stat in scrobe vmbilico tenus, mulier extra scrobem linteum dextra vibrat, cuius extremitati lapis illi-

illigatus. Si mulier linteo illo collum viri stringebat, eumque scrobe extrahebat, victrix praelio hoc excedebat: sin vir illam claua feriret, ipse victor illam in capite sistebat in signum victoriae. Sed raro forte mulieres, quibus iusta certamen detrectandi caussa erat, (§. 240.) adeo verecundiam sexus egrediebantur, vt palmam in arena illa gladiatoria adfectarent. Ceterum et aliorum armorum in his certaminibus aliquando vsum fuisse, constat. Mentio enim aliquando fit et hastae. WORM. *monim. Dan. Lib. I. cap.* 10. clauae apud SAX. GRAMM. *Lib. III. p.* 41. immo et clyplei et fustium in LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 55. *Lib.* 1. *tit.* 9. §. 23.

§. CCXXXXVIII.

Arena sanctione poenali munita.

Quando aderat hora certaminis, orbis fiebat, et arena procul dubio cancellis circumdabatur: quin et inuiolabilem illam fore, non sine sanctione poenali denunciabatur a iudice. Quo pertinent verba SPECVLATORIS SAX. *Lib. I. art. 63. Friede soll man dem volke gebieten in dem kreiße, bey dem galse, dass sie niemand irre an dem kampffe* Praeterea vtrique dabatur vir, qui ferret longurium (*einen baum*) obiiciendum vulnerato, vel lapso, si id a iudice impetraret. Ita enim ibidem SPECVLATOR: *Ihrer ieglichen soll der richter einen mann geben, der seinen baum trage, die sollen sie nicht irren. Wann aber ihrer einer falli, dass er den baum vnterwerffe, oder ob er gewundet vvird, vnd des baums bittet, dasselbige muss er nicht thun, er habe denn vrlaub von dem richter.* Vocabantur hi *griesvvartel*, i. e. *creysvvarter*.

§. CCXXXXVIIII.

Ingressus certantium in arenam.

Paratis omnibus, certaturi petebant arenam, (*sie mussten des ringes zu recht begehren*) simulque de vaginis ferrum extremum (*das ortband*) demebant, nisi id illis vltro conderet iudex. Hinc vterque armatus coram iudice conceptis verbis iurabat, alter, verum esse nomen, ob quod reum conuenerit, alter, se nihil debere, vsus vterque formula imprecationis: *Dass ihnen GOtt so helffe zu ihrem kampff!* Iudex postea ita diuidebat aream inter certaturos, vt neuter solem aduersum haberet. Actor primus ingrediebatur orbem, eumque sequebatur reus, atque ita more tum recepto manus conferebant. * IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 63.*

* Obseruat vero OL. WORM. *monim. Dan. Lib. I. cap.* 10. aliam longe fuisse veterum pugnandi rationem tam in duello, quam in bello, ac nostro saeculo in vsu esse cernamus. *Non enim antiquitus in edendis agonibus crebras ictuum vicissitudines peti consueuisse, sed fuisse cum interuallo temporis etiam feriendi distinctam successionem, rarisque, sed atrocibus plagis, certamina gesta, vt gloria potius percussionum magnitudini, quam numero, deferretur:* ceu ostendit et SAX. GRAMM. *Lib. II. p.* 30. qui et *p.* 37. quibusdam interiectis, hanc certandi rationem ita describit:

Non memini, certamen agi, quo promtius esset
ALTERNARE ENSES, PARTIRI*que ictibus ictus*,
Dans vnum, tres accipio, sic mutua Gothi
Vulnera compensant, sic dextra potentior hostis
Vindicat acceptam cumulato foenore poenam.

Idque est *genus feriendi Gallicanum*, vti illud vocat SERVIVS *ad Virgil. Aen. Lib.* VIIII. *v.* 749.

§. CCL.

Certaminis euentus.

Denique, quod ad euentum feralium istorum certaminum attinet, permultum intererat, vtrum se stitisset reus, an ignauus defugisset certamen. De priore casu IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 63. Wird der vberwunden, auf den man spricht, man richtet vber ihn. Ficht er aber zu siege, man last ihm mit gewette vnd mit busse.* Sensus est, reum victum, tamquam confessum, condemnatum, actorem vero, si succubuerit, tamquam calumniatorem, reo absoluto, poenam pecuniariam, (*die busse*) iudici mulctam, (*die wette*) soluere debuisse. Si alteruter occubuerat in hoc certamine: victor plerumque gloriosum sibi ducebat, victo iusta facere, eique funus magnifice ducere. *

* Et hoc plerumque sibi alter ab altero stipulabatur, ceu obseruat SAXO GRAMM. *Lib.* III. *p.* 48. *vt victum victor in feriis persequeretur, eique gloriosum esset, victi funus magnifice ducere.* Quod pluribus ad illum locum demonstrauit STEPHANI *in notis p.* 98. Exemplum habes in CHRON. AVGVST. apud PISTOR. *Tom.* III. *script. rer. Germ. p.* 648. *edit. Struu. Anno*, inquit, 1409. *duellum factum est inter Marschalcum et Hachsenacker, in quo Marschalcus, quum prostratus esset, et a suo aduersario interrogatus, si fortuna sibi fauisset, quid agere vellet? dixit, se interfecturum hostem suum. Quod et mox Hachsenaker in eum fecit, seque portare fecit in feretro suo, quod illic stabat ex more, quod et libitinam dicunt ad ecclesiam S. Vdalrici, agens grates.* Ex quo simul discimus, certaturos feretra sibi fieri iussisse, vt, si quid illis humani accideret, eo honestius terrae mandarentur.

§. CCLI.

Quid si reus illud defugeret.

Si reus defugeret certamen: iudex per adparitorem, adhibitis simul duobus scabinis, eum ter domo euocabat. Si ne sic quidem adesset: actor gladium bis vibrabat aduersus solem, et tunc victor arena excedebat, et secundum eum lis dabatur, perinde ac si prostrauisset aduersarium. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. 63. Ob der ander zu lange saumet: der Richter soll ihn lassen furheischen den fronboten in dem hause, da er sich anleget.* (id est, vbi arma induit,) *vnd soll zween schopffen mit senden. Also soll er ihn auch laden zu dem andern, vnd zu dem dritten mal. Kommt er zu der dritten ladung nicht vor, der klager soll auffstehen, vnd sich zu kampff erbieten, vnd schlagen zween schlaege, vnd stechen einen stich gegen der sonnen, oder wind, damit er ienen vbervvunden alfo gethaner klage, als er ihn angesprochen hat: Vnd der richter soll ihm richten, als ob er ihn vbervvunden hette mit kampff.* *

* Si actor, contra quem quis innocentiam armis tueri paratum sese ostendebat, vocatus non adesset: reus non illico absolutus, sed iusiurandum purgatorium ei delatum esse videtur. ALMON. *de gest. Francor. Lib. V. cap.* 13. *Bernardus, Ludouici Pii camerae praefectus, adulterii cum Augusta commissi accusatus primum in Hispaniam confugerat. Inde anno* 831. *reuersus, Imperatorem adit, atque ab eo contendit, vt sibi facultas detur, purgandi sese more Francis solito, id est, crimen obiicienti semet obiiciendo. Sed quum accusator nullus compareret, purgatio facta est iuramentis.*

§. CCLII.

§. CCLII.

Examen per tactum cadaueris occisi.

Et haec quidem de probationibus et purgationibus, quales ante receptum ius Romanum in Germania fuerunt, sufficerent, nisi superesset vnica, quae non tam lege aliqua, quam vetere consuetudine inoleuisse videtur. Solebant enim veteres homicidii suspectos adducere ad cadauer hominis occisi, iisque imperare, ut vulnera manu contingerent. Eo enim facto, sanguinem, ebullientem ex vulnere, caedis auctorem proditurum, sperabant. Quin et sine tactu cadauer sanguinem fundere credebant, si propius accederet sicarius. Cuius probationis tot exempla exstant, vt de eius persuasionis vetustate vix dubitandum videatur. *

* SCOTTEL. *singul. in Germ. iur. cap. 3. p. 82. sequ.* bina exempla profert ex THOMA CANTIPRATANO, quem sub finem saeculi XIII. vixisse constat. Ex eodem saeculo habemus exemplum in vita S. Thomae, Herfordiensis episcopi, apud SVRIVM. *vit. sanctor. mense Octobr. p. 554.* quamuis ibi non tam homicidii auctorem, (morte enim sua obierat S. Thomas,) quam hostem prodiderit episcopi mortui cruor. En verba: *Interea sex diebus corpus eius exanime adseruabatur, odorem spirans suauissimum. Deinde caro, ab ossibus separata, in ecclesia S. Seueri honorifice sepulta est: ossa vero per tam longinqua terrarum et maris spatia in Angliam ad sedem eius adportata sunt. Quinque obuiam illis venisset Gilbertus de Clara, comes Glouerniae, qui ob iura ecclesiae beatum virum fatigauerat, mox ab eis* SANGVIS *copiosissimus manauit, ita vt vasa, in quibus ferebantur, sanguine tincta viderentur. Id comes ille cernens, timore et horrore concussus, iura omnia ecclesiae restituit, et ob ea, quae temere admiserat, egit poenitentiam.*

§. CCLIII.

Harum obseruationum omnium et hodie quaedam supersunt vestigia.

Omnes, quas hactenus recensuimus, purgationes VVLGARES postea reprobatae sunt: De CANONICA, qualis hodie solum iusiurandum est, nihil videtur addendum, quum de ea paullo ante, quantum satis est, dixerimus. Iam obseruamus, pleraque quidem quae adhuc obseruauimus, mutata esse, recepto in fora nostra iure Romano et canonico: at luculentas tamen superesse veterum rituum et consuetudinum reliquias, tum I. circa probationes generatim: tum II. in specie circa probationes per testes, III. per instrumenta, denique IIII. per iusiurandum. Quin et V. purgationum diu in foris nostris expressissima mansisse vestigia, et VI. hodiernorum singularium certaminum, quamuis illicitorum, rationes pleraque ex veteribus illis certaminum iudicialium ritibus esse explicandas.

§. CCLIIII.

Veluti circa probationem et reprobationem.

Inter iuris veteris reliquias, quod ad PROBATIONEM generatim attinet, merito retuleris (1. reprobationem, quam vocant. Quum enim eam ignoret ius Romanum: * in Germania iam olim et actor et reus ad probationem admittebantur. (§. 284. sequ.) Id retinuerunt posteri, ac proinde (2. pronunciari solet, *dass klager den grund seiner klage, vnd so viel ihm daran verneinet worden, innerhalb ordnungs-frist, mit vorbehalt, des dem beklagten gebuhrenden gegenbevveisses, eydes-delation vnd anderer rechtlicher nothdurfft in gleichmassiger frist, wie recht, zuervveisen schuldig*. Quin (3. ne opus quidem est,

vt

vt hanc reprobationem sibi reseruent rei, sed (4. ea illis salua est ipso iure, neque ab ea excludi sine iniuria possunt, BRVNNEM. *Process. ciu. cap.* 18. *n.* 12. modo (5. ad eam, nondum aperto rotulo, sese offerant.

* Equidem et iure ciuili, vbi probationes adimpleuit actor, etiam reus ad probationem exceptionum admittitur. L. 8. et 9. C. *de except.* At in Germania etiam ad contrarium probandum reus admittitur. *Es konnen beyde theile uber einerley puncten beweis fuhren.* Neque tamen ideo nego, ex iure etiam pontificio in fora nostra iterum permanasse hanc consuetudinem, quippe quod elisiuae probationis meminit *c.* 26. *et c.* 35 *X. de testib. et attestat.* Nam pleraque hoc ius non tam ex iure Rom. quam ex moribus gentium Germanicarum, recepit, eaque laciniis quibusdam interpolauit, prout e re sua visum est pontificibus, vti fatebitur vnusquisque, qui veteres Germ. leges cum iure canonico contenderit.

§. CCLV.

Eiusque directionem. Quemadmodum vero multum relictum erat iudicis arbitrio, quibus in caussis, et quos testes admittere vellet: ita non mirum est, (6. saltim id ex vetustis moribus remansisse, vt multis locis in caussis ordinariis suscipere pro lubitu non liceat probationem, sed (7. expectanda prius sit iudicis interloquutio, et (8. ea vires rei iudicatae nacta, tum demum currere incipiat terminus probatorius. Quod denuo non praecipit ius Romanum, sed ius canonicum, *c. 9. X. de probat.* quod iterum veteres Germanorum mores adoptauit. Immo (9. non difficile probatu est, Germanos, etiam nondum admisso in fora iure canonico, hunc interloquendi morem sancte obseruasse. *

* Probari id luculenter potest ex auctore *des* RICHTSTEIGES *uber dar Land-recht cap.* 16. vbi actor, testibus probaturus, iudicem interrogat: *Here her richter, ick biode eines ordels. Alse ick bewysen mach met hulpenden tugen, wedder ick des denne met getuge icht neger tho behaldene sy, wenn das yenne my afstho winnende sy?* Addit actor: *So vintme, de kleger sy des met tuge neger tho behaldende, wenne des yenne allene vor tho behaldene sy.* En primam interloquutionem, qua decernitur, actorem ad probationem esse admittendum. Quaerit porro actor: *Wo de kleger dat behalden schole?* et addit actor: *Da vintme: sulff dritte.* En alteram interloquutionem, qua actori iniungitur, vt duobus productis testibus, probet. Tum tertia sequitur quaestio: *vvann he synen tuch bringen schole? so vintme: ouer ses vvecken.* En tertiam interloquutionem de termino probatorio, seu die, quo testes producendi sint. Ita numquam probationem suscipiebant litigantes, nisi prius decreuisset iudex, quis probare debeat, quot testes producendi, et quando producendi sint? eamque consuetudinem seruabant etiam, antequam ius canonicum in fora Germanica penetrauerat.

§. CCLVI.

Circa productionem testium. Deinde et in TESTIVM productione quaedam veteris consuetudinis vestigia notamus, veluti, (10. quod testes sponte se offerentes in caussis maxime ciuilibus pro suspectis habentur: HAHN. ad WESENB. *paratitl. Lib. XXII. tit.* 5. *n.* 2. (11. quod non admittuntur eorum epistolae vel scripta testimonia, sed abscisse coguntur coram dicere testimonium: (12. quod non audiuntur praesentibus vel producentibus vel aduersariis, sed a iudice, his absentibus, examinantur, quamuis (13.

(13. productus, quem vocant, et merito audire debeat iurantem et eius interrogatoria omnino admittenda sint, modo non sint inepta, obscura, captiosa, ad caussam minus pertinentia. BRVNNEM. *procesf. ciu. cap.* 20. *n.* 56. Denique (14. et id ex moribus Germanicis est, quod testes prius iurare coguntur, si secundum articulos a producente exhibitos examinantur: saepe vero (15. vbi prius summarie, vt loqui solent, deposuerint, ea, quae dixerunt, sibi praelecta, et de nouo adseuerata, postea iureiurando firmare coguntur, immo (16. in supremo imperii dicasterio haud raro testes, absoluto demum examine, iureiurando obstringuntur. GAIL. *Obs. Lib. I. cap.* 101. *n.* 9. *

* Omnia haec esse ex iure Germanico, facile probatur. Conclusionem enim 10. iam veteribus notam fuisse, patet ex §. 192. et sequ. conclusionis 11. fundamentum in iure Germ. itidem reperies supra §. 196. conclusionum 12. 13. 14. 15. §. 197. At ius Romanum testes sese offerentes non reiicit, quamuis id vulgo probent ex *L.* 25. *D. de procurat.* quum tamen ille locus de procuratore, qui inuito operam suam ingerit, agat, non de teste, inter quos haud leuis differentia est. Deinde absentium quoque testium tabulas admisisse Romanos, innumeris veterum et maxime QVINCTILIANI testimoniis constat. Sed nos iam vnum adducimus locum ASCONII PAEDIANI *argum. primae act. in C. Verrem*, vbi refert, *Ciceronem, quum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies 110. cum filio patrui sui, Tullio totam prouinciam* COLLIGENDIS LITTERIS *in Verrem, et denunciandis testimoniis, peragrasse diebus quinquaginta.* Et quid; quaeso, clarius est verbis Hadriani Imp. in *L.* 3. §. 4. *D. de testib. Alia est auctoritas praesentium testium, alia testimoniorum, quae* RECITARI *solent.* Vbi; quamuis plus fidei habendum putet praesentibus, quam qui missis tabulis, vel epistolis perhibeant testimonium, tamen tabulas et epistolas non reiicit. Porro testes apud Romanos non remotis partibus, sed iis praesentibus, et interrogantibus, auditos esse, adeo certum est, vt veteres in eo summam accusatoris et patroni laudem positam esse censerent, si acuti essent in interrogandis testibus. CICERO *pro Flacco cap.* 10. *Vbi est igitur illa laus oratoris, quae vel in accusatore antea, vel in patrono, spectari solebat?* BENE TESTEM INTERROGAVIT: *callide accessit: reprehendit: quo voluit adduxit: conuicit, et elinguem reddit.* Addatur locus eiusdem CIC. *pro Fonteio cap.* 6. et ex ipso iure nostro *L.* 19. *C. de test.* vbi iudex *testium testimonia, alterutra parte* PRAESENTE, *quae eos introducit, capere* iubetur: nec non *L.* 18. *C. de fide instr. vbi depositiones sub* VTRIVSQVE PARTIS PRAESENTIA *factae*, dicuntur. Idem patet ex *Nouella XC. cap.* 9. quamuis ex illa et *L.* 14. *C. de test.* male intellectis vulgo contrarium probare velint, quos iam redarguit GVNDLING. *in Gundlingian. Part.* 9. *p.* 373. *sequ.* Denique apud Romanos testes non postea demum, quam deposuerint, sed priusquam perhiberent testimonium, iureiurando constrictos esse, patet ex *L.* 9. *C. de test.* vt adeo, quae in §. diximus, omnia ex iure Germanico esse videantur.

§. CCLVII.

Nec minus ad iuris veteris Germanici reliquias circa INSTRVMENTA pertinet, (17. quod publicis, et auctoritate iudicis confectis, abscisse creditur, adeo, (18. vt ne agnitionem quidem eorum requirere soleant extra Saxoniam, et (19. in Saxonia quidem ad agnoscendum produci debeant, at iis fides iureiurando abrogari non possit. LVDOVICI *introd. ad procesf. ciu. cap.* 3. §. 12. itemque (20. quod, parato producto ad fidem instrumenti priuati iureiurando infringendam, actori integrum est comparatione litterarum eius γνησιότητα demonstrare, vel (21. instrumentum per testes agnoscere: * IDEM Circa instrumenta tum publica,

cap.

cap. 17. §. 4. *sequ.* quamuis (22. in processu, quem exsequutiuum vocant: neutri remedio locum esse, vel inde pateat, quod exceptiones altioris indaginis in eo exsulent. IDEM *ibid. cap.* 3. §. 23.

* Equidem et ius Romanum vtrumque hoc remedium commendare, nouimus. Nam agnitionem per testes praesidium reperire animaduertimus in *Nouella LXXIII. cap.* 1. comparationem vero litterarum IBID. *cap.* 7. Enimuero quum iure Romano prius remedium non admittatur, nisi si testes adfuerint, qui instrumentum scribi et subscribi viderint: contra in Germania et alii testes de similitudine litterarum et chirographi eius, qui instrumentum confecisse dicitur, deponentes, et de credulitate sua iurantes, audiuntur. STRYK. introd. *ad prax. cap.* 19. §. 10. LVDOVICI *ibid. cap.* 17. §. 17. Denique quum maiores nostri hanc agnitionem per testes, et litterarum comparationem in vsu habuerunt, antequam iuris Romani vlla apud se esset auctoritas: (§. 205. 207. 208. 211.) quis dubitauerit, quaeso, quin Germani vtramque illud remedium magis ex iure patrio retinuerint, quam ex Romano demum adoptarint?

§. CCLVIII.

tum priuata.

Sed et id ex moribus patriis reliquum esse videtur, (23. quod et priuatis instrumentis in Germania passim subscribunt testes, et quidem (24. ab vtroque contrahente rogati, atque hinc frequentes sunt formulae: *Hiebey vnd hieruber sind gevvesen als hiebey erbethene zeugen, von seiten Titii cet. als vveinkauffs-zeugen sind hiebey gevvesen* cet. cuius rei exemplum iam supra adduximus. (Lib. I. §. 193.) Itemque (25. quod Germani tantum auctoritatis tribuerunt instrumentis *guarentigiatis*, vt ex iis EXSEQVVTIVE, ceu vocant, agi patiantur, id est, (26. vt reo statim iniungatur agnitio instrumenti, eaque facta, (27. non nisi exceptiones in continenti liquidae, quales in Saxonia sunt, quae alio instrumento liquido probantur, extra Saxoniam, quae et iureiurando delato possunt ad liquidum perduci, admittantur, (28. reliquae altioris indaginis ad reconuentionem remittantur. LVDOV. *Introd. ad process. cap.* 3.

§. CCLVIIII.

Circa delationem iurisiurandi,

Plura, eaque expressissima, veterum Germaniae morum vestigia supersunt in delatione ac praestatione iurisiurandi: veluti (29. quod nec istud admittitur, nisi illam delationem ratam habuerit iudex, et super eo interloquutus sit: quamuis id et IVSTINIANVS exigat *L.* 12. §. 1. *C. de reb. cred.* item (30. quod non vbique in Germania libera est iurisiurandi delatio vel relatio, sed (31. ex quibusdam statutis is demum iusiurandum recte defert, qui iam aliquid probauit, immo et (32. in re dubia, in iudicis arbitrio est, vtram partem ad iusiurandum admittere malit. Pertinet huc locus notatu dignissimus REFORM. FRANCOF. *Part. I. tit.* 39. §. 8. *So aber ieder theil seines furbringens ansehnliche vnd starcke anzeigungen fur sich, dieselbe aber doch nicht vollig bevvisen hatten, also es beyder seits alles auf vermuthungen stunde, so soll, nach fleissiger ervvegung der sachen vnd personen gelegenheit, dem klager, oder aber dem beklagten, vvelcher theil die starkste vermuthung vor sich, vnd der sache am besten vvissenschafft hat, bey vvelchem auch sich der vvarheit mehr zu ersehen,*

hen, welches alles zu erkentnifs und ermaffigung der schopffen stehen soll, obbemeltes iuramentum suppletorium oder aber decisorium, auffer-legen. Et §. 13. *Doch da der klager gar nichts bewiesen, noch auch einige ansehnliche oder starcke vermuthung vor sich hatte, so ist der beklagte nicht schudig, desselben ihm zugeschobenen eyd anzunehmen, oder auch dem klager zu referiren, und hinwieder heim zu schieben, sondern mag dem nechsten bitten, sich von furbrachter klage zu erledigen.* Quae omnia iuri Romano plane aduersari, Germanico vero vel maxime consentanea esse, nemo non videt.

§. CCLX.

Nec minus, quod ad formam iurisiurandi attinet, in plerisque Germani antiquum obtinent. Nam (33. et hodie viri erectis tribus prioribus manus dextrae digitis, (34. feminae et clerici, iisdem sinistro pectori impositis, iurant, perinde ac si isti altari, vel capsae reliquiarum: illae euangelii libro, ex collo pendenti; hi euangelio, in pectoris scrinio altaque mente reposito, eos imponere gestirent. GVNDL. *in Gundlingian. Part. IIII. p.* 324. Quin (35. multo magis veteres iurandi ritus adumbrant hodierni, quos in patria mea in praestando iureiurando purgatorio obseruari vidi, * nec non (36. iusiurandum feminarum, in dicasterio Rotwilensi receptum, per formulam, *mit hand und mund, mit kopff und brust*, ORD. ROTWIL. *Part. II. tit.* 10. WEHNER. *obseru. pract. voce mund und hand*. STRYCK. *de iure sens. differt.* 7. *cap.* 1. *n.* 42. quippe quam iam supra inter veteres iurandi ritus deprehendimus. (§. 227.) eiusque solemnitatem.

* Memini enim me puerum interesse actui sollemni, quum adulterii suspectus iureiurando sese purgaret. Vidi tunc non sine horrore quodam, fenestras omnes velis obumbratas, mensaeque, ad quam iudex et ministri ecclesiae sedebant, impofita biblia, et caput osseum, sceleto detractum, simulacrum Christi cruci adfixi, et, nisi fallor, gladium et chirothecas ferreas, collucentibus hinc inde cereis, reum vero in genua prouolutum et digitos erigentem, apertis ianuis, admissisque promiscue omnibus, iurantem. Similes ritus describuntur in VOLKMANNO *emendato Part. I. cap.* 79. vbi variae eorum caussae mysticae recensentur. Sed vnusquisque animaduertit, reliquias has esse rituum veterum, quum per arma, per crucem, in sacrosanctis euangeliis, nec non in reliquiis Sanctorum iurandum esset, de quibus supra (§. 220. *sequ.*) plura diximus.

§. CCLXI.

Praeterea (37. iusiurandum, quod Iudaeis hodie praestandum est, cuiusque formula exstat in ORD. CAM. *Part. I. tit.* 86. veteri illi, quod in legibus Germanicis deprehendimus, simillimum est, et meras fere comprehendit exsecrationes, quum tamen iam ab aliis demonstratum sit, sanctissimum hoc esse Iudaei iusiurandum, si adiuranti iudici: *Adiuro te, Iudaee, per Deum viuentem, vt mihi dicas*, etc. Iudaeus respondeat: *Amen. Matth. XXVI.* 63. 64. Immo (38. nec consacramentalium vsum plane exoleuisse, saltim in probandis maiorum imaginibus, ipsa docet experientia, * idque nos iam supra exemplo non inelegante illustrauimus. (Lib. I. §. 226.) Forma iuris iurandi a Iudaeis praestandi.

* Exempla passim exstant. Nos hic vnicum adferemus ex litteris Archiepiscopi Moguntini anno 1699. ad Pontificem maximum scriptis, quum hic hominem extraneum *Iacobum de Bouille* ecclesiae Wormatiensi obtrudere conaretur, editis ab ANT. FABRO *in der Stats-Cantzley Part. V. p.* 125. vbi Archiepiscopus: *Agnoscunt*; inquit, *canonici singuli, se ad iuratam sanctitati vestrae obedientiam obligari non minus, sicut iurasse se obseruantiam statutorum ecclesiae suae, vi quorum admittere non possunt ad possessionem canonicatuum et praebendarum, nisi eos, qui se vere esse nobiles Germanos*, MEDIANTIBVS IVRAMENTIS QVATVOR VIRORVM *itidem nobilium Germanorum coram capitulo probauerint.*

§. CCLXII.

Vestigia veterum purgationum vulgarium, veluti per aquam frigidam.

Quis crederet, PVRGATIONVM illarum veterum et vulgarium vestigium vllum superesse potuisse in Germania, maxime in tanta veritatis et litterarum luce, et illis tot grauissimis sanctionibus in exsilium actarum? Et tamen (39. diutissime mansit examen AQVAE FRIGIDAE, maxime in explorandis sagis *, eiusque rei non modo (40. plurima exempla vidit Westphalia, de quibus WALBVRGER *de lamiis p.* 100. *sequ.* GODELMANN. *de mag. Lib. III. cap.* 6. *n.* 35. SCHROETER. *de lam. cap.* 8. §. 8. *p.* 102. verum etiam (41. defensores, inter quos nomen suum non obscure profitetur CHRISTOPH. CRVS. *de indic. delict. Part. II. cap.* 32. *n.* 78. *sequ.*

* Modum ita describit SCHROETER. *de lamiis ibid. p.* 160. *Modus imponendi obseruatur talis: Quando feminae, fama vel aliorum depositione suspectae habitae, extra vrbem deducebantur, et in aquam frigidam transuerse leniter per carnifices imponebantur, ita, vt dextrae manus pollex sinistri pedis magno digito, sinistrae vero manus pollex dextri pedis magno digito esset funiculo adligatus. Atque si hoc constrictae modo non submergebantur, sed anseris aut anatis more supernatabant, pro sagis habebantur, et ex hoc indicio tormentis de suo maleficio interrogabantur. Si vero sub aquam inferantur sagae: insontes iudicari et dimitti solebant.*

§. CCLXIII.

Per cruentationem, quam vocant ius feretri.

Et quis ignorat (42. IVS FERETRI seu CRVENTATIONIS, Germanis *das Baar-recht*, de quo praeter SCHOTTEL. *de iur. Germ. antiqu. cap.* 3. singulares exstant BECMANNI, KIRCHMAYERI, KNITTELII, SIM. FRID. FRENSELII, HVNDSHAGENII, et PETRI MVLLERI dissertationes, qui (43. et varia, eaque recentissima eius moris exempla adferunt. Sed et (44. ipsum morem hoc instituendi examen ita describit KEYSER *in der anvveisung zum inquisit. vnd achts-processs. p.* 146. *sequ. Welche gerichte aber dieses baarrecht exerciren wollen, dieselben haben sich in acht zu nehmen, vnd dabey behutsam zu verfahren, damit der todte coerper zur selben zeit nicht geruhret, gevvendet, oder auff andere masse mouiret werde, sondern wann der todte corper eine gute zeit stille gelegen, erkaltet, vnd also nicht zu vermuthen, dass er naturlicher weisse mehr bluthen konne: alsdann kan die verdachtige person vorgestellet, vnd zum anruhren angehalten werden. Was sich auch hierbey vor vmbstande ereignen, muss mit fleis registriret, der verdachtig befundene sodann zur hafft gebracht, vmstandlich examiniret, fernere erkundigung eingezogen, vnd die acta hernach zum verspruch rechtens verschicket werden.*

§. CCLXIIII.

Denique in ipsis SINGVLARIBVS CERTAMINIBVS, quibus adhuc siue clam, siue palam, res dubias decidere solent legum contemtores multa et hodie obseruamus, quae in vetustis certaminibus, iudicum auctoritate institutis olim obseruabantur, veluti (45. quod sibi inuicem offerunt pignus, et (46. in primis chirothecam, ne dubitet alter, quin alter stato die sit adfuturus: (47. quod vnusquisque solet adducere amicum vel arbitrum, *einen secundanten*, qui et caueat, ne alter aliquid contra leges gladiatorias agat, armis illicitis vtatur, insidiisue potius, quam vi aperta, vtatur: (48. Quod alteruter praesens, si aduersarium frustra aliquamdiu expectauerit, eo nomine testimonium sibi perhiberi petit, et tunc pro victore habetur: et quae sunt huius generis alia. Sed quum haec ad prauos potius ciuium nostrorum mores, quam ad iurisprudentiam Germanicam, pertineant: non est, quod iam iis diutius immoremur.

Ritus plures hodiernorum certaminum singularium ex veteribus certaminibus forensibus superstites.

TIT. VII.

DE SENTENTIIS, ET RE IVDICATA.

§. CCLXV.

AVditis probationibus, non aliae erant iudicum partes, quam vt ferrent SENTENTIAM, reumque vel absoluerent, vel condemnarent. Qua de re iam hoc titulo quaedam ex antiquis ac medii aeui legibus disserere iuuabit. Et quidem quum SENTENTIAE in INTERLOQVVTORIAS et DEFINITIVAS dispesci soleant: vix fuit vlla gens, apud quam plures auditae fuerint sententiae interloquutoriae, quam apud Germanos. Nihil enim peragebatur in iudicio, vbi non prius et actor et reus vel veniam rogaret, vel, quid sibi iuris competat, interrogaret. Ad has interrogationes iudex non suo arbitrio, sed de consilii sententia respondebat, vel *interloquebatur*. Vnde frequentissima in iure Germanico loquutio: *inuenire sententiam*. *

Sententiae inueniri dicebantur, siue interloquutoriae, siue definitiuae.

* IVS SAXONICVM vix aliter loquitur. Vid. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 30. 69. *et* 70. IVS FEVD. SAX. *cap.* 6. §. 2. *cap.* 11. §. 1. *cap.* 32. §. 12. *cap.* 33. §. 11. *cap.* 34. §. 12. 14. *cap.* 38. §. 6. 7. WEICHB. *art.* 10. §. 3. *art.* 12. *art.* 16. §. 1. *et* 2. *art.* 48. §. 2. *art.* 74. Et in AVCTORE *des richtsteigs* vtramque paginam facit formula: *so vintme*: id est, tunc inuenitur, Nihil enim ex suo ingenio decernebant iudices: sed de consilii vel scabinorum sententia. De his vero dicebatur, *dass sie vrtheile schoepffen*, *oder finden*. Et hinc etiam hodie Hamburgi sententia, in inferiore iudicio concepta, vocatur *eine findung*. Nec alia est vocabuli Belgici *vondnisse* vel *vonnisse* notio. CORN. KILIANVS *in dictionar. Belg.* VONDNISSE *a vinden vel vinnen, id est, ab inueniendo, dici videtur*. Het vonnisse vinden *antiquissima est phrasis, tam apud nos, quam apud veteres Sicambros et Saxones. Audita vtraque parte, et caussa ex adlegationibus et probationibus penitus cognita, sententiam eruere et inuestigando, inuenire, atque inde pronunciare*.

§. CCLXVI.

Inueniebantur praeuia postulatione, inquisitione, interrogatione et responsione.

Non suo vmquam arbitrio, sed de consilii sententia pronunciabat iudex, siue *interloquutoriam*, siue *definitiuam* ferret sententiam. Atque hinc recte obseruat FRIDR. BRUMMERUS *de scabin. cap.* 8. §. 2. totum iudicii ordinem apud veteres Germanos in INQUIRENDO, INTERROGANDO et RESPONDENDO, (addo in POSTULANDO,) constitisse. *Postulabat* alteruter litigantium, eiusue aduocatus, dum ex iudice, impetrata venia, quaerebat, quid iustum, quidue sibi faciendum esset? eoque pertinet formula, quae toties in auctore *des richt-steiges* occurrit: *Here her richter, ick bidde eines ordels*. *Inquirebat* iudex in rei veritatem, auditis testibus, excussis instrumentis, aliisque probationibus et argumentis cum cura expensis. Idem porro *interrogabat* scabinos, de ea re quid censeant? Hi denique *respondebant*, et de eorum consilio ferebatur sententia. *

* Eleganter hoc ipse BRUMMERUS *ibid.* tribus probauit testimoniis, ex quibus vel maxime ad rem pertinet primum, quod desumsit ex *charta Alamannica 99.* apud GOLDAST. *script. rer. Alam. Tom. II. p.* 60. vbi primum Hrothelmus quidam dicitur PROCLAMASSE, *eo, quod in contradrucum suum mansum et tollitum fuisset: quod ei aduenerit a parte vxoris suae simul et Flauino: deinde comes, auditis testibus, et rem praesentem contemplatus*, INTERROGAVIT *ipse scabinos, quid illi de hac caussa iudicare voluissent? At illi* DIXERUNT*: secundum istorum hominum testimonium, et secundum vestram inquisitionem*, IUDICAMUS, *vt sicut diutsum et finitum est, ita in proprium habeant absque contradictione in perpetuum*. Addimus alterum ex HINCM. *Epist. IIII. cap.* 14. *Contra capitulum domni Imp. Caroli nemo ad placitum cogatur venire, nisi scabini, et qui caussam suam* QUAERIT, *et cui* QUAERITUR.

§. CCLXVII.

Et quidem non nisi de scabinorum sententia.

Idem et post Francorum tempora obseruatum esse e pluribus veterum testimoniis compertum habeo. Ita enim AUCTOR *vitae Caroli, Comitis Flandr. cap. V.* hunc comitem et eo nomine collaudat, quod laesus a quibusdam, *id vlcisci noluerit, nisi praemissa et* COGNITA SENTENTIA SCABINORUM, *sine quorum iudicio nil detur posse vel velle comitem*. Et ex IURE SAX. *Lib. II. art.* 12. nec non SUEV. *cap.* 80. pater, nihil hic suo arbitrio fecisse iudicem, sed scabinorum fuisse interrogante iudice, sententiam ferre. Vnde SPECULATOR SUEVUS: *Wostchoepffen sind, die sollen vrtheil sprechen vber jeglich din, vnd niemand anders*. Et *cap.* 73. §. 4. *Vor welchec* (in Bergeriana p. 127. *vor vueltlicken*) *gericht sprechen die richter nicht vrtheil. Das ist darumb gesetzt, dass sie nicht alle vveiße leuth sind, vnd dass viel gevvohnlicher ist, dass vnter den leuten alle, die vor ihm sind, viet vveiße leut sind, dann er ist*. Add. GLOSS. *ad* IUR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 78. vbi quinque argumentis probat, non eum, qui sententiam inueniat, sed qui eamdem quaerat, iudicem dicendum esse.

§. CCLXVIII.

Quomodo hi tulerint sententiam?

Ceterum scabini sententiam ferebant sedentes, (ac proinde sua habebant subsellia: IUS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. SPEC. SUEV. *cap.* 79. §. 4. *cap.* 80. §. 4. palliati, inermes, sine pileo et chiro-

the-

thecis, IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 69. SVEV. *cap.* 80. §. 2. denique ieiuni, CAPITVLAR. *de causs. admon.* §. 15. LEX LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 4. *et* 11. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 69. et SVEV. *cap.* 80. Aliquando et alii, qui non erant scabini, rogabantur sententiam, si scabinus rem acu non tetigisset, iisque tunc licebat, eam dicere, si prius veniam subsellium occupandi a iudice impetrassent. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Der aber zu den bancken nicht gebohren ist, der soll des stuhls bitten mit vrtheil, ein ander vrtheil zu finden: so soll ihm iener den stuhl raumen, der das erste vrtheil fand...*

§. CCLXVIIII.

Si quando in diuersa ibant scabini: plurimum sententiis pauciorum suffragia merito cedebant. IVS PROV. SVEV. *cap.* 108. §. 4. *Fraget ein richter vrtheil einen, mann nun so vrtheilet der mann, vvas er kan; ihm folgen vielleicht drey man oder mehr, vnd ein ander mann dabey findet ein ander vrtheil, dem folgen auch drey oder mehr, vnd vvelcher die mehrere folg hat, der hat sein vrtheil behebet.* * Contra nulla erat sententia, ab vno scabino, inconsultis reliquis, lata. Potius is, qui ausus erat collegis ius suffragii adimere, venerabili illo scabinorum senatu mouebatur, WEICHB. *art.* 100. immo nulla etiam erat sententia iudicis metu prolata, CAPIT. *Lib. V.* §. 251. vel iussu aut metu principis confecta. LEG. WISIG. *Lib. II. tit.* 1. §. 28.

Quid si paria essent suffragia?

* Quid vero si par esset suffragiorum numerus? Omittunt hunc casum leges recentiores. At in CAPITVL. *Lib. V.* §. 160. regula traditur: *Placuit, vt inter pares sententias clementior sempre seueriori praeferatur.* Quod quin et insequentibus temporibus obseruatum fit, nulli dubitamus.

§. CCLXX.

Erant et alia quaedam, a scabinis, sententiam dicturis, obseruanda: veluti quod tres sententias serie non interrupta ferre nemo posset. WEICHB. MAGD. *art.* 27. *Es soll kein schoepff dreymal nach einander vrtheil sprechen, binnen gehegten ding.* Quod sententiam rogatus aut ferre eam teneretur, aut iurare, sibi non liquere. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Wer vrtheils gefraget wird, vnd das nicht finden kan, darff er sein recht hierzu thun, dass ers nicht finden konnen,* * *so mag man vvol einen andern darumb fragen, darnach den dritten, vnd dann den vierdten.* Conf. IVS PROV. SVEV. *cap.* 108. Denique quod impune ferret, qui sententiam etiam minus aequam tulisset, modo id non dolo malo, sciens et volens, sed ex errore vel ignorantia, fecisset. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Fraget man einen mann vmb ein vrtheil, vnd findet er es nach seinem sinne am rechtesten, als er weiss, vnd vvare es vvol vnrecht, er leidet doch da keine noth vmb.* Quamuis tunc scabinus iurare teneretur ex praescripto IVRIS SVEV. *cap.* 108. §. 3. *dass er nichts bessers vvisse*: sin iurare nollet, manus amputatione puniretur.

Obseruationes aliae de iure et ritu ferendi sententiam.

* Idem erat mos Romanorum, apud quos iudices, tametsi semel dati et accepti obstricti essent ad ferendam sententiam, tamen iudicandi necessitate se ex-

se exsoluere poterant, si iuraret, SIBI NON LIQVERE. Exemplum insigne est apud GELL. *Noct. Attic. Lib. XIIII. cap.* 2. quod pluribus interpretati sumus in *dissert. de lubricit. iurisiur. suppler.* §. 19.

§. CCLXXI.

Iudices et alios adhibebant in consilium apud Wisigothos et Francos.

Quum vero scabinorum non omnium ea iurisperitia fuisse videatur, vt sententiam, iuri et facto consentaneam ferre, vel, vti ipsi loquebantur, inuenire possent, integrum illis fuisse videtur alios adhibere in consilium. Apud Wisigothos sane iudici licebat, ex auditorio aliquos in consilium adhibere. LEG. WIS. *Lib. II. tit.* 2. §. 2. Apud Francos non modo sacerdotes erant in consilio: CAPITVL. *Lib. VI.* §. 141. verum etiam SACHIBARONES, quorum, tamquam iuris peritorum, consilio scabinos vsos esse, iam supra vidimus. (§. 19.) Vid. LEG. SALIC. *tit.* 57. §. *vlt.* Eiusdem porro generis erant BONI HOMINES, * qui saepe comitibus et scabinis iunguntur in vetustis monimentis, veluti in MARCVLFI *adpend. cap.* 51. in charta apud CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. Tom. I. p.* 583. nec non apud BALVZ. *capitular. Tom. II. n.* 16. *p.* 1394. *n.* 98. *p.* 1490 *n.* 104. *p.* 1497. *n.* 118. *p.* 1512. *n.* 142. *p.* 1549. Nam et hos comitibus cum scabinis in consilio fuisse, patet ex formula pronunciandi apud CAR. DV FRESNE. *ibid.*

* Imitati hic Franci videntur Romanos, apud quos iudices et arbitri κατ' ἐξοχὴν bonorum virorum nomine veniebant. HORAT. *Lib. I. Epist. XVI. v.* 40.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat:
Quo multae magnaeque secantur iudice caussae.

Vnde *ad virum bonum* ire, idem est, ac ire ad iudicem. *L.* 137. §. 2. *D. de verb. obl.* et boni viri arbitratus saepissime pro iudicis arbitrio ponitur, *L.* 17. *L.* 12. *D. iudic. solu. L.* 51. *D. sol. matr. L.* 4. *C. de test. mil.*

§. CCLXXII.

Idem et medio aeuo fieri solebat.

Idem et medio aeuo obtinuisse, animaduertimus. Quum enim saepe non ea esset virorum prudentum et iurisperitorum copia, vt scabini quid iustum atque aequum sit, suopte iudicio peruiderent: non raro vel aliorum vtebantur consilio, vel sententias aliunde arcessebant. Exemplum e saeculo XIII. quod huc pertinet, * habes apud illustr. academiae nostrae cancellarium, IO. PETR. A LVDEWIG *von verbesserung des teutschen Lehenrechts p.* 15. ex quo patet, iam illo tempore, orta de limitibus territoriorum inter Electorem Brandenburgicum et Archiepiscopum Magdeb. controuersia, electum arbitrum, comitem Schwarzburgicum, sententiam tulisse de iurisperitorum, quos adhibuerit, sententia.

* Nec opus est pluribus, quum iam supra (§. 54.) aliquot exemplis ac testimoniis demonstratum sit, vrbes plerasque, si qua sententia, a scabinis suis lata, ab alterutra parte impugnaretur, sententias alias ab ea vrbe petiisse, cuius leges et statuta adoptarant, quamque tamquam metropolin comiter venerabantur. Itaque saltim in secunda, quam vocant, instantia sententiae ab aliis iurisperitis concipiebantur. Denique rem extra omnem dubitationis aleam ponunt tot sententiae veteres, a scabinis Magdeburgicis conceptae, et SPECVLO SAXONICO adpendicis loco subiunctae. Immo ipse colle-

collectionem huiusmodi sententiarum multo antiquiorem vidi in codice quodam MSC. membranaceo, in quo et ius vetus Lubecense erat, ipseque deprehendi, eas sententias aliunde petiisse senatum Stetinensem.

§. CCLXXIII.

Sententia porro non contra omnes promiscue ferri poterat. In primis vero non contra absentes, CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 271. *et* 145. furiosos, et mente captos, IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 3. SVEV. *cap.* 145. minores, CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 265. immo nec contra eos, qui ingenuorum erant natalium, nisi et ipsi scabini essent ingenui: id enim sibi volunt verba IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Schoeppenbarfreye leute mogen wol vrtheil finden vber einen ieglichen mann: es mag aber vber sie niemand vrtheil finden, dass an ihren leib, oder an ihre ehre, oder an ihr erbe gehet, noch ihr vrtheil schelten, er sey ihnen dann ebenburtig.* Denique nec sententia a quoquam ferri poterat contra dominum, vasallum et cognatum, si vel vita, vel corpus, vel existimatio et fama hominis periclitaretur. IBID. Contra quos sententia ferri potuerit?

§. CCLXXIIII.

Sententia lata poterat impugnari. Quod quomodo factum sit, insequente capite ostendemus pluribus. Si non esset impugnata: vires rei iudicatae adquirebat, et ab vllo retractari, nouaue actione inuerti non poterat: quamuis certum terminum, quem fatalem hodie vocamus, ego quidem nusquam expressum videam. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 351. *Flagitari iudicium non debet de caussa, quae definita vel iudicata est.* Apud Alamannos, qui caussam semel decisam iterum in ius deducere vellet, auditis testibus, qui rem iudicatam adfirmarent, eorum testimonium vel aliis testibus, vel certamine singulari elidere vel 40. sol. pendere cogebatur. LEG. ALAM. *tit.* 94. Denique apud Langobardos idem, testibus conuictus, aut 15. sol. mulctae nomine soluere, aut a scabinis, * qui sententiam tulerant, totidem ictus corpore excipere tenebatur. LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 60. Rei iudicatae effectus apud veteres.

* Ex quo loco simul patet, non modo adparitorem, qui vocabatur *der frohnbothe*, sed et scabinos supplicia a reis sumere non dubitasse, quod et alio testimonio probare licet ex MARQV. FREHERI *notis ad libr. de occult. Westph. iud. p.* 48. ad quem locum FRIDR. BRVMMER. *de scabin. cap.* 8. §. 18. *p.* 362. *Notabile est, quod ipsi scabini, salua tamen dignitate sua, condemnato alteri scabinorum* (immo et aliis, ceu ex lege Langobardica discimus,) *carnifi[illegible]anus inferre iubeantur, more ab [illegible]aeorum republica petito, vbi nobilissimi quique et principes, si testes capitalium scelerum fuissent, in lapidatione, notissimo eorum supplicio, primum lapidem in sontem immittebant, demonstrante hoc ex Deut. XVII. v.* 7. *pluribusque aliarum gentium exemplis*, BODINO *Lib. III. de republ. p.* 361. et PICCARTO *comm. ad VI. Polit. Arist. cap.* 8.

§. CCLXXV.

Sed et iure Saxonico retractari non potuisse videtur sententia, quae non in continenti esset impugnata. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 6. *Welche gabe der man siehet vergeben wieder sich, oder welche vrtheil er finden horet wieder recht; wiederredet er das zu hand nicht: darnach* Itemque iure Saxonico.

nach ſo mag ers nicht wiederreden. Vbi MELCH. KLING. in editione ſua *fol.* 54. *b.* verba *zur hand* ita παραφράζει: *in gebuhrender zeit, als in zehen tagen*, quaſi et apud Saxones, elapſo demum illo decem dierum ſpatio, ſententia in rem iudicatam tranſierit: ſed perperam, Nam *zur hand* eſt in continenti. Dicta enim pronunciataque ſententia, ſtatim ex praeſentibus quaerebat iudex, an quis eorum impugnare vellet ſententiam? Nemine volente, ſtatim pro iudicato habebatur: idque volunt verba *gloſſae*: *Denn nach Sachſen-recht fraget man allezeit, ob einer ein geſunden vrtheil vollvvorthen wolle?* * *In welches da er alſo eins vervvilliget, billig mag er es darnach nicht wieder ſchelten.*

* Ex quo ſimul patet, ſententias non clam, ſed palam, et praeſentibus omnibus, eſſe publicatas. Id quod etiam diſerte praecipit LEX WISIG. *Lib. VII. tit.* 4. §. 7. nec non LANGOB. *Lib. II. tit.* 21. §. 28. quae trium ſaltim hominum praeſentiam exigit. Praecipue autem partes ipſas, earumque aduocatos, adeſſe debuiſſe, vel inde patet, quod eos interrogari oportuit, an in ſententia illa adquieſcerent? Quod ſi nec adquieſcere, nec impugnare vellent ſententiam: CAPITVL. *Lib. III.* §. 7. cautum fuerat, vt clamatores vel cauſſidici, qui nec iudicio ſcabinorum ADQVIESCERE, nec BLASPHEMARE volunt, in cuſtodia recluderentur, donec vnum e duobus facerent. Quod repeti animaduertimus in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 23.

§. CCLXXVI.

Exſequutio ſententiae ex iure vetere, in cauſſis perſonalibus.

Ceterum ſententia, vbi in rem iudicatam tranſierat, exſequutioni erat mandanda. Quod quomodo factum fuerit, luculenter oſtendi poteſt ex LEGE SALICA *tit.* 53. §. 3. Ibi ſane ſtipulator eum, qui ſe quid daturum promiſerat, primum domi adhibitis teſtibus interpellare, deinde ei per iudicem tres dilationes, quibus ſoluat, dari iubetur ea lege, vt debitae quantitati ſingulis dilationibus tres ſolidi adcreſcant. Si ne ſic quidem debitor expungeret nomen: exſequutioni erat locus, quam ita LEX deſcribit: *Si vero nec fidem factam ad placitum legitime factum voluerit perſoluere: tunc ille, cui fides facta eſt, ambulet ad grauionem loci illius, in cuius pago manet, accipiatque feſtucam, et dicat verbum: Tu Grauio, rogo te: Homo ille, qui mihi fidem fecit, eum legitime habeo admallatum ſecundum legem Salicam, et quod lex Salica habet, et continet, et ego ſuper me, et ſuper fortunam meam pono, quod ſecurus mitto ſuper fortunam ſuam manum. Et dicat, de quanta cauſſa quantam ei fidem fecerit? Tunc Grauio roget ſeptem rathimburgios, qui ſecum ambulent ad domum illius, qui fidem fecit: dicat, ſi praeſens eſt: Voluntate tua ſolue homini iſti de eo, quod ei fidem feciſti, et elige duos ex his, quos volueris, quibuſcum, quod ſoluere debes, adpretiatio, et hoc, quod debes, ſecundum iuſtum pretium ſolue ac ſatisfac. Quod ſi audire noluerit praeſens, aut ſi abſens fuerit, ſtatim rathimburgii, adpretiato pretio, et quod debito ſecundum iuſtum pretium ſatisfaciat, et quantum valuerit, debitum, quod debet, hoc de fortuna ſua tollat, et ipſa lege duas partes ille, cuius cauſſa eſt, ad ſe reuocet, et tertiam partem in fredo grauio ad ſe recolligat, ſi tamen ſridus vim de ipſa cauſſa non fuit ſolutus.* *

* Attamen nec actor impune ferebat, qui exſequutionem ſine ratione flagi-

flagitauerat, nec iudex, qui plus pignori ceperat, quam debuisset. LEX RIPVAR. *tit.* 51. §. 1. *et* 2. *Si quis iudicem fiscalem ad res alienas iniuste tollendas, antequam ei fidem fecerit, aut ad strudem admallatum habuerit, inuitare praesumserit*, 50. *sol. mulctetur. Quodsi quis iudex fiscalis amplius, quam lex Ripuaria continet, tulerit*, 30. *sol. mulctetur.* At paullo post *tit.* 84. *is, qui grafionem ad res alienas iniuste tollendas inuitauerit* 45. *solidos componere, et simile restituere iubetur.*

§. CCLXXVII.

Ita exsequutioni mandabatur sententia per pignoris capionem, quoties quis, conuentus actione personali, fuerat condemnatus. Vbi simul notatu dignum est, eum, qui ius dicenti non obtemperabat, sed in caussa erat, vt exsequutio esset decernenda, tertiam iudicati partem, tamquam mulctam, iudici exsoluere debuisse: quemadmodum et iure Romano is, qui, quod extremum erat in iurisdictione, non faciebat, in mulctam solebat condemnari. *L. vn. D. qui ius dic. non obtemp.* Quomodo sententia, pro eo, qui in rem egit, lata, exsequutioni mandari consueuerit, non adeo expeditum est, nisi quod victorem a iudice et scabinis in possessionem missum, victum vero insuper mulctatum a iudice esse, et res ipsa doceat, et facile intelligi possit ex LEG. ALAM. *tit.* 84. Itemque in caussis realibus.

§. CCLXXVIII.

Sed ita iure Germanico antiquo fiebat exsequutio. Qualis illa IVRE SAXONICO fuerit, fuse atque accurate describit REPKOVIVS. *Lib. I. art.* 70. Nam primo, quod ad actiones in rem attinet, de iis ita scribit: *Hat ein mann geklaget auff ein gut zu dreyen dingen, man soll ihn darein weisen, vnd soll es ihm geweldigen, da mag ihn niemand aussweissen, er thue es dann mit rechter klage. Die einweissung mag aber der mann entreden auff den heiligen*, bey iahr-zahl, er muss aber das gut zu hand vertreten zu den nachsten dreyen dingen, ob man darauff klagte.* Fiebat ergo exsequutio per immissionem et inductionem in possessionem. Enimuero quia hic exsequutio decernitur ob rei contumaciam: quaeritur, an non hic postea rem suam recuperare possit? Idque adfirmat SPECVLATOR, dum iusiurandum praestet * suamque actionem intra proximas tres dilationes opponat, easque, prout decet, probet. Quomodo ea facta iure Saxonico in actionibus realibus?

* Quid vero hic est *die einweissung entreden auff den heiligen?* Non sane iurare, rem esse suam. Neque enim verosimile est, eum, qui semel missus fuerat, statim debuisse migrare, simulac reus, rem suam esse, iuraret. Immo huic interpretationi refragantur sequentia; *er muss aber das gut zu hand vertreten zu den nahesten dreyen dingen.* Sensus ergo est, iureiurando reum probare debere iustum impedimentum, cur ter citatus non adfuerit. Eo enim facto adhuc admittitur ad ius suum proponendum, probandumque. Recte itaque auctor GLOSSAE *ad hunc textum: Das vernimms nichs also, dass jener schlechts schvveren muge, sondern er memets also, dass jener vor gericht muss kommen, vnd bevveissen seine ehehaffte noth, vvarumb er zu der antvvort nicht kommen sey.*

§. CCLXXVIIII.

Deinde si, finita caussa personali, decerneretur exsequutio: ea fiebat per pignoris capionem. Qua de re eodem loco SPECVLATOR: *Kla-* Itemque in personalibus?

Klaget man aber vm schuld vber den, der nicht dingpflichtig ist, noch der da zu antvvorten nicht schuldig ist, man soll ihm gebieten von gerichts halben, dass er bezahle vber uierzehen tage, oder sich der schuld mit recht entrede. Thut er das nicht, man soll ihn dafur pfanden, vnd das pfant soll man zu bürgen thun drey stund, ye vber 14. *tage, ob mans zu borge begehrt. Begehrt mans aber zu borge nicht, man solls doch halten sechs vvochen vnuerthan. Entredet iener die schuld darinnen nicht, darnach mag er sie nicht entreden, es benehme ihm dann echte noth, so soll man denn das pfand versetzen fur die schuld, oder verkauffen, (ob mans dafur nicht versetzen mag,) vvas es dann gielt, das vbrige soll man ihm vvieder geben. Gebricht aber ichts daran: man soll ihn vvieder pfanden, also lange, bis iener sein geld habe.* Itaque, condemnato eo, et non soluente intra tempus constitutum, pignus capiebatur, idque per sex adseruatum hebdomadas vel pro summa debita oppignorabatur, vel vendebatur optimis conditionibus, et hyperocha restituebatur debitori. Si pignus non sufficeret expungendo nomini: aliud de nouo capiebatur, donec creditori esset ex asse satisfactum.

§. CCLXXX.

Vsus hodiernus harum obseruationum in interloquutionibus.

Et horum quidem iurium omnium vestigia quaedam et hodie superesse, nemo negauerit. Ex veteribus enim Germaniae moribus est (1. quod nihil ab alterutro litigante fit in foro, super quo non interloquantur iudices, e. g. super declaratione, ab alterutro facta, super reassumtione litis, productione et agnitione instrumentorum, similibusque, quamuis tota saepe sententia nihil complectatur, praeter illa notissima: *es habe dabey sein bevvenden, es habe beklagter die documenta sub A. B. C. zur nothdurfft recognosciret.* cet. (2. Quod et hodie tum in iudiciis criminalibus, tum in ciuilibus quibusdam, maxime prouincialibus, (*in denen land gerichten*,) iudiciorum ordo in hoc vnico consistit, quod actor vel reus *postulat*, e. g. *vvie er vor dieses gericht vorkommen moge? ob ihm erlaubt sey, sich mit seinem fursprecher zu vnterreden? cet.* iudex *interrogat* scabinos, quid de ea re sentiant? v. c. *Herr schoepffe, ich frage euch, vvie klager vor diesem gericht vorkommen moge?* scabinus denique RESPONDEAT: e. g. *Herr richter, ich halte vor recht, dass klager vorkomme ohne gezogene vvehre, vnd ohne geruffte.* Tales ritus in iudiciis, ruri habitis, ipse vidi: quos vetustis illis per omnia similes esse, nemo non animaduertit.

§. CCLXXXI.

In inueniendis sententiis.

Quemadmodum vero maiores et priuatos, qui scabinorum officio minime fungebantur, rogabant sententiam: (§. 268.) ita idem (3. et hodie quibusdam locis obseruatur, maxime Hamburgi. Hinc IVS STAT. HAMB. *Part. I. tit. 6. art. 1. Die dingleute, vvelche in die findung gehen, sollen fromme, ehrliche, vnd vnberuchtigte dieser stadt burgere seyn, vnd sich von den streitigen partheyen nicht vnterrichten lassen, viel vveniger einige giffte oder gabe von ihnen empfangen, oder* mit

mit ihnen verdachtiger weisse zugaste, oder zur zeche sitzen, sondern sollen steissige auffacht hallen, auff klage, antvvort, vnd dasienige, so im gerichte vorgetragen vvird, vnd darauff nach ihrem besten verstande, vermöge dieses stads-buchs vnd recess, ein recht vrtheil finden. Vnd da sie spuren, dass sich ein oder ander theil muthvvillig in rechtfertigung eingelassen, denselben in die gerichts-kosten, richterlicher moderation vorbehaltlich, condemniren.

* Ne quis vero existimet, tantum hic intelligi scabinos vel adsessores iudicii ordinarios: *eodem titulo art. 2.* cauetur: *Die burgere, vvan sie vor oder in dem gerichte auffvvarten, sollen auf einforderung des vogts, bey poen drey pfund, vnnachlassig zu bezahlen, in die findung zu geben schuldig seyn.* Attamen *art.* 3. excipiuntur (1. cognati et adfines alterutri litiganti intra tertium gradum: (2. qui similem litem in iudicio agitant: (3. qui alterutri litigantium tamquam aduocati vel procuratores in ea caussa adfuerunt, quibus poena trium librarum irrogatur, si dicant sententiam. Eo etiam pertinet *Part. I. tit. 35. art. 1. et 2.* vbi ita sancitur: *Wann in einer sachen klager und beklagter zu beyder endurtheilen geschlossen, sollen die partheyen, und die denselbigen vervvandt, abtreten, vnd burgere vnd dingleuthe, auf angeborte klage, antvvort, vnd gefuhrte bevveissung erkennen, vvas billig vnd recht ist, vnd in dem dieses stadtrecht vnd recesse in guter auffacht haben. Was alsdann gefunden vnd eingebracht vvird, soll der gerichts-schreiber getreulich vnd fleissig protocolliren, vnd zu verhutung aller missverstandniss den burgern vnd dingleuthen, vvie die findung eingenommen, vnd verstanden, vorhalten vnd anzeigen.* Quae omnia veteres Germanorum mores redolere, a florentissima illa republica sanctius, quam ab vlla alia, custoditos, res ipsa docet.

§. CCLXXXII.

Quae (4. de numero suffragiorum diximus: (§. 269.) ea et hodie tum in iudiciis, tum in dicasteriis, obtinent: et quamuis (5. ea in re et ius Romanum Germanico suffragetur: *L. 36. L. 39. D. de re iud. et eff. sent.* probabilius tamen est, id ius, domi repertum, retinuisse, quam a Romanis adoptasse, Germanos. Quod et (6. de errore in sententia admisso (§. 170.) dicendum videtur, nec non (7. de more Hamburgensium, eos tribus libris mulctandi, qui, sententiam rogati, eam depromere sine iusta caussa detrectant. IVS HAMB. *Part. I. tit. 6. art. 1.*

In numero suffragiorum et cogendis eius, vt dicant sententiam.

§. CCLXXXIII.

Praeterea quemadmodum olim fas erat iudicibus, alios adhibere in consilium: (§. 272. sequ.) ita et hodie animaduertimus, (8. non modo iudicibus et scabinis adiungi syndicos vel adsessores iurisperitos, quibus nullum alicubi ius suffragii est; vt iudicantibus in consilio sint, quos in Belgio *pensionarios* vel *aduiseurs* dici nouimus, (*Elem. iur. sec. ord. Pand. Part. I. §. 237.* *) verum etiam (9. iisdem licere, acta vel suo arbitrio, vel (10. petente alterutra, vel (11. vtraque parte flagitante, ad scabinatum aliquem, vel ordinem iuridicum transmittere, ab eoque petere sententiam: immo (12. id plerumque non in arbitrio iudicis positum esse, si vel caussa sit criminalis, (in his enim criminalibus caussis ipsa CONSTITVTIO criminalis iudices saepissime iubet a peritioribus petere consilium,) vel (13. partes priorem senten-

In actis ad dicasteria transmittendis.

ſententiam, a iudice latam, *leuteratione* ſimiliue remedio ſuſpenſiuo impugnarint.

§. CCLXXXIIII.

Beneficium tranſmiſſionis actorum quid?

Quamobrem facile vnuſquiſque intelligit, (14. ex vetere iure Germanico eſſe beneficium illud tranſmiſſionis actorum, quod ipſae imperii leges omnibus, qui ſe ſententia aliqua laeſos exiſtimant, indulgent. Quum enim ſaepe res, de qua litigatur, non attingat ſummam legitimam, quam vocant adpellabilem: de eo caſu ſancit RECESS. DEPVT. SPIR. *anni* 1600. §. 16. nec non RECESS. IMP. *nouiſſimus anni* 1654. §. 113. vt integrum ſit iis, quibus iniqua videatur ſententia, grauamina per modum ſupplicationis deferre ad iudicem: hic vero tunc obſtrictus ſit, acta, petente parte ſupplicante, ad extraneum aliquod dicaſterium (*auf eine Vniuerſitat oderan zvvey oder drey rechtsgelehrte*) tranſmittere. Quam legem imperii (15. et in quibuſdam ſtatutis reperi, animaduertimus, veluti in REFORM. FRANCOF. *tit.* 19. *et* 20. Conſ. GVNDL. *diſſert. de transmiſſ. act. in leg. imp. permiſſa, eiuſque repetitione, Hal.* 1722.

§. CCLXXXV.

Quantae auctoritatis ſint ſententiae a ICtis conceptae.

Et ea eſt (16. origo inſignis illius atque eximiae auctoritatis, qua dicaſteria academica et ſcabinatus pollent in Germania, vt illa non ſemper iudicis, ſed plerumque ſuo nomine, pronuncient: *Als ihr vns klage, antvvort vnd erfolgte geſatze in ſachen N. et N. nebſt eurer rechts frage zugefertiget, vnd euch des rechten daruber zu belehren gebethen: Demnach erkennen vvir ordinarius, decanus, ſenior vnd ubrige doctores etc. vor recht.* Sed et (17. ex eadem cauſſa non integrum eſt iudicibus, mutare ſententiam, a collegiis iuridicis latam, vel (18. eamdem ſuo lubitu ab actis remouere: ſed ii (19. partibus permittere debent arbitrium, malintne in illa adquieſcere, an aduerſus eam nouo remedio vti. Vid. THOMAS. *de iudice ſent. ab act. remou. Hal.* 1709.

§. CCLXXXVI.

Qualis hodie exſequutio?

Denique (20. eamdem et hodie eſſe exſequutionis rationem, quam olim, ea, quae ſupra (§. 276. ſequ.) monuimus, oſtendunt. Nos (21. inter reliquias iuris veteris id praecipue notamus, quod immiſſio in Saxonia fit ſollemniter, ita, vt (22. prior actus, quem *exſequutionis* vocant, peragatur ab aliquot ſcabinis, adhibito ſimul adparitore, qui in rem praeſentem veniant, exciſamque ex poſtibus aedium feſtucam, vel glebam ex agro, vel prato deſumtam, victori porrigant: KEYSER *anvveiſs zum hulffs-proc. cap.* 3. §. 7. quamuis (23. hunc ritum, et extra Saxoniam non plane ignotum, BRVNNEM. *proc. ciu. cap.* 20. *n.* 28. reus aliquando pro peracto habeat, iſque tunc omitti ſoleat, KEYSER. *ibid. cap.* 2. §. 15. Quo facto (24. ad ſecundum actum ipſius *immiſſionis*, elapſo ſpatio Saxonico, proceditur, ita, vt (25. ſcabini aliquot cum adparitore iterum in rem praeſentem veniant, et victori, quod immittatur in hoc praedium, victo, quod exmittendus ſit, denuncient, ſimulque alicubi (26. ignem in foro extinguant, nouumque excitent. KEYSER. *ibid. cap.* 3. §. 9. *cap.* 4. §. 1.

§. 1. Reliqua, quae hic de subhastatione dici possent, in vulgus nota, atque ita comparata sunt, vt ex notissimis pragmaticorum libellis addisci facile possint.

T I T. VIII.

DE ADPELLATIONE, ALIISQVE SENTENTIAM IMPVGNANDI MODIS.

§. CCLXXXVII.

NOn ita comparatae sunt res hominum, vt omnia, subductis accurate rationibus, fiant: adeoque nec in ferendis sententiis tam diligentes ac perspicaces semper sunt iudices, vt in iis iure sit adquiescendum. Immo in iudiciis quoque saepenumero ira, misericordia, amor, odium, inuidia, aliique adfectus dominantur, animosque iudicantium in transuersum agunt. Ac proinde nulla fere gens fuit, quae tantum permiserit iudicum arbitrio, vt non litigantibus ius dederit, ab eorum sententiis prouocandi ad superiorem iudicem, vel eas alio legitimo modo impugnandi. Saltim apud Romanos CICERO *de Orat. II. cap.* 48. extremam prouocationem *ciuitatis patronam, et vindicem libertatis* adpellare non dubitauit. * Adpellationum necessitas in omnibus rebusp.

* Accedit, quod ad supremam maiestatem pertinet suprema rerum omnium ἀνάλυσις, adeoque prudentia ciuilis vix patitur, vt a iudicibus et magistratibus non fit prouocatio ad ipsum principem, eiusque tribunal supremum. Hinc Mecaenas apud DION. CASS. *Lib. LII. p.* 487. auctor erat Augusto, vt ipse de adpellationibus cognosceret, quotquot a magistratibus maioribus et a procuratoribus suis, praefectisque, ad se deferrentur, addens rationem ex interiore politica depromtam: Μήτε γὰρ αὐτόδικος μήτ' αὐτοτελὴς ἔστω τις τὸ παράπαν ἔσω ὥς τε μὴ οὐκ ἐφέσιμον ἀφ' αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι. *Nemo enim ita summum ac merum imperium obtinere debet in ciuitate, vt non ab eo prouocari possit.*

§. CCLXXXVIII.

Equidem qualis TACITI temporibus fuerit adpellandi impugnandique sententias ratio, vix hodie constat, quum tam pauca sint, quae ille de Germanorum iudiciis prodidit memoriae, vt accendisse magis doctorum virorum sitim, quam restinxisse, videatur. Attamen non inepta est diuinatio doctissimi CONRINGII, dum in *differt. de iudic. vet. Germ.* §. 14. scribit, praeter iudicia illa principum vel comitum, per vicos et pagos ius dicentium, necessario fuisse oportere maius aliquod iudicium, vbi maioris momenti lites fuerint decisae, et verosimile esse, id fieri consueuisse in conciliis populi, immo non esse absurdum, opinari, per adpellationem etiam a iudicio principis adsessorumque eius caussas ad idem concilium deuolui potuisse. * An et temporibus Taciti apud Germanos receptae?

* Multo minus dubitandum, quin eae respublicae, quae monarchice regebantur, adpellationem admiserint, quales fuere Frisiorum, Lygiorum, Gotho-

Gothorum, Marcomannorum. Quamuis enim laxius fuerit regum istorum imperium, *nec supra libertatem*, teste TAC. *de mor. Germ. cap. 6. et 44.* non tamen credibile est, illis ademtam fuisse ἐπανόρθωσιν in principum seu comitum et magistratuum acta, adeoque nec ius illis fuisse, iniquas eorum sententias rescindendi, si ciues, illis grauati, ad eos confugissent. Hinc laudatus CONRING. *ibid.* §. 10. *Etiam in regnis*, inquit, *non alia fuit, quam alibi, forma iudiciorum: et in his quoque principes eorumque ex plebe adsessores per pagos et vicos ius dixerunt, nisi quod fortassis in constituendis illis principibus vel vnius regis, vel huius vna, cum concilii maior aliqua auctoritas fuerit: fo te etiam licuerit ea aetate regibus, in sententiarum a principibus latarum aequitatem aduertere: Haec enim omnia sub Francorum imperio obtinuerunt.*

§. CCLXXXVIIII.

Qualis fuerit apud Wisigothos?

Apud WISIGOTHOS cuiuis licebat adpellare regem, siue suspectus esset iudex, vt est LEG. WISIG. *Lib. II. tit. 1. §. 23.* siue lata ab eo sententia iniqua, vel iuri contraria videretur, IBID. §. 31. ex quibus locis simul discimus, (1. iudicem tunc obstrictum fuisse ad rationes sententiae suae reddendas: (2. eo nomine regio decreto constitutos esse iudices, qui caussam cognoscerent: (3. iudicem male iudicantem ad mulctam et ad dupli restitutionem fuisse condemnatum: (4. sin iniuriam illi fecerit petitor, hunc tantumdem praestare debuisse, centum flagrorum ictibus lacerandum, si soluendo non esset. Ceterum prouocatio a iudice suspecto *d. §. 23.* diserte vocatur ADPELLATIO: *Qui suspectum iudicem habere se dixerit, si contra eumdem deinceps fuerit querulatus,* completis prius, quae per iudicem statuta sunt, * sciat, sibi apud audientiam principis adpellare iudicem,* esse permissum.*

* Itaque WISIGOTHI adpellationi non attribuebant effectum suspensiuum, sed deuolutiuum tantum, adeoque adpellans iudicato nihilominus satisfacere tenebatur. Id enim sibi volunt verba: *completis prius, quae a iudice statuta sunt*. Quod secus se habet iure Romano, ex cuius praescripto nihil, pendente adpellatione, innouandum, adeoque nec sententia exsequutioni mandanda erat, *L. vn. D. nihil innou. adpell. interp.* dum rite denunciata iudici fuisset adpellatio. MEV. *Part. III. dec. 362. n. 8.* Tanta ergo WISIGOTHIS fuit rei iudicatae reuerentia, vt eam adpellatione rescindi quidem, at eius exsequutionem non impediri, paterentur.

§. CCLXXXX.

Itemque apud Burgundiones?

In LEGE BVRGVNDIONVM adpellationis mentionem fieri, non memini. Certum tamen est, apud eos quoque rescissas fuisse iniquas iudicum sententias, iudicesque, perperam iudicantes, certa pecunia mulctatos. LEX BVRG. *Addit. I. tit. 3. §. 2. Si iudices, a nobis deputati, iniuste iudicauerint, sciant, se ter duodenos sol. mulctae nomine nobis esse illaturos sine dubio.* Conf. *Addit. II. §. 10.* vtrum vero vsi sint remedio adpellationis, an in eodem iudicio sententiam impugnarint, non facile dixerim: quamuis posterius mihi vix probabile videatur.

§. CCLXXXXI.

Apud Francos prouocatum ad missos dominicos,

Apud FRANCOS nihil erat adpellatione frequentius, eaque iam ad missos dominicos, iam ad comites palatii, iam ad ipsum regem dirigebatur. Ad missos dominicos itum, si quando comites alicui iustitiam

tiam denegarent. CAPITVL. *Lib. II.* §. 26. Querela hac audita, alterutrum duorum faciebant missi regii. Vel enim comites admonebant, vt quam primum officium facerent, & nolentes ita coercebant, vt cum comitatu suo in eius praedia irent, ex iisque commeatum tamdiu sumerent, donec ius dicerent: CAPITVL. *Lib. IIII.* §. 66. *Lib. V.* §. 183. vel ipsi missi rem definiebant, eoque consilio quatuor per annum conuentus iuridicos habebant, in quibus adpellationes audirent. CAPITVL. *Lib. III.* §. 85. *Volumus, vt propter iustitias, quae vsque modo de parte comitum remanserunt, quatuor tantum mensibus in anno missi nostri legationes suas exerceant: id est, in hieme, Ianuario, in verno, Aprili, in aestate, Iulio, in autumno, Octobri.* Et paucis interiectis: *Missi autem nostri quater in vno mense, et in quatuor locis, habeant sua placita, cum illis comitibus, quibus congruum fuerit, vt ad eum locum possint conuenire.*

§. CCLXXXXII.

Ad palatium deuolutae caussae vel inter priuatos, vel inter principes procerestue agitabantur. Priores cognoscebant Comites palatii, * nec ad Regem ibatur, nisi comes palatii id necessarium iudicaret. Posteriores sibi ipse rex reseruarat. Omnia haec discimus ex HINCM. *epist. ad Ludou. Balb. cap.* 19. vbi ait: *Comes palatii de omnibus saecularibus caussis vel iudiciis suscipiendis curam instanter habebat, vt nec saeculares prius dominum regem absque eius consulto inquietare necesse haberent, quousque ille prouideret, si necessitas esset, vt caussa ante regem merito venire deberet.* Et *cap.* 21. *Comitis autem palatii inter cetera paene innumerabilia in hoc maxime solicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quae alibi ortae propter aequitatis iudicium palatium adgrediebantur, iuste et rationabiliter determinaret, seu peruerse iudicata ad aequitatis tramitem reduceret, vt et coram Deo propter iustitiam, et coram hominibus propter legum obseruationem cunctis placeret.* Attamen non nisi adpellationes priuatorum eum ad tribunal suum pertrahere potuisse, nec procerum caussas cognouisse, nisi mandato regis, patet ex CAPITVL. *Lib. III.* §. 77. Add. CONR. *de iudic. Germ.* §. 39. ad comites palatii,

* Hos et *praeceptores palatii* vocat WALAFR. STRABO *de reb. eccles. cap.* 30. eosque, *saecularium caussas ventilasse*, refert. Non nisi vnum eodem tempore palatio praefuisse, contendit CONRINGIVS *in censura diplom. Lindau. cap.* 8. *p.* 128. *sequ.* Sed aliud discimus ex ipsis CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 77. TRADIT. FVLDENS. *p.* 474. et EGINARDI *Epist. XI.* quibus locis omnibus plures palatii comites eodem tempore memorari, iam docuit HIER. BIGNON. *ad Marculf. Lib. I. form. cap.* 21.

§. CCLXXXXIII.

Ipsi Reges partim principum vel procerum caussas, partim et plebeiorum lites, quas principum cognitione dignas iudicassent palatii comites, in suprema instantia definiebant. Prius probamus ex CAPITVLAR. *Lib. III.* §. 77. ex quo iam superiore paragrapho quaedam decerpsimus: posterius ex CAPITVLAR. *Lib. V.* §. 243. vbi cauetur, *vt si quis voluerit dicere, quod ei iuste non iudicetur: tunc in praesen-* et ad ipsos reges.

sententiam principis veniat. Quod et repetitur paucis mutatis in CAPITVLAR. *ann.* 829. *tit.* 2. §. 14. ex quo discimus etiam, quod Reges singulis hebdomadibus tertium diem iuri dicundo, audiendisque ciuium querelis sepofuerint. *

* Quemadmodum vero apud Romanos principes vel pro tribunali ius dicebant, vel de plano: *L.* 3. §. 8. *D. de bon. possess. L.* 2. §. 1. *D. quis ordo in poss. seru.* MERILL. *Obs. Lib.* II. *cap.* 26. et tunc priore casu DECERNERE, posteriore INTERLOQVI dicebantur: *L.* 1. §. 1. *D. de const. princ.* §. 6. *Inst. de iure nat. gent. et ciu.* Ita idem obseruatum esse a Francorum regibus animaduertimus. Aliquando enim litigantes pro tribunali cognoscebant, et ius dicebant de consilio procerum, eoque pertinet exemplum Dagoberti, qui *Diuione residens aliquantis diebus tantam intentionem cum vniuerso regni sui populo iustitiae iudicandae posuerat, vt huius desiderio plenus, nec somnum caperet, nec cibo satiaretur, intentissime cogitans, vt omnes cum iustitia recepta de conspectu suo remearent.* AVCT. *de gestis Dagoberti Reg. cap.* 21. Aliquando veluti de plano, auditis partibus, decernebant, veluti Carolus M. de quo EGINARDVS: *Quum calcearetur, non tantum comites admittebat, verum etiam, si comes palatii litem esse aliquam diceret, quae sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introduci iussit, et, veluti pro tribunali sederet, lite cognita, sententiam dixit.*

§. CCLXXXXIIII.

Adpellationi quibus in caussis locus fuerit?

Adeo autem fauore digna Francis videbatur adpellatio, vt nulli liceret detinere adpellantem, multo minus eum in vincula publica ducere. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 178. Attamen non in omnibus caussis adpellare licebat, sed in ciuilibus tantum, iisque, quae ad delicta leuiora pertinebant, quippe quae partem iurisdictionis ciuilis fuisse iam supra (§. 61.) obseruauimus, non si de homicidio, adulterio, maleficio quaereretur: CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 129. quamuis ne illis quidem, qui capitis fuerant damnati, adpellatio plane denegaretur. CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 228. Denique et id obseruandum erat, ne quis iudicem, a quo prouocabat, lacesseret conuiciis, quia, qui id faciebat, infamia notabatur, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 142. itemque, vt adpellaret a iudice ordinario minore ad maiorem, CAPITVL. *Lib. V.* §. 250. non ab electo, cuius quis ipse probauerat arbitrium. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 21.

§. CCLXXXXV.

Eam interpositurus blasphemare dicebatur sententiam.

Quemadmodum vero, qui adprobabat sententiam latam, in ea ADQVIESCERE; ita is, cui iniqua videbatur, eamdem BLASPHEMARE dicebatur, quae loquutio, in CAPITVL. *ad Leg. Sal. III.* §. 6. LEGE LANGOB. *Lib. II. tit.* 52. §. 23. CAPIT. *Lib. III.* §. 7. obuia, adeo familiaris erat Francis, vt et postea in Germanorum legibus passim occurrat phrasis, *ein urtheil schelten*, et hodiernis Francis in ore sit similis, *blamer de faux iugement*. Ceterum alterutrum facere debuisse altercantes, eorumue aduocatos, eosque, qui sententiam nec probare, nec ab eadem adpellare vellent, carceri fuisse mancipatos, iam supra obseruauimus.

§. CCLXXXXVI.

In prouinciis, quibus duces praeerant, ad

Non dubium est, quin et apud reliquas gentes, quae Francorum imperio paruerunt, eadem fuerit adpellationum ratio: nisi quod in illis prouinciis, quae ducibus suberant, a comitibus ad duces videtur prouoca-

uocatum LEX ALAM. *tit.* 36. §. 6. *Et si est talis persona, quam comes in placito vel centenarius, vel missus comitis distringere non potest, tunc eum dux legitime distringat, plusque quaerat Deo placere, quam homini, vt nullum neglectum in animam Ducis Deus requirat.* Qualia et in LEGE BAIVVAR. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 4. legimus, vt iam non difficile intellectu esse videatur, qualis sit *mallus ducis*, cuius fit mentio in LEGE RIPVAR. *tit.* 50. §. 1. hos prouocabatur.

§. CCLXXXXVII.

Qualis adpellatio apud Langobardos?

Supersunt LANGOBARDI, quorum in LEGE *Lib. II. tit.* 41. §. 4. legimus: *Si quis caussam habuerit, et sculdais aut iudex ei secundum edicti tenorem per legem iudicauerit, et ipse stare in eodem iudicio minime voluerit: componat illi, qui iudicauit, sol.* 20. *Nam de ea caussa, quae per arbitrium iudicata fuerit, et ipse sibi non crediderit legem iudicasse, et ad regem proclamauit, non sit culpabilis. Et si iudex contra legem iudicauerit, componat sol.* 40. *medium regi, et medium ei, cuius caussa fuerit. Et si forsitan iudex caussam per arbitrium iudicauerit, et iudicium eius rectum non adparuerit, non sit culpabilis: nisi praebeat sacramentum regi, quod iniquo animo, aut corruptus praemio, caussam ipsam non iudicasset, nisi sic ei legem comparuit esse, et sit absolutus: nam si iurare non praesumserit, componat, vt supra dictum est.* *

* Ex hac lege patet I. eum, qui sine ratione ad superiorem proclamauerit, et in sententia bene et iuste lata adquiescere noluerit, mulctam 20. solidorum pendere debuisse. II. impune contra fuisse adpellare, si non ipse iudex, sed datus arbiter tulerit sententiam. III. Ipsum iudicem, qui contra legem pronunciarit, mulctam 40. solid. ex semisse regi, ex semisse parti soluendam, pendere debuisse, et IIII. insontem habitum, si iuratus adfirmaret, se non dolo malo aut pecunia corruptum iudicandi officium defugisse. Receperunt ergo omnes paene gentes Germanicae poenam temere adpellantium, qualis et apud Romanos est mulcta 50. librarum in *L.* 5. *fin. C. quorum adpell. non recip.*

§. CCLXXXXVIII.

Qualis apud Saxones et Sueuos?

Sed proximum est, vt ad ius, medio aeuo receptum progrediamur, id est, ad SAXONICVM et SVEVICVM, quorum hoc ab illo in hoc ipso capite quam maxime discrepasse, ipse notauit REPKOVIVS, dum scripsit: *Schvvabisch recht zvveyet sich nicht von Sachssischen rechten, dann am Erbe nehmen, vnd vrtheil zu schelten.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 19. At paullo aliter SECVLATOR SVEV. *cap.* 393. §. 2. *Schwabisch recht zweyet sich nicht von der Sachsen recht, dann in erb zu nemen, vnd vrtheil zu geben.* Nos vtrumque ius inter se conferemus, visuri, qua in re inter se conueniant, quaue in re inter ea sit dissidium.

§. CCLXXXXVIIII.

Ad quos adpellatum?

Primo itaque, quod ad ius Sax. attinet, per gradus erat adpellandum a iudice inferiore ad superiorem, et postremo omnium ad Regem. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *Schilt man ein vrtheil, das soll man ziehen an den obern-richter, vnd zuletzt vor den konig*: quod et speciatim de Sueuis monet, si quis eorum sententiam a Sueuo la-

tam impugnet. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 19. Eadem IVRE SVEV. *cap.* 106. §. 1. cauentur: *Vnd ist, dass mann einem mann eine vrtheil wiederwirfft, die soll man ziehen an den hohern richter, vnd zuletzt vor den konig.* * Immo §. 3. gradus clarius exprimit SVEVVS: *Von welcher hoher hand das gericht ist, da mag man ein vrtheil wol ziehen an. Die erste hand des gerichts, das ist der konig, die ander hand des gerichts, das ist, dem der konig leihet, die dritt hand ist, die es einem andern da leihet. Die dritt hand mag nicht mehr furbas gericht leihen, dass es den leuten an ihr leib oder an ihr blutgiessen gehe.*

* Attamen binos casus excipiunt SPECVLATORES SAXO et SVEVVS: primum, si quis a comite ad Marchionem prouocet: id enim fieri non posse, si vel maxime comes a marchione comitatum in feudum acceperit. Cuius rei duas caussas profert REPKOVIVS, primam, quod in marchia ius non dicatur auspiciis regiis, alteram, quod iura diuersa sint in marchiis et comitatibus. IBID. *Lib. I. art.* 12. *Kein beschulten vrtheil mag man ziehen aus einer graffschafft in eine marck, ob gleich der graff die graffschafft von einem marckgraffen hat, das ist darumb, dass in der marck kein Konigsbann ist:* (Marchio enim suis auspiciis ius dicit: *Der Marggraff dinget bey sein selbst hulden:* IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 65.) *vnd ihr recht zweyet sich, darumb soll man nicht vor das reich herziehen.* Quod et SVEVVS repetit *cap.* 106. §. 2. sed ita, vt ad marchionem a comite adpellari posse concedat, si hic comitatum a marchione acceperit. Deinde et eo casu adpellari non ad iudicem proxime superiorem, sed regem, si vel Sueuus Saxonis, vel Saxo Sueui sententiam impugnare conetur, idem obseruat *Lib. II. art.* 12. *Schilt der Schwabe eines Sachsen vrtheil, oder ein Sachs eines Schwaben, das mussen sie vor dem Konige entscheiden, als hievor geredet ist.*

§. CCC.

Qui et in quibus caussis adpellare potuerint? Adpellare deinde licebat regulariter omnibus, praeterquam criminis reis, et paratis ad singulare certamen. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. *VVird ein man gefangen vmb vngerichte; vnd vor gericht gebracht, er mag kein vrthel schelten, noch der mann, der da kamffen soll, wann er in den ring kommt.* Idem repetit SPECVLATOR SVEVVS *cap.* 113. nisi quod in locum eius, qui ad singulare certamen paratus est, substituit *den, der in der acht ist, oder im bann*, simulque monet, hunc nec inuenire sententiam posse, *er moge niemand seines rechtes gehelffen, biss er von den nothen komme.* Praeterea SPECVLATOR SAXO *Lib. II. art.* 12. obseruat, in iudiciis, vbi auspiciis Regis ius dicitur, neminem posse scabini sententiam impugnare, quam virum eorumdem ingenuorum natalium: extra bannum regium id posse vnumquemque integrae famae atque existimationis.

§. CCCI.

Quomodo interposita adpellatio? Quod tertio ad formam attinet, vterque speculator in eo consentit, quod non sedere, sed stare oporteat eum, qui sententiam impugnet. Id enim monet SAXO *Lib. II. art.* 12. et SVEVVS *cap.* 79. §. 4. et 80. §. 4. vbi addit, *er solle aufstehen, oder er wette dem richter.* Neuter vero mentionem facit ridiculi ritus, scabinum de scamno deturbandi, quem tamquam stolidorum hominum somnium merito explodit GLOSSATOR *ad hunc locum.* Praeterea et formulam praescribit

RE-

REPKOVIUS, *d. Lib. II. art.* 12. qua vti adpellantem oporteat: *Das vrtheil, das der mann funden hat, ist vnrecht, das schelte ich, vnd ziehe mich des, da ich das durch recht billig hinziehen soll, vnd bitte darumb eines vrtheils, wohin ich das billig ziehen soll?* Cui paene per omnia similis est ea, quam commendat SPEC. SVEV. *cap.* 108. §. 4. Ad hanc postulationem deinde procul dubio iudex de consilii sententia decreuit, coram quo iudice superiore reddendae sint adpellationis caussae. *

* Equidem eodem loco reperias: *Vmb ein gescholten vrtheil soll mann kein mittel fragen, das ist, kein vollwort:* sed fenius est, sententiam, a qua adpellatum, nec defendi, nec mutari posse, vt id pro attentato non habeatur. Hinc statim sequitur: *Der es auch funden hat, der muss dauon nicht ablassen, vmb dieses willen, dem das vrtheil gefunden ist zu seinem frommen.* Hinc si vel maxime scabinus, qui inuenerat sententiam, eam mutare, eaque ratione adpellanti adimere vellet conquerendi occasionem: id fieri non poterat sine consensu eius, pro quo fuerat pronunciatum. At verba, in paragrapho adlata, pertinent ad interloquutionem, an deferendum sit adpellationi, et coram quo iudice in posterum agenda sit caussa? Qualem interloquutionem fieri omnino oportuit, antequam caussa a iudice inferioris instantiae ad superiorem dimitteretur.

§. CCCII.

Nuntii idea a iudice inferiore ad superiorem missi.

Reiecta iudicis sententia, interpositaque adpellatione, iam porro nuncii eligebantur, quos iudex ad iudicem superiorem vel regem mitteret. Hos oportebat esse ingenuos, (*schoepffenbar-freye*,) si e comitatu; qualescumque integrae existimationis homines, si e marchia quadam mitterentur. Praeterea ita ornabantur illi legati, vt iis adiungerentur sex famuli et octo equi. Adsignabatur etiam iis iudicis impensis, commeatus, et quidem panis et cereuisiae adsatim, tria fercula cum vini poculo legatis, duo famulis, equis singulis, quorum anteriores tantum pedes soleis ferreis praemunitos esse oportebat, quotidie quinque manipuli. Quae omnia accuratissime describuntur a REPKOVIO *Lib. II. art.* 12. *

* At paullo aliter rem describit auctor SPECVLI SVEVICI *cap.* 106. §. 1. Primum enim non distinguit inter comitatum et marchiam, sed inter principatum vel comitatum et ciuitatem: *Da soll der richter zugeben seine bothen, die da sollen volkommen die vrtheil horen vor dem Konig. Geschicht das in einer marck,* (in BERGERIANA *p.* 154. *geschicht diz in einer glasschafft, oder in ainem marckch, oder in ainem hertzogtum,*) *so sollen die bothen freye landsassen seyn: oder geschiehet es in einer stadt, so sollen die bothen seyn, welcher band leuth man vvil, die an ihren rechten vollkommen sind.* Deinde et commeatus paullo alius est. Nec enim mentio sit cereuisiae, et legatis quatuor fercula, equis vero singulis non nisi quatuor manipuli, at foeni adsatim, adsignantur.

§. CCCIII.

Adpellationis euentus.

Legatis his vel nunciis ad regis curiam, et quidem si Saxo sententiam impugnauerit, in Saxonia: si Sueuus, in Sueuia futuram profectis, (solitos enim esse Reges et Imperatores ante Ludouici Bauari tempora non vno loco haerere, sed vniuersam peragrare Germaniam, iam ab ADLZREITERO *Annal. Boic. Part. II. Lib. VII.* §. 85. HERT. de

de fide dipl. sect. 1. §. 16. *p.* 620. obseruatum:) praesentibus illis caussa adpellationis agebatur, eaque instantia finiebatur intra sex hebdomadas, intra quas sententiam domum referre tenebantur legati, IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 12. SVEV. *cap.* 106. §. 2. quae si esset confirmatoria, adpellans et iudici, et scabino, sententiae auctori, mulctam inferre, omnesque impensas restituere tenebatur. IVS PROV. SAX. *ibid. Wer das vrtheil gescholten hat, volkomt ers nicht, er muss darum wetten dem richter, vnd ienem seine busse geben, des vrtheil er gescholten hat, vnd dem richter seine kost gelten, die er mit seinen bothen verthan hat.* Quae repetit et SVEVVS, *cap.* 106. §. 6. obseruans simul, mulctae loco iudici deberi *ein pfund*, addensque, si sententia reformatoria fuerit, tantumdem debere scabinum, sententiae auctorem, et quotquot illi suffragati sint, (*iener der wieder ihn was, vnd sein folger.*)

§. CCCIIII.

An magna hac in re inter Saxonum et Sueuorum mores differentia?

Talis fuit apud SAXONES et SVEVOS adpellatio, vt in tanto vtriusque iuris consensu vix adpareat, cur SPECVLATOR SAXO scripserit: *Schwabisch recht zweyet sich an nichts anders vom Sachsischen recht, denn an erb zu nehmen, vnd vrtheil zu schelten.* Differentiae sane, quam in superioribus paragraphis diligenter notauimus, tam leuis est, vt vix eius ratio videatur habenda. * Equidem Saxonibus et aliud erat adpellandi genus, quod vocabant *ad dextram suam et maiorem partem consentientium*, quod ita describit REPKOVIVS *Lib. II. art.* 12. *Schilt ein Sachs ein vrtheil, vnd zeucht er sich des auff seine rechte hand, vnd an die meiste menge: er muss darum fechten selb siebend seiner genossen wieder andere sieben: wo die meiste menge sieget, die behalten das vrtheil. Ein ieglich vberwunden mann zu kampff wettet dem richter, vnd giebet dem buss, der mit ihm gefochten hat. Vmb ein vrtheil mag man nirgends fechten denn vor dem reich.* Sed ne iste quidem adpellandi modus alienus a Sueuorum moribus fuisse videtur. Ait enim auctor IVR. SVEV. *cap.* 208. §. 2. *Vmb ein ieglich vrtheil mag man nicht gefechten, dann vor dem gericht,* (vel potius, vt in BERGER. *p.* 157. legitur: *vor dem reich.*)

* Ea enim in hoc vno consistere videtur, quod Sueuus, Suevi sententiam impugnans, prouocaret ad seniores Sueuos et plura suffragia: *er zog sich an die altern schvvaben, (die muste er aber benennen) vnd an die grossere menge zu dem echten dinge, an die boeste ding-stadt.* Saxones vero, siue Saxonum siue Sueuorum sententias impugnarent, ad superiorem iudicem, vel ipsum regem, vel dextram suam prouocarent. Quamuis hic non pauca satis obscura esse fatear.

§. CCCV.

Origo remediorum, suspensiuorum in primis leuterationis.

Enimuero, quum longae illae ambages viderentur, nec cuiusuis facultates tot impensis sufficerent: plerisque Germaniae locis inualuere remedia quaedam suspensiua, ita comparata, vt iis coram eodem iudice, qui sententiam tulerat, possent vti. Eo pertinet LEVTERATIO * Saxonica, et in aliis extra Saxoniam prouinciis recepta, quamuis alibi eam SVPPLICATIONEM, alibi RESTITVTIONEM IN INTEGRVM, alibi REVISIONEM, alibi BENEFICIVM TRANSMISSIONIS ACTORVM, alibi

alibi REMEDIA EXTRAORDINARIA vocare malint. Omnium enim eadem est ratio, idem finis, puta vt occasio sit, grauamina, sententia vel alterutri vel vtrique parti, illata accuratius exponendi, transmissisque actis, vel saltim ab alio recensitis, nouam atque aequiorem sententiam impetrandi.

* Ea nomen accepisse videtur a Germanico *erlautern*. Quia enim ex sententia, alterutri vel vtrique litigantium molesta, colligi posse videbatur, factum nondum tam clare propositum esse, vt iudici satis liqueret: petebat is, cui grauamen illatum videbatur, vt sibi liceret illud magis illustrare, vtque, eo facto, noua ferretur sententia. Occasionem ei inueniendae dedisse videntur (1. ipsius veteris adpellationis molestia; (2. sumtuum magnitudo; (3. Imperatorum et regum fixa in prouinciis hereditariis sedes: (4. priuilegium, de non adpellando, electoribus, et potentioribus quibusdam ordinibus concessum: (5. adpellationes ad certam summam, quam adpellabilem vocant, restrictae, et quae sunt huius generis aliae.

§. CCCVI.

Ceterum quamuis veterem adpellandi ritum in plerisque peruerterit ius tum canonicum, tum ciuile, cuius tricas in plerisque ordinationibus processuum, quas vocant, deprehendimus: supersunt tamen quaedam iuris veteris Germanici reliquiae, veluti (1. quod et hodie in Saxonia, et plerisque aliis locis, vbi processus inquisitorius viget, in caussis criminalibus locus non est adpellationi, sed (2. eius loco petenti noua indulgetur defensio, eaque (3. ad extranea dicasteria transmittitur. SCHILTER. *Exerc. XXXXVIIII.* §. 1. *sequ.* Quod adeo verum est, (4. vt nec ad suprema Imperii tribunalia in his caussis permittatur adpellatio, ORD. CAMER. *Part. II. tit.* 31. §. 14. sed, (5. si quando rei se laesos esse conquerantur, vel mandata de rite administranda iustitia decernantur, vel (6. iudices reorum defensiones ad iureconsultos extraneos vel minus suspectos mittere iubeantur. RVLANT. *de commiss. Part. I. Lib. II. cap.* 3.

Reliquiae quaedam Germ. iur. circa caussas in quibus adpellatur.

§. CCCVII.

Quemadmodum etiam olim id non impune ferebat is, qui temere adpellauerat: ita (7. ex antiquis moribus repetenda videtur consuetudo, tantum non vbiuis recepta, vt adpellantes deponere cogantur certam pecuniae summam, quae vocatur *succumbenz-geld*, eaque (8. etiam in leuterationibus, supplicationibus, reuisionibus, passim efflagitetur. Vix enim dubitandum est, quin haec successerit in locum mulctae, in quam maiores nostri condemnabant omnes, qui temere hoc remedio fuerant vsi. Quin (9. experientia docet, temere adpellantem plerumque condemnari, vt expensas omnes aduersario restituat, et (10. caussam remitti ad iudicem prioris instantiae.

Circa poenam temere adpellantium.

* * *
* *
*

TIT.

T I T. VIIII.

DE IVDICIIS CRIMINALIBVS.

§. CCVIII.

Transitio ad iudicia criminalia.

SIc ergo demum ad metam peruenimus, nihil vt iam superesse videatur, quam vt postremo de IVDICIIS PVBLICIS vel CRIMINALIBVS quaedam subiiciamus. Quum vero permulta haec communia habeant cum ciuilibus, eaque iam satis explicata sint titulis superioribus: hanc nos merito seruamus διαίρεσιν, vt ea potissimum, quae singularia et a iudiciis pecuniariis diuersa, circa illa occurrunt, consectemur.

§. CCCVIIII.

Germani in persequendis criminibus processu accusatorio vtebantur.

Ceterum quum potiores iudicii criminalis actus sint ACCVSATIO, accusati CVSTODIA vel EXHIBITIO, DEFENSIO, CONVICTIO et POENA: de singulis quaedam monere iuuabit. Quamuis enim, quod ad accusationem attinet, hodie frequentior sit processus ille, quem vocant *inquisitorium*: maiores tamen nostri non alium, quam *accusatorium*, cognitum habuisse videntur *. Iam enim temporibus TACITI, ceu ex eius libello *de morib. Germ. cap.* 12. patet, *licebat accusare, et discrimen capitis intendere*. Et in legibus vetustissimis tam saepe mentio fit accusationum, vt de earum frequentia dubitare vix possis.

* Negari equidem nequit, ad comitum apud Francos officium pertinuisse persequi latrones et grassatores, et dare operam, vt prouincia malis hominibus purgetur: CAPITVL. IIII. *ann.* 806. §. 5. CAPITVL. III. *ann.* 812. §. 12. CAPITVL. *ann.* 813. §. 6. Idque et apud Burgundiones et Langobardos factum esse, ex LEGE BVRG. *tit.* 9. et LANGOB. *Lib. II. tit.* 40. §. 3. patet. At inde non sequitur, vt iis comprehensis locus non fuerit accusationi. Sane quemadmodum fugitivi, quos comprehendere non licebat, proscribebantur, quod sine accusatione factum esse, nemo dixerit: LEG. RIPVAR. *tit.* 87. CAPITVL. I. *ann.* 809. *cap.* 4. ita non dubitandum, quin, et captis his facinorosis, ex officio constitutus sit accusator, qui crimen persequeretur. Et apud Burgundiones quidem id fortassis ad officium pertinuit WITTISCHALCI, id est, *pueri regii, qui iudicia exsequitur, et mulctam exigit*, vti describitur in LEGE BVRG. *tit.* 76.

§. CCCX.

Quis accusare potuerit?

Ne vero in calumniam euaderet promiscua accusandi licentia, homines que praui innocentissimos quosque temere adlatrarent: duo praecipue obseruabant veteres: primum vt non nisi homines integrae famae et minus suspecti ad accusandum admitterent: alterum, vt omnem calumniam iustis poenis coercerent. Non ergo accusatorum munere fungi licebat, seruis, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit.* 50. libertis, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 76. infamibus et de calumnia suspectis, IBID. *tit.* 52. §. 8. CAPITVL. *Lib. VI.* §. 253. *Lib. VII.* §. 76. amicis et domesticis, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 342. multo minus vilioris conditionis hominibus, si honestioribus; WISIG. *Lib. VI.* §. 1. *tit.*

tit. 1. vel laicis, si clericis dicam scribere vellent, CAPITVL. *Lib. I.* §. 35. itemque homicidis, maleficis, furibus, sacrilegis, raptoribus, veneficis, adulteris, feminarum raptoribus, falsariis, magos consulentibus: CAPITVL. *Lib. VI.* §. 298. *Lib. VII.* §. 65. Christiani nominis religionem et dignitatem negligentibus, CAPITVL. *Lib. VII.* §. 134. in fide catholica suspectis, IB. §. 331. Quin generatim ait Imperator CAPITVL. *Lib. VII.* §. 88. *Accusatores et accusationes, quas saeculi leges non admittunt, et nos submouemus* *.

* Quum ergo leges saeculi hic procul dubio sint Romanae, ex quibus etiam permulta, quae ad constitutionem iudiciorum publicorum pertinent, exscripta esse animaduertimus: consequens est, vt et alias personas inhabiles, quas ius Romanum accusare vetuit, a iudiciis publicis arcuerint, veluti impuberes et minores, *L. 8. D. de accusat.* feminas, *L. 1. L. 8. D. eod.* milites, *L. 11. pr. D. eod.* Apud BVRGVNDIONES sane LEGE cautum erat *tit.* 33. §. 3. vt *mulieres caussarum actionibus vel litibus se immiscere* non debeant. Quae sane lex non minus Romanae originis est, quam quod de procuratoribus in caussis criminalibus non admittendis sancitur CAPITVL. *Lib. VII.* §. 274. *Quando in caussa capitali vel in caussa status interpellatum fuerit, non per procuratores, sed per ipsos est agendum.* *L. 33. §. 3. D. de procur. L. vlt. C. de iniur. L. vn. C. de adsert. toll.* et ibi CVIAC. *in paratit.*

§. CCCXI.

Nec minore seueritate calumniam accusatorum coercebant Germani. Nam primum LEGES SAL. *tit.* 20. mulctam 200. solidorum; RIPVAR. *tit.* 28. sexaginta sol. illis irrogabant: Deinde aliae gentes, ipsique postea Franci, imitati Romanos, accusatores non admittebant, nisi subscriberent in crimen, adeoque eos, qui per calumniam alios accusauerant, eadem poena adficiebant, quam subiturus erat reus, si criminis fuisset conuictus. LEG. WISIG. *Lib. VII. tit.* 1. §. 1. *Iudex reum, qui accusatur, antea non torqueat, quam ille, qui accusat, si indicem praesentare noluerit, se per placitum, trium testium roboratione firmatum, ea conditione constringat, vt, si is, qui accusatus est, manifestis indiciis innocens comprobatur, ipse poenam, quam alii intendit, excipiat.* Similia habemus IBID. *Lib. VI. tit.* 1. §. 2. LEG. BAIVVAR. *tit.* 8. *cap.* 17. CAPITVLAR. *Lib. VII.* §. 282. Poena calumniose accusantium.

§. CCCXII.

In iure SAXONICO et SVEVICO de accusatorum persona, poenaque talionis parum vel nihil occurrit. Contra vtrumque ius multo accuratius distinguit accusationes criminales, quam leges antiquae, et quum hic denuo praeeuntem habeamus auctorem *des Richtsteigs uber das landrecht* *cap.* 30. eius diuisionem primum audiemus: *Der klegere klage velt vierleye wys. Tho deme ersten klagen sy eine* HANDHAFFTE DAET *ouer einem, der gevangen is in der daet. Tho deme andern klagen sy* OVERNECHTIGE KLAGE. *Tho deme drudten klagen sy ouer einen, de* VNGEVANGEN *dar tho der antwerde is. Tho dem vierden klagen sy ouer den, de* VORFLVCHTIG *is.* Dici ergo potest accuratius, alias fuisse accusationes eorum, qui ἐπ' αὐτοφώρῳ, *in handhaffter that*, deprehensi essent, alias eorum, quorum iam hesternum erat crimen, (*ein ubernachtige that*:) Accusationes quotuplices?

in

in vtroque vero permultum interfuisse, praesens esset delicti auctor, an eum alio fuga abstulisset. *

* Definitiones horum criminum nobis non inuidit SPECVLATOR SAXO *Lib. II. art.* 35. *Handhaffte that ist das, so man einen begreifft in der that, oder in der flucht der that, oder dass er dieberey oder raub in seinen gewehren hat, da er selbst den schlussel zutruge an seiner seiten, es ware dann ein solch ding, das ihm ein ander wohl in sein gewehr zu einem fenster eingestossen haben mochte. Denn so mochte man ihm keine handhaffte that angezeugen.* Et rationem cur vocetur *handhaffte-that*, hanc reddit auctor *des* RICHTSTEIGES *cap.* 30. *wylen die dat einem manne also thogeheft is, is, als oft yt eme tho der hand kleuede.* Contra hesternum facinus IDEM REPKOVIUS *ibid. artic.* 36. ita describit: *Wer aber den andern tag seine dieberey oder raub bey einem manne findet, der das offenbahr gekaufft hat, und es unverhohlen gehalten, und des gezeugen hat, den mag man keiner handhafften that daran beschuldigen, ob man wohl findet die dieberey unter ihm er habe dann vorher sein recht verlohren, und sey amuchtig.* Quisquis ergo non eodem die in ipso facinore deprehensus accusabatur, eius delictum *hesternum*, vel *eine ubermachtige that*, adpellabatur.

§. CCCXIII.

Accusatio facinorosorum ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensorum cum clamore.

Ἐπ' αὐτοφώρῳ, deprehensus reus cum clamore ducebatur in ius, eiusque rei exempla adducit auctor SPECVLI SAX. *Lib. II. art.* 64. eos, qui de stupro violento, virgini vel mulieri illato, vel de furto, vel rapina, in qua quis fuerat deprehensus, conquerebantur, qui occisi cadauer ad tribunal ferebant: qui scientes, vbi fur latitet, iudicis opem flagitabant: de quibus omnibus monet, *sie sollen das klagen mit geruffte durch der handhafften that, vnd durch der noth vvillen, die sie da bevveisen sollen.* Ritum ita describit auctor *des* RICHTSTEIGES *cap.* 31. *Wenne dat dingh geheget is:* (quod quomodo fiat, supra *Lib.* III. §. 28. ostendimus:) *so late dy kleger den brockhafftigen butten deme dinghe, vnde kome othmodichliken, vnde drustiken, vnde spreke: Eya here her richter, ick bidde dorch got eines mannes, de myn vvort spreke. Wenne denn yenne an syn vvort gekomen is, so spreke de vorsprake. Here her richter, N. de biddet, dat he mute bringen vor yvv in dat gerichte einen, de he bereden vvil, dat he syn morder, oder syn deef oder sin rouer, oder syn vveldener, oder syn nottogher, oder syn ouerhurer, oder syn voruestede mann sy, vnd den he in der handhaftigen daet begrepen heft, de noch schynbar is, vnd he bevvysen vvill. So vragh vort, vvo du ene to rechte vor den richter in dat gehegede ding bringen schall? So vintme, met deme geruchte, vnd met der bevvysinghe, da du ene mede voruvinnen vvult. So vare he ene vort vor gerichte, vnd schrye vp dem vvege.* THO YODVTE * *ouer mynen morder, oder vvo de brocke sy, vnd ouer des landes rechte morder. Wenne he denne ene in dat gehegede ding gebracht heft, so stille sy de vronebode.*

* De hoc clamore iam supra aliquoties diximus, ostendimusque, alicubi clamari *zeter*, alibi *vvapen*, alibi *lodute*. De prioribus vocabulis, quarum satis est, diximus. At quid illud *lodute*, quae adhuc taetra interminantium vox est in Westphalia, vbi frequenter auditur paroemia: *Ick will dick schlaen, du schalst lodut ropen.* Notum est, quid vulgo narrent de Saxonum tropaeo, post praelium ad siluam vvelpheshols feliciter cum Henrico

rico V. commissum, statuto, quod *S. Adiutorium*, et a plebe rustica *S. Iodute* adpellatum, et religiose cultum fuerit. CRANZ. *Metrop. Sax. Lib. V. cap.* 36. Atque inde huius clamoris originem arcessit HENR. VAGEDES *in pentade quaest. histor. quaest.* 1. *p.* 288. Enimuero ne ipsi quidem CRANZIO persuaderi hoc potuit, cui illa vox quiritantium nescio quid Italicum vel Gallicum sonare idemque esse videtur, ac *io adiute mi*. Ego mihi nondum liquere, fateor, adeoque rem in medio relinquo.

§. CCCXIIII.

Formula eosdem accusandi.

Peracto clamore, imperatoque ab adparitore silentio, postulabat accusator interloquutionem, an rite ad accusandum processerit, simulque ipsam accusationem proferebat. Hinc pergit auctor des RICHTSTEIGES *cap.* 31. *So spreke de vorsprake: Here her richter, vuill gy dorch got, vnd dorch des rechten villen N. vvort vort horen. So spreke he: Here her richter, he vvete vorwar vnde wetliken, wenne em leff is, dat he eme rechte dat, vnde bidde eines ordels, efft he N. so met syme geruchte, vnd mit der hanhafften daet vor dat gerichte hebbe gebracht, als he syne klage yegen eme mogen anstellen to rechte; edder wat dar rechtes vmme sy? So vintme, he moge, he sehe, dat he rechte du. So spreke vort: Here her richter, so steit hir N. vnde klaget vnsen heren Gode vnde yvv in Godes stede, dat N. sy gekomen vvedder God, vnde vvedder recht, vnde hebbe eme yammerliken affgemordet synen leuen frunt,* * *edder he hebbe eme gevveldighliken affgerouet syn pert. N. vvill he des bekennen, dat mach he don: vvil he des auer verfaken, so vvill he des eme vorvvinnen, vvo yt eme tho rechte ghedeylet vvert, vnd bidde rechtes gerichtes over den vorbenomeden myssdedighen man, vnde bidde enes ordels, here her richter, vvat sy nur dartho den schollen, dat em beyden recht geschee? So spreke de richter: N. des vrage ick yvv. So vintme: dat he N. tho der antwerde byde. Dat vintme ok anderwerue vnde dritte werue.*

* Hoc casu ipsum cadauer simul ad tribunal erat ferendum. Hinc statim insequente *capite* 32. vbi de rei defensione agitur, auctor addit: *efte de dode dar yegenvvardisch sy*: idque deinde insequentibus aliquoties repetitur. Rem accuratius describit auctor IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 90. *Wird auch einem manne sein freund erschlagen, er mag ihn wol begraben, ob er wol vveiss, vver ihn erschlagen hab, er hab denn der klagen uber jenem mit dem* TODTEN COERPER *ehe begunst vor gerichte, so muss er mit ihm auch vollklagen, vnd mag sein dann nicht begraben, ohn des richters vrlaub, dievveil die klage vngeendet ist.* Quae omnia mirifice exprimi videmus ab AVCTORE *des Reinecken, cap.* 4. 5. Fingitur enim ibi gallos quosdam gallinaceos cum clamore ante regem, leonem, adducere cadauer occisae a vulpe gallinae, eorumque vnum accusare vulpeculam.

Der bennen broeder vveren desse tvvee,
Se repen beyde vvrach vn vvee
Vmme krassevoet, erer suster doet,
Dreuen se ruvve vnd drouenysse groot.
Noch vveren tvvey ander, de drogen de horen,
Men mochte ere drouenysse vern horen.

Postea mos inoleuit, loco cadaueris, quod oculos ac nares praesentium offendere videbatur, partem aliquam illius in iudicium ferre, quae vocabatur *das leibzeichen.* Explodit hunc morem, eumque nec vllius vtilitatis, nec Saxonici iuris esse, existimat KIL. KOENIG. *in Processu p.* 673. sed quod ad posterius attinet, in eo eum errare, vel solus locus, paullo ante ex iure Sax. prouinciali adductus, argumento est. Attamen ipse pergit; *Will man aber ie daruber ein leibzeichen nehmen, das mag man der gevvohnheit zu gefallen thun. Vnd vvievvol man etvvan hat ganze hande oder finger*

ger abgelofet : fo nimmt man doch zu dieser zeit, an den menden, da man der gewohnheit nach handeln will, gemeiniglich nicht mehr, denn irgend ein stuk von dem kleide des entleibten, oder ein lock haars. Similia reperias apud RAVCHDORN. *Pract. crim. Part. V. cap.* 3. CARPZ. *Part. III. quaest.* 136. *n.* 99. PAVLL. ZACHIAM *quaest. med. legal. Lib. V. tit.* 2. *qu.* 8. *n.* 8. *p.* 387. KEYSER. *in der anweisung zum inquisition-und achts-procefs cap.* 5. §. 13. *pag.* 137. vbi et fua aetate, (fcripfit autem libellum anno 1676.) in iudicio municipali Altenburgenfi ritum hunc obferuatum effe, tradit. Similiter in aliis iudiciis publicis operam dabant accufatores, vt corpus delicti ante oculos effet. Nam et furis manifesti tergo res furtiuae illigabantur, vt eas ad tribunal ferret, ceu conftat ex GLOSSA *ad Weichbild. art.* 36. et *auctore des* RICHTSTEIGES *cap.* 32. *p.* 34.

§. CCCXV.

Accufatio rei deprehenfi, fed aufugientis. Non multo aliter accufabatur reus, *ἐπ' αὐτοφώρῳ* deprehenfus, fed qui tamen aufugerat. Hunc enim accufator cum clamore perfequebatur, perfequentique ciues omnes opem ferre et fugientem fiftere tenebantur. Immo etfi reum in aliam ciuitatem fuga abftulerat: ciues tamen illum exhibere cogebantur accufatori et iudici fub poena profcriptionis. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 71. *fequ.* Sin, qui deliquerat, ita aufugiffet, vt non conftaret, vbinam gentium latitaret: accufator eum nihilominus eodem die, antequam hefternum fieret delictum, accufabat, et abfente iudice coram adparitore accufationem proferebat, eiufque is effectus erat, vt abfens ob delictum profcriberetur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 70.

§. CCCXVI.

Itemque non deprehenfi. **Et talis quidem erat accufatio hominis facinorofi, in ipfo delicto deprehenfi.** Si quis cautius mercatus ita deliquiffet, vt in ipfo facinore non opprimeretur, is praefens accufabatur quidem cum clamore, * fi fperaret accufator, fe eum ferro conuicturum, fine clamore vero, fi fingulare certamen inire nollet. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 36. Etiam hunc ritum accurate, vt folet, defcribit *auctor des* RICHTSTEIGES *cap.* 33. *Is dyn klage vernachtet, fo hege der richter ein ding, als hieruor gefecht is. So fpreke des klegers vorfprake alfus: Here her richter. N. de biddet eines ordels, wo he fyne klage anftellen folle ouer einen fynen vredebreker, cet. dat yt em tho fyneme rechte hulplik fy. So vintme, he fchole fy anftellen met fyme geruchte; als he em vorwinnen wil. So vrage he vort, efft dat geruchte folle vor der klage gan, oder de klage vor deme geruchte? So vintme, dat geruchte fcholle vorgaen, wente dat is der klage beginn. So biddet he, dat he yt fchryen mute. So fprekt de richter: Ick gunnes wol, effi des*[illegible] *noth fy. So fchryc de fackewaldige fulnen ouer N. vnd ouer vnrechte wolt. Alfo do he anderwerff, vnde dritte werff.*

* Clamorem ex his iudiciis plane exfulare debuiffe cenfet doctiffimus THOMAS. *de occaf. concept. et intent. conftit. crim. Carolinae* §. 11. idque procul dubio colligit ex IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 64. *We keine handhaftie that ift, da mafs man ohne geruffi klagen, ob man es ohn fchaden bleiben wil.* At *auctor des* RICHTSTEIGES diferte ait, in his quoque cauffis hefternis accufationem cum clamore effe proferendam. Immo et ipfe

RE-

REPKOVIVS *Lib. II. art.* 36. mentionem faciens furti nec manifesti, furem si rem vitro reddere nolit, cum clamore esse accusandum, tradit: *Wiedert er des, so schreie er uber ihn das geruffte*. Sed haec sibi inuicem non aduersantur: Clamore enim et hoc casu vtebantur, si in promtu essent ipsa rerum testimonia, et accusator ferro contendere vellet. Hinc verba iudicis: *He schole de klage anstellan met syme geruchte, als he em* VORWINNE *will*: id est, licere accusatori cum clamore accusare, si reum ferro a se vinci posse, speret. Quid si defugeret certamen? Tunc non sine periculo quis accusabat cum quiritatione: eoque pertinent verba SPECVLATORIS: *man muss ohne geruffte klagen, ob man es ohn schaden bleiben will*. Nam si deinde succubuisset accusator, et mulctam et wergeldum soluebat, vti obseruat ZOBELIVS *in glossa*.

§. CCCXVII.

An eadem omnia obseruarint Sueui, non facile dixerim. Sane et horum ius aliquoties meminit *der hand-gethat*, veluti *cap.* 161. *VVen man mit der handgethat begreiffet, den soll man fur gericht fuhren.* Et *cap.* 105. *Man soll auch in gebundenen tage vvol richten, ob ein man begriffen vvird mit der hand-gethat, denn den schirmen die gebunden tag nicht*. Sed non tam accurate in hoc iure agitur de clamore, ipsoque accusandi modo, nec reliqua, quae de more cadauera occisorum in iudicium ferendi diximus, in illo Sueuorum speculo reperi: vt adeo rem in medio relinquere cogar. An haec omnia et Suemi obseruarint?

§. CCCXVIII.

Proximum est vt et de CVSTODIA et EXHIBITIONE REORVM quaedam differamus. Et quidem apud veteres quoque Germanos carceri mancipatos esse reos, satis patet ex LEGE WISIG. *Lib. VII. tit.* 4. §. 4. vbi et de *catenatico*, commentariesis commodo, agitur, ex LEGE LANGOB. *Lib. I. tit.* 25. §. 54. vbi carcerum subterraneorum fit mentio, in quos fures per aliquot annos poenae nomine detrudebantur, denique ex CAPITVLAR. *Lib. VI.* §. 106. vbi Imperator tribus diebus festis maioribus reos, catenis constrictos, solui iubet, vt sacris interesse, et paullo lautius prandere possint. Attamen et fideiussores vel vades aliquando acceptos esse, iam supra obseruauimus. Custodia et satisdatio reorum apud veteres.

§. CCCXVIIII.

Idem et medio aeuo apud SAXONES et SVEVOS obseruatum video. His multum interesse videbatur, in ipso delicto capitali aliquis esset deprehensus, an postea demum eius suspicionem incurrerit, vel criminis leuioris sit accusatus: Priore enim casu abscisse in vincula publica ducebatur, si vel maxime datis fideiussoribus de iudicio sisti cauere vellet: priore carcere liberabatur, si satisdaret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. *VVer keinen burgen haben mag, den soll man behalten in des richters gevvalt, ob der da kein erb hat vnd er vmb vngericht klaget, oder ob die klag auf ihn gehet*. Add. *Lib. III. art.* 17. IVS PROV. SVEV. *cap.* 153. *der richter soll keinen burgen nehmen ohn den klager, da es vmb einen todschlag ist, oder vmb einen rechten straffenraub*. Denique IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 9. *Vmb einen gefangenen mann soll man burgen geben, er sey denn in der handhafften that begriffen*. * Apud Saxones et Sueuos.

* Sed

* Sed quum plerumque de mulcta tantum et satisfactione securus esse deberet actor, si crimen non esset capitale, in tantum fideiussores spondebant, quanti esset wergeldum. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 12. *Wird auch die klage getaget, er bedarff nicht bober burgen setzen, dann fur sein vvehrgeld, ob vvol der klagen viel ist.* Et *Lib. II. art.* 10. *Niemand ist pflichtig, bober burgen zu setzen furs gericht, dann sein vvehrgeld stehet, es sey dann schuld, die er bekennet, oder die mit recht auff ihn gebracht vvird.* Hinc liber etiam erat a satisdatione, si bona immobilia in ea iurisdictione possideret, quorum pretium wehrgeldi quantitatem superabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 61. *et Lib. II. art.* 5.

§. CCCXX.

Accusator quoque, non fat satis, in carcere habitabat. Ex quibus locis et hoc discimus, eamdem fuisse accusatoris ac accusati conditionem. Utrumque enim in carcere habitare oportebat, si fideiussores reperire non possent. CAPITVL. *Lib. VII.* §. 338. At in eo tamen mitius agebatur cum accusatore, quod se semper satisdatione a carcere liberare posset, quum reo id non semper esset integrum, si vel poena capitalis immineret, vel ille in ipso delicto esset deprehensus. Et id sibi volunt verba SPECVLATORIS SVEVI *ibid. Der richter soll keine burgen nehmen ohne den klager, da es vmb einen todschlag ist, oder vmb einen rechten strassenraub.*

§. CCCXXI.

Exhibitio rei quomodo fiat a fideiussoribus. Fideiussores reum tenebantur iudici EXHIBERE. Id si non facerent, apud Sueuos eamdem poenam subibant, quae subeunda fuisset ipsi reo, nisi hunc mors supplicio subtraxisset: IVS PROV. SVEV. *cap.* 161. §. 2. et *cap.* 326. §. 1. *et* 2. at apud Saxones soluto wergeldo et mulcta, liberabantur, eamque debebant, etiamsi reus soluendo esset, quia iudex et accusator ejus fidem fuerant sequuti, uti recte obseruat GLOSSATOR. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 11. Immo et tunc liberabantur vades, si quidem ipsi reum sistere et exhibere non possent, at ipse reus, fretus innocentia sua, ultro adesset. IVS PROV. SAX. *ibid. Wer aber burge wird eines mannes fur gericht, ihn furzubringen, vnd kommt dann der mann selbst fur ohne seinen burgen, vnd beut er sich vor gericht zu recht, vnd mag es darnach gezeugen, er hat seine burgen damit geledigET.*

§. CCCXXII.

Quomodo a commentariensi? Multo magis ergo commentariensium erat, exhibere captiuos, ac eos ita curare in vinculis, vt exhiberi possent. Qua in re verbosus est SPECVLATOR SVEVVS, qui *cap.* 120. monet, non eidem carceri includendos esse masculum et feminam, ne in Venerem ruant; itemque diligenter custodire captiuos debere commentariensem, alias omne damnum pensaturum, si aufugientes e fuga retrahere nequeat. Quin in BERGERIANA *editione p.* 363. singulare occurrit caput sub rubrica: *aber von vanknuss*, quod in MEICHSNERIANA desideratur, quo cavetur, eos, quibus petentibus quis in vincula coniectus sit, ad alimenta illi constituenda esse obligatos, * ad eaque praestanda a iudice cogi debere. Si vero in mora sint, adeo, ut captiuus fame pereat, et iudicem, et eos, qui ad alimenta obstricti fuerint, tamquam homicidas inedia expiare delictum, et praeterea singulos regi exsoluere debe-

debere mulctam 20. librarum, (*ir yedvveder mit tzvvinzig pfunden irer lannd-phennig.*

* Qui in caussa fuerant, vt innocentes in vinculis publicis haberentur, eos in Saxonia ad mulctam, quae ibi vocatur *emenda Saxonica*, (*die Sachsen-busse*,) teneri, iam supra (*Lib. II. Part. II. §. 365. *) obseruauimus, quo nos referimus, id tantum iam obseruantes, leges ne eum quidem casum praeterire, si quis captiuum in ius vocatum vi exemisset. Eo enim pertinent verba REPKOVII *Lib. III. art. 9. Welcher mann einen beklagten vmb vngericht gewaltiglichen dem gerichte entfuhret, wird er gefangen mit geruffe, er soll gleiche pein jenem leiden. Kommt er aber hinweg, man echtet ihn zu band, also dass man ihn in der bandhafften gesehen habe vnd beschrieen mit geruffe, vnd man des auch gezeugen mog.*

§. CCCXXIII.

Accusatum reum, et in vincula ductum, DEFENDERE se oportebat. * Quemadmodum vero iam olim Graecorum Romanorumque rhetores obseruarunt, quatuor generum esse reorum ἀντιπροβολὴν, dum aut negant id a se factum, quod accusator intendit, aut, factum illud a se esse, fatentur, sed illud in hoc delictum incidere negant, aut rei id se iure fecisse, aut certe non tantam poenam commeruisse contendunt: ita non est dubium quin eodem modo apud Germanos actoris intentionem depulerint criminum rei. Plerumque tamen vel factum, ut fit, NEGABANT, et tunc damnari non poterant, nisi confessi aut conuicti: CAPITVL. *Lib. V.* §. 156. vel EXCEPTIONIBVS quibusdam, siue dilatoriis, siue peremtoriis, sese tuebantur. Quae omnia ex *auctore des* RICHTSTEIGES et medii aeui legibus rectius, quam ex antiquis, intelliguntur. Defensio rei quotuplex?

* Eam vero defensionem non ipse solus suscipiebat, quum plerumque perturbatio animi et periculi magnitudo homines reddere soleat consilii inopes, sed adhibitis in consilium cognatis et amicis, qui eum comitabantur ab tribunal, dumne eorum plures essent, quam triginta. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 67. Wer vmb vngericht beklaget wird, der mag nicht mehr, dann dreysig mann mit sich fuhren fur gerichte. Wann sie dann furkommen, so sollen sie keine waffen tragen, ohne alleine schwerdt.*

§. CCCXXIIII.

Ex eo vero auctore laudatissimo patet, reum, audita accusatione, primum implorasse iustitiam, et petiisse defensorem, qui pro se verba faceret. Formulam habes *cap. 32. Here her richter, ik bitte yvv dorch GOtt vnd alle, die hier vmme staen, dat yvv nenes vnrechtes an my staden, vnde myn blut nicht tho vnrecht gyten, vnd bidde eines mannes, de myn wort sprecke.* Datus aduocatus vel defensor litem contestabatur pro reo, si nulla exceptione dilatoria esset munitus, et ita quidem, vt modo iure id eum fecisse contenderet, e. g. *Here her richter, wil gy horen N. wort. N biddet dat gy em laten daromme en recht ordel werden. Nademe dat he N. den vromen mann ny wedder dorch hat, noch dorch nener sacke wille. wenn dorch rechten notwere geuellet hefft, dat he bewysen will met synes sulues lyue, vnde met bedderuen luden, vnde wo he yth tho rechte bevvysen schal? eff me ene dorch notvvere mort moge ansprecken, oder vvat dar ente-* Quomodo facta litis contestatio?

recht vmme sy? modo delictum negaret, et accusatoris probationem eliderct, e. g. *Here her richter, so steit hic N. de bedderue man, vnd biddet, dat gy sehen, vnde laten yw ontfarmen de nodt vnd de gewalt, de eme N. tho vnrechte anleget, (vnd wise denne de bende edder de vvunden, vnde sprecke vort,) vnd bidde enes ordels. Nademe dat he eme tho eineme vredebrecker bereden vvolde, vnde des nicht don ne mach, eft he den vrede icht an em gebrocken hebbe, edder vvat dat ein recht vmme sy?*

§. CCCXXV.

Quales ab eo oppositae exceptiones? Saepe vero reus EXCEPTIONIBVS vel peremtoriis, vel dilatoriis, quantum poterat, sese tuebatur. Sic enim aliquando accusatori obuertebatur exceptio inhabilitatis, veluti quod sit proscriptus. IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 16. SVEV. *cap.* 124. aliquando litis pendentis, veluti si quis a pluribus eiusdem criminis accusaretur, IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 12. aliquando reus praescriptione fori vtebatur, veluti si ingenuus accusatus prouocetur ad singulare certamen extra iurisdictionem: (*in einen aufsvvartigen gerichte, da sein handmal nicht innen lag.*) IVR. PROV. SAX. *Lib. III. art.* 26. aliquando exceptione non competentis actionis, veluti si filius ex delicto mortui parentis, IBID. *Lib. II. art.* 17. SVEV. *cap.* 118. vel dominus ex delicto serui vel famuli conveniretur. IBID. *Lib. II. art.* 32. Passim etiam reorum defensores vsos esse animadvertimus aliis exceptionibus, quibus feralem sententiam vel amolirentur, vel differrent, veluti linguae accusatoris sibi ignotae, IB. *Lib. III. art.* 71. feriarum, * insantiae, furoris, imminentis partus, et similibus. RICHTSTEIG. *cap.* 32. *p.* 36.

* Neque tamen haec exceptio proderat reo, in flagranti delicto oppresso. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 10. et multo clarius IVS SVEV. *cap.* 105. §. 2. *Man soll auch in gebundenen tagen wohl richten, ob ein mann begriffen vvird mit der handgethat, dann den schirmen die gebundenen tage nicht.* Hinc apud *auctorem* des RICHTSTEIGES *ibid.* defensore rei petente dilationem ob ferias, (*nademe dat yt gebunden tyd vvere,*) accusatoris aduocatus contradicit, et petit interloquutionem: *Nademe dat yt eine hanthaffte daet sy, eft he syn recht tho hant icht lyden schole?* Et additur: *So vintme: he schole.*

§. CCCXXVI.

Absentes qui se non defendebant, proscribebantur tum a veteribus, Si fuga abstulisset reum, isque adeo se plane non defenderet, omnibus paene originis Germanicae gentibus sollemnis erat proscriptio. Quamuis enim ea essent aequitate, vt absentes accusari non paterentur: LEG. SAL. *tit.* 20. §. 1. *et* 2. CAPITVL. *Lib. V.* §. 159. *Lib. VI.* §. 279. *Lib. VII.* §. 145. 154. *et* 271. *Addit. Ludovici Pii III.* §. 67. *et addit. IIII.* §. 7. id tamen de laudabili tantum absentia videtur intelligendum. Nam latrones fugitivi, aliique facinorosi homines, accusati absentes, et frustra quaesiti, legitimis demum citati edictis, proscribebantur, quod veteribus erat *forbannire* (*verbannen.*) * LEG. RIPVAR. *tit.* 87. LEG. LANGOB. *Lib.* I. *tit.* 25. §. 62. *seq.* CAPITVL. *Lib.* III. §. 49. *sequ.* Ex quibus locis simul patet, comitem de hac proscriptione vicinos certiores facere, eosque monere debuisse, ne proscriptis receptum darent, eos vero, qui facerrimos illos homi-

homines recepisse dicerentur, certa pecuniae summa mulctatos, vel flagris caesos esse.

* Dicti hi proscripti sunt VARGI vel WARGI, de quo vocabulo nos jam supra agere, meminimus (Lib. II. Part. II. §. 49.) Attamen paullo latius patet hoc vocabulum, vt et eos, qui praesentes ob delictum aliquod grauius in exilium agebantur, comprehendat, ceu discimus ex LEGE SAL. *tit.* 57. §. 5. et RIPVAR. *tit.* 85. Nos iam obseruauimus, proscriptionem Francis duorum fuisse generum, *maiorem*, qua quis toto imperio exisse iubebatur, et *minorem*, qua intra territorii vel iurisdictionis fines minus securus erat: quarum illa IRBANN: haec MEZIBANN vocabatur a *mez*, terminus vel finis, vnde *geuue mez* pagi vel *gouue* fines, apud OTFRID. *Lib. I. cap.* 20. *v.* 15. CAPITVLAR. CAROLI M. *I. ann.* 809. §. 11. *De* MEZIBAN, *id est, de latrone forbannito. Vt vnusquisque comes alio mandet, vt nullus eum recipere audeat.*

§. CCCXXVII.

Iisdem postea moribus et SAXONES, et SVEVI viuebant qui et ipsi proscribebant absentes, et fugitiuos, tribus edictis citatos. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 67. *VVen man vor gerichte beklagt, ist er da nicht gegenwartig, man soll ihn tage dingen bis zu dem nachsten dinge. VVann man aber klaget vmb VNGERIGHT, das nicht an den hals gehet, vber den, der nicht gegenwartig ist, den soll man tage dingen dreymal, ja vber vierzehen nacht. Klagt man aber vber einen schoeppenbar-freyen mann ausserhalb seinen dingstatt, das an seinen leib gehet, den soll man tage dingen drey mal, immer vber sechs wochen. Ver nicht vorkommt zu dem dritten dinge in peinlicher klage, den achtiget man. Vmb anders keine klage soll man den man achtigen, ohne vmb die, die an den leib, oder an die hand gehet.* Similia sunt in SPECVLO SVEVICO *cap.* 91. §. 1. 2. nec non in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. art.* 66. 68. 70. tum a Saxonibus et Sueuis.

§. CCCXXVIII.

Erat et eo tempore proscriptio vel MINOR, vel MAIOR, *die acht oder verfestung vnd oberacht*: quarum illa reo in territorio vel iurisdictione quadam particulari: haec in vniuerso imperio ius secure commorandi adimebat. Minorem proscriptionem passus capi ab vnoquolibet, et judici exhiberi, at non occidi poterat, nisi telo se defenderet. * IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 66. SPEC. SVEV. *cap.* 151. maior vero proscriptio etiam cum vitae periculo erat coniuncta, vti ostendit ZOBEL. *addit. ad Lib. III. art.* 34. A judice inferiore proscriptus in contumacia perseuerans, etiam a comite proscribebatur, si illi judex inferior proscriptionem, a se decretam, testibus probasset: et denique ipsam maiorem proscriptionem incurrebat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 71. *VVen der gebohrne gografe oder belehnte richter verachtiget, zeuget er seine acht vor den grafen, er gewinnet des grafen acht. Also gewinnet auch der grafe mit seiner acht des koniges acht.* conf. SPEC. SVEV. *cap.* 98. Contra a maiore proscriptus iudicio, semper etiam a minore proscriptus censebatur. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art.* 24. Proscriptio quotuplex?

* Hinc

* Hinc et eo tempore nemini licebat proscripto receptum dare, eique, qui id sciens dolo malo fecerat, mulcta irrogabatur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 23. *Wer berberget oder speist wissentlich einen geachten mann, er muss darum wetten. Wuste er aber nicht, dass er geachtet war, er entrede das mit seiner vnschuld.* At seuerior hic est SPECVLATOR SVEV. *cap.* 150. qui proscriptum recipienti eamdem irrogatam vult poenam, quae ipsi proscripto fuisset subeunda: immo et moenia eius vrbis dirui iubet, in qua proscripto ius palam commorandi datum esset. Alibi tamen eum, qui proscripto receptum dederit, manus amputatione puniri, tradit. *cap.* 155.

§. CCCXXVIIII.

Quomodo quis ea exemtus fuerit?

Quamuis vero satis atrox esset haec proscriptionis poena: non tamen fraudi erat innocenti, quippe cui integrum erat, se ex illa eximere, si fide publica euocatus, datis fideiussoribus, iudicio se sistebat, seque insontem esse demonstrabat. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 17. *et* 18. *Lib. II. art.* 4. *et* 7. Si in maiorem proscriptionem incidisset, eodem modo sese eximebat, at iura sua amissa non recuperabat, nisi Imperatori militasset: IB. *Lib. I. art.* 38. Add. *Lib. III. art.* 34. Eximi proscriptione innocens solebat a iudice et plebe, (*vom landvolk*) certo ritu, qui in IVRE PROV. *Lib. II. art.* 4. ita describitur: *so soll ihn der richter vnd das landvolk aus der acht lassen mit finger vnd mit zungen, denn man ihn auch so in die acht that.* Quod procul dubio de sublatis a plebe digitis, et de clamore eius, intelligendum est.

§. CCCXXX.

Eius variis effectus.

Si quis vero non daret operam, vt proscriptione eximeretur: effectus eius erant varii. Nam (1. qui sex hebdomadas, vel, si latrocinii caussa in hanc poenam incidisset, 14. dies in ea perseuerauerat, ab episcopo etiam excommunicationis fulmine feriebatur. Si (2. in vtroque banno latro alias sex hebdomadas, vel alius facinorosus annum et diem perseuerabat, infamia notabatur, et bona eius omnia a fisco occupabantur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 38. S[illegible] *cap.* 160. §. 8. *et* 176. *et.* 98. Praeterea (3. ei non proderant dies vel feriarum, vel induciarum, (*die gebundene tage*,) IBID. *cap.* 4. nec, (4. ei vel sententiam ferre vel (5. eamdem reiicere, nec (6. iurare in iudicio, nec (7. alium conuenire licebat. IBID. *cap.* 113. 124. IVS FEVD. ALAM. *cap.* 26. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art.* 16. Denique (8. si proscriptus vel maxime proscriptione eximeretur, seque insontem esse ostenderet: omnibus tamen iudicibus, a quibus fuerat proscriptus, certam debebat mulctam, quae a SPECVLATORE SVEVO vocatur *cap.* 98. 99. *die achts-schatzung*, vbi additur ratio: *Das ist darumb gesetzt, dass man die acht furchte, vnd schier dauon komme.*

§. CCCXXXI.

Rei quibus modis conuicti?

Iam porro incidit quaestio, quomodo CONVINCI consueuerit reus, qui factum negarat. Et apud antiquos quidem dubium non est, quin TESTIBVS vel maxime vsi sint ad reos conuincendos, aliquando tamen si magna et iusta esset suspicio, DIRIS QVAESTIONIBVS subiiciebant eos, aut si conuinci vel ad confessionem adigi nulla ratione possent,

eos

eos fuspicionem vel IVREIVRANDO, vel PVRGATIONE aliqua vulgari elidere cogebant. Enimuero quum de *testibus*, *iureiurando*, ipsisque *purgationibus*, (quae media eruendi veritatem publicis priuatisque iudiciis communia erant,) iam supra, quantum satis est, dixerimus: supereft, vt de *diris quaestionibus* quaedam subiiciamus.

§. CCCXXXII.

Non dubium eft, quin lubricum illum et fragilem veritatem inuestigandi modum a Romanis didicerint gentes Germanicae. Eum enim vix ab vlla gente Germanica vsu receptum fuiffe, animaduertimus, quam a WISIGOTHIS, OSTROGOTHIS et FRANCIS. Et FRANCI quidem feruilis tantum conditionis homines diris quaeftionibus fubiiciebant, * apud eosque valebat regula: *Si talis cauffa eft, vnde ingenuus 600. denarios, qui faciunt folidos 15. componere debeat, feruus fuper fcamno trufus 120. ictus accipiat*. LEG. SAL. *tit.* 43. OSTROGOTHI etiam non temere alios, quam fervos, torquebant. EDICT. THEOD. §. 100. At WISIGOTHI in cauffis maieftatis, adulterii et homicidii etiam honeftiores, in cauffis furti, rapinae fimilibufque viliores tantum homines, quantumuis ingenuos, in equuleo extendebant, dummodo accufator infcripfiffet in fimilitudinem poenae, et cauffa quingentorum folidorum fummam excederet. LEX WISIG. *Lib. VI. tit.* 1. §. 2. Quin iidem et fervos certis cafibus in dominorum capita torquebant, puta in cauffis adulterii, maieftatis, falfae monetae, homicidii, et maleficii. IBID. §. 4. Quae fatis confentanea funt legibus Romanis, veluti *L.* 1. §. 5. *fequ. D. L.* 1. *C. de quaeft.* . *L* 1. *D. ad leg. Iul. annon. L.* 53. *D. de iudic.*

An et diris quaeftionibus vfi fint veteres?

* At aliquando tamen et ingenuos, quin et in dignitate conftitutos homines, diris quaeftionibus fubiiciebant, fi quando crimen effet atrocius, vel ad ipfam regiam familiam pertineret. Sane ob calumnias Leudaftis ducis, quibus profciderat Gregorium Turonenfem, eumque in fufpicionem ftupri, ipfi reginae oblati, adduxerat, a Riculfo presbytero et ecclefiae Turonenfis archidiacono, confeffionem diriffimis cruciatibus extortam effe, ipfe refert GREG. TVRON. *Hiftor. Lib. V. cap.* 49.

§. CCCXXXIII.

Qualia vero fuerint apud veteres legitima tormenta, partim ex LEGIS SALICAE *tit.* 43. §. 4. partim ex hoc ipfo GREG. TVRONENSIS loco, quem paullo ante protulimus, patet. Ex priore enim difcimus, feruum extenfum in fcamno, vel equuleo, caefumque effe virgis, *quae in fimilitudinem minimi digiti groffitudinem habebant.* Quem modum torquendi ex ANT. GALLON. *de SS. martyr. cruciat. p.* 41. multis verbis illuftrauit ECCARD. *ad Leg. Sal. p.* 79. *fequ.* Pofterior vero tormenta, quibus Riculfus excruciatus fuerit, hunc in modum defcribit: *At Riculfus, clericus, ad interficiendum deputatur: pro cuius vita vix obtinui: tamen de tormentis excufare non potui. Nam nulla res, nullum metallum tanta verbera potuit fuftinere, ficut hic miferrimus. Ab hora tertia diei, reuinctis poft tergum manibus, fufpenfus ad arborem dependebat, ad horam vero nonam depofitus, extenfus ad trochleas, caedebatur fuftibus, virgis, ac loris duplicibus, et non*

Qualia fuerint tormenta legitima?

ab vno vel duobus, sed quot accedere circa miseros potuissent artus, tot caesores erant. Quum autem iam in discrimine esset, tunc aperuit veritatem, et arcana doli publice patefaciebat. Ex vtroque ergo loco aliisque apud eumdem GREG. TVRON. *Lib. VI. cap.* 35. *et Lib. VII. cap.* 32. colligimus, tormenta apud Francos potissimum in suspensione rei e manibus, in tergum reuinctis, extensione eiusdem in equuleo, denique in verberibus ac flagris constitisse.

§. CCCXXIIII.

Poena eorum, qui modum excesserant.

Sed in quaestionibus de Riculfo habitis ipsa forte calumniae atrocitas in caussa fuit, ut modum non tenerent iudices. Quis enim crediderit, reos omnes per tot horas tam diris modis fuisse excruciatos? Alioquin LEX. WISIGOTHICA *Lib. VI. tit.* 1. §. 5. et accusatori et iudici moderationem vnice commendat, et vtrumque ad seruum eiusdem pretii reddendum condemnat, *si temperamentum in tormentis non tenuerint, et ita discretionem legis excesserint, vt is, qui quaestionatus est, mortem violenter incurrerit.*

§. CCCXXV.

An et medio aeuo tormentis vsi sint Saxones et Sueui?

At haec reos tormentis excruciandi consuetudo medio aeuo paullatim exolcuisse videtur. Neque enim vllum illius vestigium in IVRE vel SAXONICO, vel SVEVICO deprehendimus, * et vtraque gens contenta fuisse videtur purgationibus vulgaribus, quas certius veritatem inuestigandi medium esse, iudicarunt, quam diras quaestiones. Hinc torturam demum cum iure Romano in fora Germanorum irrepsisse, existimat SCHILTERVS *Exerc. XXXXVIIII.* §. 164. contra multo ante id tempus illam inuexisse clerum, contra haereticos, magosque et sacrilegos saeuientem, et quidem loco purgationum vulgarium, quas Papae e foro proscripserant, existimant THOMAS. *ad tit. D. de quaestion. p.* 371. *sequ.* et GRIBNER. *diss. de repetit. tormentor. confesso inficiante* §. 4. *p.* 12. *sequ.*

* Hinc tormenta et hodie ignorant aliarum gentium leges, quibus sanctior mansit moris et iuris patrii custodia. Ignorat sane hanc lanienam Britannia, ex qua ideo multis verbis in eam inuehitur THOM. SMITII *de republ. Angl. Lib. II. cap.* 27. Nec eam vmquam recepit Suecia, si credimus LOCCEN. *synops. iur. publ. Suecan. Diss. XXX. quaest.* 13. *p.* 741. Denique et de Aragoniis idem refert GOMEZ. *var. resol. Tomo. III. cap.* 13. Id vero eo magis mirandum, quod olim in illo terrarum tractu viguerunt leges Wisigothicae, quas diras quaestiones recepisse, paullo ante vidimus.

§. CCCXXXVI.

Quando dirae quaestiones in Germ. vsu iterum receptae?

Et sane acutum, vt solebat, hic vidisse celeberrimum THOMASIVM, vel ex eo patet, quod saeculo Christiano XIV. quum nondum Germanis innotuissent dirae quaestiones, iam in templarios vbique tormentis saeuiretur, nec prius flammis absumerentur miserrimi homines, quam in equuleo extensi, saeuissimisque tormentis excruciati, mortem non vnam sensissent, vel *inducti comminatione, aut tormentorum adspectu, aut blandis promissionibus illecti, aut carceris inedia cruciati, enormissima quaeuis de se confessi essent.* GVIL. DE NANGIACO contin.

tin. ad ann. 1307. *sequ.* Quid mirum ergo, si clericos imitati iudices et ipsi diras quaestiones de reis haberent, eaque saeuitia ita gliscenet, vt de eius frequentia grauiter conqueratur IO. LVDOV. VIVES *in Comment. ad* AVGVSTIN. *de ciuit. Dei Lib.* 19. *cap.* 6.

§. CCCXXXVII.

Sarones et Sueui reum in facinore deprehensum septem testibus conuincebant.

Multo itaque aliter illo tempore rationes inibant SAXONES et SVEVI, qui moris maiorum tenacissimi, non tormentis, sed vel testibus, vel purgationibus, siue canonicis, siue vulgaribus, ad inuestigandam veritatem vtebantur. Si quis enim in ipso facinore deprehensus cum clamore fuisset accusatus, isque factum negaret: accusator eum conuincebat suo et sex aliorum iureiurando.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 66. *VVen man in handhaffter that fabet, als er gefangen wird, soll man ihn nicht zu burgen geben, sondern man soll ihn fur gerichte bringen, vnd selb siebend soll man ihn vberzeugen.* Eodem modo conuincebatur reus, ἐν' ἀνωφόρῳ oppressus, si eum fuga aliquo abstulisset. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 70. *VVer mit vngericht vor gericht beklaht wird mit geruffte, da er nicht gegenvvartig ist, vnd ehe es vbernachtig wird: mag der klager das vngericht gezeugen selb siebend, man achtet ienen, der es gethan hat, all zu hand.*

* Et hunc ipsum esse probandi modum, quem veteres vocabant *das besiebenen*, iam supra vidimus. Addunt alii alterum, *das benufften*, veluti DATT. *de pace publ. Lib. I. cap.* 1. *n.* 67. Sed de eo THOMAS. *de occas. concept. ac intent. const. crim. Carol.* §. 15. *not. d.* Benufften *nihil aliud est, quam cum clamore accusare reum, in facinore deprehensum. Ergo non erat modus probandi, sed sollemnitas in accusationibus eiusmodi facinorum adhibenda.* Recte, quod ad rem ipsam; perperam, quod ad originem attinet. Nam *benufften* est a Germanico *nehmen*, adeoque significat in ipso delicto capere, quemadmodum *nothnumfft* vel *nothnufft* est violenta prehensio vel oppressio, qualis fit in stupro violento. Vid. SCHILT. *in glossar. Teuton. vocibus noth-nufft* et *nunfft.*

§. CCCXXXVIII.

Non deprehensus si integrae famae esset, iure iurando; sin infamis, vulgari purgatione innocentiam probabat.

Sin quis in ipso facinore non esset oppressus: non poterat per testes conuinci, sed, si integrae famae esset, iureiurando; sin infamis, vel ferro candente, vel aqua feruente, vel singulari certamine sese purgabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.* 39. *Die ihr recht mit dieberey, oder mit raub verlohren haben, ob man sie dieberey oder raubes anderweit besculdiget, sie mogen mit ihrem eyde nicht vnschuldig werden: sondern sie sollen haben dreyerley wahl: das heisse eisen zu tragen fur ihrer vnschuld, oder aber in einen wallenden kessel zu greiffen bis an den elenbogen: oder mit kampffen sich zu erwehren.*

§. CCCXXXVIIII.

Sententia definitiua quotuplex?

Iam nihil supererat, quam SENTENTIA, et *absolutoria* quidem, si se purgasset reus, *condemnatoria*, si conuictus esset facinoris. Et priore quidem casu, postulante rei aduocato, pronunciabatur, *dat de beschuldigte man ledig vnde loss sy, nademe dat klager in nener vndaet*

 ene

ene voruvinn'n mogen. AVCT. *des richtsteiges cap.* 32. *p.* 35. Posteriore, postulante accusatore: *est he yennen der sacke veruvunnen hebbe, als he tho rechte scolle?* pronunciatur, eum illum rite conuicisse. Pergente accusatore: *wat des ouerwunnen mannes recht sy?* sententia sequebatur; *me scalle en enthoueden*: IBID. *cap.* 35. Et sic actum erat de reo, neque quidquam supererat, quam vt exsequutioni mandaretur sententia. Id quod modo ab occisi cognatis, modo ab aliquo scabino, modo ab adparitore, (*dem fronbothen*,) factum esse, iam supra monuimus. *

* Attamen hic iungenda sunt, quae ea de re differuit KRESSIVS *ad constit. crim. art.* 95. *sequ.* §. 2. *not.* ** *p.* 221. vbi erudite ostendit, rem non semper ita sese habuisse, sed veteres etiam aliquando vsos esse opera carnificis, nisi locis illis, ex antiquitate Germanica adductis, ipse adparitor, *der frohnbote*, sub nomine carnificis latitet.

§. CCCXXXX.

Varia, quae supplicium antecedebant.

At priusquam a reo sumebatur supplicium: plura more maiorum erant obseruanda. Nam primo baculus confringebatur, quem ritum satis antiquum esse, ex auctore FLETAE eleganter ostendit KRESS. *ibid.* §. 1. *not.* * *p.* 220. vbi *fractio baculi signum iudicii finiti* esse dicitur. Deinde condemnati aduocatus reo petebat honestam sepulturam, cuius petitionis formulam debemus AVCTORI *des richtsteiges cap.* 35. *p.* 44. * Denique carnifex proculdubio securitatem sibi stipulabatur, si forte res male cederet. Saltim ipsa CONSTIT. CRIM. *art.* 97. hanc carnificis petitionem, tamquam ritum, iam antea receptum, commendat.

* Hic quoque ipsa auctoris illius verba legi merentur, quae ita se habent? *So vrage denne noch syn vorsprake: Na deme dat eme syne vordynde pyne tho geordelt is, est me yennige andere pyne em andon mute? So vintme: men ne mute. Wenn he de geleden heft, so bidde me eme enes vreden. Den schall me en vvercken, vpdat, dat me deme doden lycham neynen laster mer ne byde. So bidde syn vorsprake den lycham vnde den kerkhoff, tho deme vverliken vnde geistliken richter, der scholen em de papen staden, yt et sye, dat be tho banne sy, vnde de vverlike richter schal des den vorsprack:n tvviden.* Addit auctor elegans epiphonema, ad defensoris officium pertinens: *Sus schal en de vorsprake truvve bevvysen an dem dode, als an dem levende, an deme he mach.*

§. CCCXXXXI.

Sepultura non semper concessa reis, immo ne praeparatio quidem ad mortem.

Haec vero ad decollationis potissimum poenam pertinuisse videntur. Qui enim ad rotam, vel furcam condemnabantur, iis non concessa videtur sepultura. Semper enim in furcam actos, vel rotae illigatos ibi reperisse sepulturam, iam supra exemplis satis antiquis demonstrauimus. Id vero minus laudandum, quod maiores nostri damnatis nullas paene inducias concederent, sed saepe illos eodem die, quo deliquerant, accusatique fuerant, gladio percuterent. Hinc IVS PROV. SAX. *Lib.* I. *art.* 55. *Die sollen die that eilend richten*. Et *art.* 57. de gograuio electo: *Das ist geredet von dem gograffen, den man wehlet zu einem vngerichte, allein in handhaffter that desselbigen tages zu richten*. *

* Exemplum, quod Budstadium, vrbs Thuringiae, vidit, habes apud MVLLER. *annal. Saxon. ad ann.* 1479. de eoque iam supra quaedam nos dicere meminimus. Eodem pertinet, quod ad *d. Lib. I. art.* 55. adnotat ZOBELIVS, ex eoque adducit THOMAS. *de occas. concept. et intent. const. crim. Carol.* §. 8. *not. z. p.* 13. *Nota, in quantum hoc statutum vult, quod flagrans delictum debeat* ILLICO *puniri. Vidi sic obseruatum, quod vterque, tam occisus, quam homicida, eodem sepulcro sunt tumulati.*

§. CCCXXXXII.

Poena accusatoris calumniantis apud veteres.

Et haec quidem obseruabantur, quoties a capitis damnato sumebatur supplicium. Quid, si reus sese purgasset, vel accusator ita defecisset in probatione, vt absolutoriam ferri sententiam oporteret? Tunc accusatorem, tamquam calumniae reum, apud veteres iustas dedisse poenas, eo minus dubitandum est, quo certius ex eorum legibus probauimus, eos non admisisse quemquam ad accusandum, nisi qui inscriptione sese obligasset ad similitudinem supplicii. Hinc GREG. TVR. *Lib. V. art.* 49. tam prolixe refert, quem exitum habuerit Leudastis, Ducis, et Riculfi presbyteri calumnia, quorum ille vagus ac extorris triste exsilium in Britannia inuenit, hic tortus atque excruciatus, supremo supplicio vix Gregorii Turonensis precibus exemtus est.

§. CCCXXXXIII.

Apud Saxones et Sueuos.

At apud SAXONES multum intererat, vtrum accusator ab accusatione publica in vniuersum desisteret, an in probatione deficeret, vel ipse reus ita se purgaret, vt absoluendus videretur. Desistens ab accusatione et reo, et iudici, mulctam soluere cogebatur. IVS PROV. SAX. *Lib. II. art.* 8. Qui in probatione defecerat, is si reus iureiurando sese purgauerat, impune ferebat accusationem; sin singulari certamini rem commisisset accusator, reusque ex illo victor excessisset, itidem et reo, et iudici mulctam pendebat. IBID. *et Lib. I. art.* 62. *et* 63. Vnico casu, si quis alteri violatae pacis dicam scripsisset, et in probatione defecisset, iuri talionis erat locus, ita vt ipsi accusatori violatae pacis poena esset subeunda. IBID. *Lib. I. art.* 50. *et* 69. Cuius rei exemplum ex AVCTORE *des richtsteiges cap.* 32. *p.* 35. iam supra dedimus.

§. CCCXXXXIIII.

Morum veterum vestigia et hodie deprehendimus.

Talia erant apud Germanos iudicia publica. Si vero, quae diximus, omnia cum CONSTITVTIONE CRIMINALI CAROLINA moribusque hodiernis contendamus: manifestum futurum, speramus, et I. circa ACCVSATIONES, et II. circa CVSTODIAM et exhibitionem reorum, et III. circa eorum DEFENSIONEM et IIII. circa CONVICTIONEM eorumdem, et denique V. circa POENAM et SENTENTIAM definitiuam permulta superesse antiqui moris vestigia. Quamuis enim id egisse dicatur Carolus V. Imp. vt, inuecta inquisitione, vetus litigandi modus accusatorius in exsilium ageretur: THOMAS. *de occas. concept. ac intent. const. crim.* §. 36. res ipsa tamen docet, eum consuetudines veteres plerasque, quae non plane rectae rationi aduersabantur, ratas habuisse, adeoque totum processum criminalem, hodiernum, (si ea, quae ad inquisitionem pertinent, exceperis,)

peris,) paene eumdem esse cum vetere illo, quem adhuc descripsimus.

§. CCCXXXXV.

In processu accusatorio.

Primo itaque, quod ad ACCVSATIONES attinet, satis certum est, (1. eas non plane aboleuisse Carolum V. quamuis, (2. simul magistratibus facultatem dederit, ex officio persequendi crimina: CONSTIT. CRIM. *art. 6.* quin (3. quaestiones illae de criminibus iam multo ante haec tempora innotescere paullatim coeperunt in Germania. KRESS. *ad constit. crim. art. 6. §. 5. p. 29. sequ.* adeoque (4. eas magis retinendas putarit Carolus V. quam in Germaniam inuexerit. Certum quoque est, (5. sua magis sponte homines abhorrere coepisse ab accusando, quam ob constitutionis Carolinae seueritatem, ac proinde (6. ipsam necessitatem subegisse iudices, vt vel ex officio facinorosos homines persequerentur, vel (7. eosdem per procuratores fisci accusandos curarent. Quod (8. et iis locis, vbi alioquin constitutionis Carolinae nulla est auctoritas, observatur, veluti in Frisia. HVBER. *praelect. ad pand. Lib. XXXXVIII. tit.* 2. §. 3.

§. CCCXXXXVI.

Et accusatione.

Ex eodem iure Germanico est, (9. quod accusator aut carceri includendus, aut (10. ad praestandam cautionem de prosequenda lite restituendisque impensis et indemnitate, adigendus dicitur; CONST. CRIM. *art.* 12. *seq.* (11. quod accusatioaem et hodie passim proferre solent cum clamore et quiritatione, et hoc diserte permittit CONST. CRIM. *art.* 87. *Mit dem beschreien der vbelthaeter soll es in selbem stuk auf gegenvvartigkeit vnd begehr des anklagers nach iedes gerichts guter gewonheit gehalten werden*; ac proinde (12. et Halae nostrae in postremo iudicio, (*in dem peinlichen halsgerichte*,) adhiberi solet clamator, quem vocant *den bluth-schreyer*. LVDOV. *ad Const. crim. art. p.* 109. (13. Quod accusatori non minus; ac reo, conceditur orator, *ein fursprecher aus dem gericht.* CONST. CRIM. *art.* 88. *

* Procuratoribus sane locum non esse iure Romano in caussis criminalibus, eumque nec accusatori, nec reo, concedi, ne dupondii quidem ignorant. *L. 13. §. 1. D. de indic. publ.* Nec ignotum cuiquam est, solis illustribus et superillustribus id priuilegium esse datum, vt iniurias criminaliter persequi possint per procuratorem. *L. vlt. C. de iniur.* Iam equidem is, qui accusatoris nomine postulat, non est proprie procurator, sed orator, et hinc recte obseruat KRESSIVS *ad const. crim. art.* 78. §. 1. *not.* * I. tales et Latium in iudiciis publicis ab omni aeuo admisisse. At negari tamen non potest, oratores hos, quorum mentionem facit CONST. CRIM. multum differre ab oratoribus Romanis, nec eorum vsum Romanis debuisse Germanos, sed maioribus nostris, apud quos prima accusatoris postulatio erat, *Eya bere her richter, ick bidde dorch Got eines mannes, de myn wort sprecke.* AVCT. *des richtsteiges uber das landrecht cap.* 31.

§. CCCXXXXVII.

In discrimine der handhaften vnd vbernachtigen thaten.

His iuris antiqui reliquiis merito addimus et illas, (14. quod nec hodie plane ignotum est discrimen facinorum, in quibus reus deprehensus est, *handhaffter thaten*,) et hesternorum, (*vbernachtiger tha-*

thaten :) sed (15. illius vestigium superest non modo in processu proscriptionis, (*im acths-procefs* ,) vbi in criminibus prioris generis citatio rei ad domum sine dilatione ; in posterioris edictalis, et ter quidem, interiecta semper dilatione Saxonica, repetenda, requiritur: KEYSER *anweis. zum inquis. vnd achts process. cap.* 11. §. 9. *p.* 321. *seq.* CARPZ. *vom inquis. vnd achts process. tit.* 11. *art.* 5. *seq.* verum etiam (16. in ipso processu inquisitorio, siquidem IVRE HAMB. *Part. IIII. art.* 45. pluribus describitur, quid sit *eine handhaffiige that*, et *art.* 44. sancitur, vt ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensi nec datis fideiussoribus, nec vlla cautione a carcere liberentur. Quae omnia ex iure Germanico esse, nemo non animadvertit.

§. CCCXXXXVIII.

At quamuis rarissimae sint in Germania accusationes, a priuatis institutae, earumque in locum vel accusationes procuratorum fisci, vel inquisitiones magistratuum, successerint: (§. 345.) tamen (17. et in inquisitione illa quaedam deprehendes prisci moris vestigia, in primis vero (18. illud, quod ei locus non est, nisi saltim in delictis permanentibus de corpore delicti satis constet. * Et hinc (19. in crimine homicidii sectio cadaueris, sollemniter facta, in furto rerum ablatarum designatio, et possessoris iusiurandum requiritur. CONST. CRIM. *art.* 6. ibique KRESS. *in Comment.* §. 8. *p.* 31.

In corpore delicti indagando.

* Equidem et huius rei originem ex iure Romano nonnulli repetunt, eamque in rem proferunt locum *L.* 1. §. 24. *D. ad SC. Silan.* vbi diserte negatur, *habendam esse de familia quaestionem, nisi constet, aliquem esse occisum, liquere igitur debere, scelere interemtum, vt SCto locus sit.* At quum Germani iam ante, quam iuris Romani vsum aliquem habere coepissent, cadauer occisi, vel saltim membrum aliquod abscissum, vel res furtiuas, in iudicium attulerint, ne de corpore delicti dubitari posset: quis negauerit, iuris Germanici potius, quam Romani, esse hoc iurisprudentiae criminalis caput de corpore delicti?

§. CCCXXXXVIIII.

Deinde (20. etiam ea, quae circa CVSTODIAM et EXHIBITIONEM reorum observantur, non demum a Romanis, sed a maioribus per manus tradita accepimus, veluti, quod (21. fugitiuos persequamur circummissis litteris patentibus, (*durch steckbrieffe*) quale quid et Francos fecisse nouimus. Lib. II. Part. II. §. 358.) (22. quod non committuntur fideiussoribus criminis capitalis rei, sed (23. ii, qui vel ob leuius delictum carceri mancipati, vel (24. in grauiore tam multa, quae pro se allegent, habent, vt non verendum sit capitale supplicium: in primis vero (25. qui fide publica, quam *saluum conductum* vocant, euocantur. Nam et haec omnia fieri consueuisse apud veteres, adeoque ex moribus Germanicis iura haec omnia repetenda esse, nemo, credo, facile dubitauerit. *

In custodia et exhibitione reorum.

* Negari equidem nequit, Romanos etiam eos, qui ob periculum aliquod fugerant, fide publica euocasse, vel fide publica dicere iussisse: at id tum demum fiebat, si quando index aliquis haberet, quod ad salutem reipublicae pertinere videretur. Fides tunc publica dabatur a Consule iussu senatus, eiusque rei exempla, vt alia nunc praetermittamus, exstant apud SAL-

SALLVST. *Catilin. cap.* 47. *et* 48. Cic. *Catilin. III. cap.* 4. Quumque in ipso iure Romano eius rei non exstet vestigium: ipsumque vocabulum *sicher geleite* mores Germanicos redoleat: quis dubitet, quin hunc morem fide publica euocandi reos potius maioribus suis debeant Germani, quam Romanis? Et sane iam supra obseruauimus; ipsos proscriptos, si satisdedissent, accepisse securitatem facultatemque in loco iudicii demonstrandi innocentiam, et ex proscriptorum numero eluctandi. IVS PROV. SAX. *Wer sich aus der acht ziehet, den soll der richter* FRIED WVRCKEN *vorzukommen, ob man es seiner halben begehret.* Et quibusdam interiectis: *Auch soll man ihm alsdenn friede vvurcken, und so soll er dann burgen sezzen vorzukommen vor gericht zu dreyen dingen, ob man ihn heischet.* Vbi GLOSSA id recte exponit de saluo conductu. Similia habes in IVR. PROV. SVEV. *cap.* 99. *et* 153. ex quibus etiam discimus, eum, qui saluum conductum, quem vocant, impetrasset, iurare debuisse, se pacem publicam non violaturum. En verba: *Er soll den fried schvveren, ob ein fried geschvvoren ist* (nam aduerbium *nicht*, quod hic habet MEICHSNERIANA editio, omittit BERGERIANA *p.* 149.) *und ist kein fried geschvvoren, er soll den Gottes-fried schvveren.* Ex quibus simul patet, cur saluo conductui, quem vocant, inseri soleat clausula: *iedoch dass er sich auch geleitlich verhalte.* En veram fidei illius publicae, vel salui conductus originem, cuius in foro hodie vsus est frequentissimus.

§. CCCL.

In poena commentariensis reum dimittentis. Eiusdem originis est (26.) poena talionis, quam commentariensibus, reum dolo malo dimittentibus, irrogari iubet CAROLVS V. *constit. crim. art.* 180. *Dass er dieselbige peinliche straffe an statt des vbelthaters, den er ausgelassen, verwurcket habe.* Nam eadem reperias in IVRE PROV. SVEV. *cap.* 120. *Wer sich der gefangnen leute vnterwindet, dass er ihr huten soll vnd huten will, vnd entrinnen sie ihm, er soll sie vvieder suchen, vnd fahen, ob er mag, vnd mag er ihr nicht wieder antworten, er soll allen den schaden, vnd alle die buss leiden, die iener leiden solt, der ihm entrunnen ist.* In eo tamen mitior est Nemesis Carolina, quod eos tantum commentarienses, qui scientes, dolo malo, captiuos dimiserunt, hac poena plecti iubet, quum inter dolum et culpam vix distinguere videatur IVS SVEVICVM. * Quare hunc articulum ex *L.* 4. *C. de custod. reor.* interpolatum esse a constitutionis criminalis auctoribus, non negauerim.

* Enimuero vti ius talionis, quantumuis aequissimum, vix tamen in ipsis obtinet rerum argumentis, quia difficillimum est, in irroganda poena seruare aequalitatem: GELL. *Noct. Attic. Lib. XX. cap.* 1. ita et hoc casu, si commentariensis dimiserit reum, iuri talionis vix locus esse potest, nisi dimissus sit reus iam damnatus. Antea enim vix constare potest, quam captiuus poenam meruisset. Immo quum et damnato reo integrum sit, oblata noua defensione, experiri fortunam, et vel absolutionem, vel mitiorem saltim poenam sperare: etiam lata ferali sententia, adhuc incertum est, quam poenam daturus fuerit reus qui ope ac consilio commentariensis aufugerit. Et hinc plerique iurisprudentiae criminalis interpretes huius articuli constitutionis Carolinae vsum aliquem esse, plane negant, veluti CARPZ. *quaest.* 121. *n.* 7. CLASEN *ad d. art.* 180. STRVV. *Exerc. XXXXVIIII.* §. 14. et alii. Immo et ii, qui aliquem huius talionis vsum esse posse statuunt, tot limitibus hanc thesin suam circumscribunt, vt raro existere possit casus, quo huiusmodi exemplum fieri possit. Vid. STRYK. *de carc. ad custod. cap.* 5. *num.* 2. KRESS. *ad const. crimin. d. art.* 180. §. 1. *not.* * 1.

§. CCCLI.

Quod ad DEFENSIONEM attinet, non est dubium, quin ea omnia, quae olim reis proderant, et hodie iisdem prosint. Quemadmodum enim (27. olim litis contestatione opus erat: ita eamdem et hodie exigunt leges criminales, et quidem (28. ita, ut vel ex accusatoris libello, vel ex testium, qui, generali inquisitione instituta, auditi sunt, depositione certi articuli concipiantur, ad eosque respondere cogatur reus, ita tamen vt (29. ei liceat exceptiones quascumque, quae ad eius defensionem pertinere videantur, subnectere, CARPZ. *Prax. crim. Part. III. quaest.* 106. *n.* 68. vel (30. sed et easdem postea opponere, quin (31. et praemittere litis contestationi, vel, quod idem est, petere facultatem offerendi defensionem pro avertenda inquisitione, quippe quae viri honesti pudorem laedere, famamque sugillare censetur. CARPZ. *qu.* 115. *n.* 24. MEV. *Part. VI. Decis.* 653. In defensione reorum.

§. CCCLII.

Quamuis vero proscriptio absentium, seque non defendentium, multis locis exoleuerit, ea tamen (32. adhuc obtinet in Saxonia, in eaque (33. et hodie ea fere omnia obtinent, quae supra obseruauimus. Nam (34. et hodie distinguunt inter crimina manifesta et nec manifesta, (*handhaffte vnd vbernachtigen thaten*:) et hodie (35. ista proscriptio fit praeuia citatione, et instituto iudicio publico, *nach gehegtem peinlichen halsgerichte*:) et hodie (36. proscriptio est vel inferior vel superior, quamuis vtraque alicubi simul decernitur: ERNESTI PII *Duc. Sax. gerichts-vnd process-ordn. Part. III. cap.* 10. Et hodie (37. proscripto licet sese proscriptione eximere. Quae omnia pluribus explicant iureconsulti Saxonici, et maxime CARPZ. et KEYSERVS, qui singulares libros *von inquisitions-vnd achts-process* scripserunt. In absentium proscriptione.

§. CCCLIII.

Quamuis vero (38. sententiae, quibus vel inferior, vel superior proscriptio decernitur, verbis durissimis concipi soleat: * non tamen (39. eius hodie is effectus est, vt proscriptum vnusquisque occidere possit, sed (40. vt proscriptus pro confesso et conuicto habeatur, et (41. si superior accesserit proscriptio, infamia notetur, bonaque eius, si se proscriptione non eximat, salua tamen vxori dote liberisque legitima, a fisco vindicentur, ac demum, (42. publicata in tribus territoriis proscriptione, vnusquisque proscriptum capere, et iudici exhibere possit. Vid. Fridrici Guilielmi et Ernesti, Ducum Sax. rescripta ad scabinatum Ienensem apud KEYSER. *vom. Inquis. vnd achts-process. p.* 403. *sequ.* Eius quis hodie effectus?

* Sententia proscriptionis apud KEYSER. *ibid. p.* 363. his verbis concepta est nomine *der furstlichen landrichters: Solchem gesprochenen vrtheil nach will ich tragenden ambts vnd gerichts wegen den fluchtigen mordthaeter N. hiermit in die acht vnd verfestung erklaren, also, dass er aus dem frieden in den vnfrieden gesetzt, vnd sein leben, als eines vogels in der lufft, iedermann in die-*

diesen furstlichen amts-gerichten erlaubet sey, dass er den ohne alle straffe entleiben, vnd vom leben zum tode bringen mag, welches manniglichen hiermit erlaubet seyn soll. Will auch allen des ambts Altenburg vnterthanen vnd manniglichen in diesen gerichten aufferleget haben, ihn nicht etzen auch trancken, nicht behausen oder beherbergen, noch vorschub rath oder hulffe thun wollen, vnd die sich solches vnterfangen, sollen am leib und gut gestrafft werden, darnach sich ein ieder zu achten. Apud EVMDEM *p.* 393. occurrit sententia, qua superior proscriptio hac formula decernitur: *Dass anklager angeklagten wegen seines vngehorsamen aussenbleibens biss auf die oberacht erstanden vnd erlanget, derowegen uber die vorige zu recht erkante vnd ergangene achts-erklarung, darinnen angeklagter aus dem frieden in vnfrieden gesezt, auch manniglich mit ihm gemeinschaffe zu haben verbothen, vnd sein leib binnen selbigen gerichten iedermann erlaubet worden, angeklagtens ehre, leib vnd guth, als anruchtig, recht vnd friedlos verurtheilet, vnd iedermann an allen orten wieder ihn peinlich zu klagen verstattet vnd nachgelassen, vnd angeklagter also, vnd auff diese masse in die oberacht wurcklich erklaret, solche ober-achts-erklarung auch darauff durch offentlichen anschlag zu S. H. vnd S. an welchen orten angeklagter zuuor durch offentliche edicta citiret vnd geladen worden, iedermann notificiret, kund und zu wissen gethan wird. V. R. W.*

§. CCCLIIII.

In conuictione reorum.

Quamuis porro, quod ad rei CONVICTIONEM attinet, tantum non omnia, quae olim obseruata esse in iudiciis publicis diximus, ab vsu recesserint, et loco purgationum vulgarium per singulare certamen, ferrum candens, aquam feruentem vel frigidam, aliarumque eius generis, dirae quaestiones inuectae sint, denique nec septem amplius testibus ad conuincendum reum opus sit: mansit tamen (43. id veteris moris vestigium, vt si testium depositionibus conuinci reus non potuerit, neque indicia diris quaestionibus decernendis sufficiant, ei iusiurandum purgatorium deferatur, sollemniter, et adhibitis aliquando ecclesiae ministris, praestandum. *

* Id quoque iusiurandum alii ex iure ciuili deriuant, alii ex iure canonico. Illud probant ex *L. 31. D. de iureiur. L. 3. et L. 12. C. eod.* hoc ex *tit. X. de purg. canon.* Sed quemadmodum ex nullo eorum locorum, quos ex iure ciuili adferunt, probari potest, in persequutionibus criminum vsum aliquem fuisse iurisiurandi purgatorii, nec vmquam Romanos reorum conscientiae rem commisisse legimus: ita iam supra demonstratum est, multo ante, quam Germani iuris vel Romani, vel canonici, notitiam aliquam habere coeperunt, apud eos locum fuisse iuriiurando purgatorio, si facinus nec manifestum, reus vero integrae esset famae atque existimationis. Quid opus vero est, vt rem, iam antiquissimis temporibus domi receptissimam, et in foris nostris quotidianam, ex iure peregrino arcessere velis?

§. CCCLV.

Et iureiurando purgatorio.

Neque tamen negari potest, (44. aliqua, quae ius canonicum de iureiurando purgatorio praecipit, et in fora Germanica penetrasse, veluti, (45. quod purgatorium non decernitur, vbi vel testibus conuinci potest reus, vel ii saltem ita depositionibus suis illum onerarunt, vt indicia ad diras quaestiones sufficiant, dummodo crimen sit tale, vt supplicium supremum, vel poenam acriorem corporis adflictiuam, mereatur. Item (46. quod, qui se iureiurando purgauit, absoluendus quidem sit, sed (47. ad expensas nihilominus obligatus esse

esse censeatur, quia is, contra quem militant indicia, caussam inquisitioni dedisse videatur. *c. 8. X. de purg. can.*

§. CCCLVI.

Superest, vt de SENTENTIA et POENAE exsequutione quaedam subiiciamus. Ad hanc vero vbi res redit, et quidem ad poenam capitalem, omnia more maiorum solent explicari. Hinc (48. non sufficit, sententiam reo intra praetorii parietes esse praelectam, sed (49. citandus is est ad iudicium publicum sollemne, (*vor das hochnothpeinliche halsgerichte:*) idque (50. die constituto sollemniter auspicatur iudex, adhibitis scabinis, et praemissa de eorum decreto sanctione de securitate publica, (*es vvird das hochnothpeinliche hals-gericht geheget.*) Eo rite facto, (51. vel accusator, vel carnifex, qui alicubi eius vice fungitur, reum praesentem criminis vel cum clamore, * vel sine eo, accusat, (52. reus ad paucos articulos, qui factum complectuntur, denuo respondet, editaque iterum confessione, vel reo ex actis de confessione sua conuicto, (*vvann er auff dieser seiner bekantnifs vor gehegtem peinlichen hals-gericht beharren, oder dessen, vvie recht, vberfuhret vvurde,*) audire iubetur sententiam.

Denique in sententia eiusque exsequutione, quam praecedit iudicium publicum.

* Hanc citationem alicubi fieri vidi per adparitorem, in carcerem missum, pridie diei, quo exsequutio fieri debebat, et quidem formula: *Die herren lassen dich N. hiermit citiren vnd vorladen, morgen, zu rechter fruher tages zeit, vor dem hochnothpeinlichen halss-gerichte zu erscheinen, dein vrtheil anzuhoren, vnd dessen vollziehung zu erwarten.* At alicubi realem citationem sufficere existimant. Nam, adpetente die et hora, reus de supplicio praemonitus, et ad mortem oppetendam praeparatus a ministris ecclesiae, his comitatus in iudicium publicum ducitur, ibique, iam antea damnatus, iterum sollemniter condemnatur.

§. CCCLVII.

Quamuis vero (53. iam antea dicta publicataque sit sententia, a collegio quodam iuridico concepta: vidi tamen scabinos a iudice in suffragia mitti, verbis: *So stehet auff, vnd beredet euch eines vrtheils.* Paullo post, (54. locum suum iterum occupantibus scabinis, iudex reum adloquitur: *kniee nieder, befiehl deine seele GOTT, vnd hore dein vrtheil.* Quod tamen alicubi omittitur, vbi sufficere creditur publicatio sententiae, a collegio iuridico conceptae, stanti reo facta. Demum (55. ipsa publicata sententia, iudex confringit baculum, et (56. reum tradit carnifici vinciendum, et ad locum supplicii trahendum.

Et rei condemnatio.

§. CCCLVIII.

Antequam porro iudicium dissoluatur, (57. carnifex petere solet saluum conductum, quem vocant, si forte male functus sit officio, eumque impetrat facile. Hinc porro (58. adparitor iudicis iussu exclamat: *Hat iemand mehr vor diesem hochnothpeinlichen halss-gericht zu klagen, der mag es thun, sonst vvollen die herren das gericht auffgeben.* (59. Eo ter repetito, et nemine accedente ad tribunal, ex vltimo scabino quaerit, *ob das hochnothpeinliche halss-gerichte auffzugeben?*

Iudicii dissolutio.

ben? reſponſumque fert : *Herr richter, dievveil niemand mehr vorhanden iſt, der auff dieſſmahl zu klagen bedacht, ſo moget ihr das hochnoth-peinliche halſs-gericht auffgeben.* Denique (60. iudex ait : *So gebe ich dieſes hochnoth-peinliche halſs gericht auff, im nahmen des Vaters, vnd des Sohnes, und des heiligen Geiſtes, amen.* CARPZ. *vom. Inquiſ. und achts-proceſſ. tit.* 10. *art.* 3. *p.* 176. *ſequ.*

§. CCCLVIIII.

Alii ritus miſcellanei.

Sunt et alia, quae ex moribus Germanicis ſuperſunt in huiuſmodi iudiciis, veluti (*61.* quod illud plerumque ſub dio haberi ſolet, menſa et ſcamnis in medio foro, vel ad ſtatuam Rolandinam poſitis, locoque hominibus armatis circumdato : (*62.* quod alicubi ſignum dari ſolet campanae pulſu, id quod vocant *das gericht belauten.* (*63.* Quod iudex vna cum ſcabinis reum ſequi ſolent ad locum ſupplicii, vt coram videant, omnia ex praeſcripto ſententiae fieri. (*64.* Quod carnifex ex iudice quaerit, an bene functus ſit officio? reſponſumque fert a iudice, ita eum egiſſe, vti agere ſententia iuſſerit. (*65.* Quod judex de ſepeliendo cadauere, vel eodem medicis ad anatomen concedendo, ſtatuit, quamvis poſterius fieri non poſſit regulariter ſine praeſcitu principis. Tam verum eſt, pleraque, quae in his iudiciis hodie obſervantur, ex antiquis Germanorum moribus, tamquam fractas e naufragio tabulas, ſupereſſe.

F I N I S.

INDEX

INDEX II.
AVCTORUM.

Atta.

Chri-

D.

tis principis captiui.
Daniel [P.] *Histoire de France*.
Dassel (Hardevvic. a) *Consuetudines Luneburgenses*.
Dattius [Io. Philipp.] *de pace publica*.
Dauthius [Io.] *de testamentis*.
Diaconi [Petri] *Cronicon Cassinense*.
Diecmanni *Glossarium Rabani Mauri*.
Diodori Siculi *Bibliotheca historica*.
Dionis Cassii *Historiae*.
Dionysii Halicarnassensis *Antiqu. Rom.*
Dietherri [Christ. Ludou.] *Continuatio thesauri Besoldiani*.
Dithmarus [Iust. Christoph.] *ad Tacitum*.
— eiusd. *Codex diplomaticus ad Teschenmacheri Annales Cliuenses*.
Dithmarus Merseburgensis apud *Leibnitium*.
Documenta Wurtenbergica.
Dominicy [Anton. de] *Disquisitio de praerogatiua allodiorum.*
Dondorffii [Cristoph.] dissertatio de sacco sine futura.
Du Chesne *Scriptores rerum Francicarum*.
Du Pin *de antiqua ecclesiae disciplina*.

E.

ECcardi (Io. Ge.) *Commentarius ad leges Francorum Salicam et Ripuariorum*.
— *Historia genealogiae Saxonicae*.
— *Origines Habsburgenses*.
— *Stemma Desiderii*.
Eckehardus *de casibus S. Galli*.
Edicta varia Brandeburgica.
— *Pistense* Caroli Calui.
Eginhardus *de vita et gestis Caroli M.*
— eiusd. *Epistolae*.
— *Fragmentum* apud *Adamum Bremensem*.
Ehrenbach (Nicol. Mylerus ab) *Gamologia*.
Emmius (Vbbo) *de Frisia et Frisiorum republica*.
Engelbrechti (Georgii) *Dissertationes ad digesta*.
— eiusd. *de indiciis metallicis*.
Ennius (Q.)
Erasmus Roterodamus *de institutione principis christiani*.
Ernesti Pii, ducis Sax. *Gerichts- vnd Process-Ordnung*.
Esbach (Golwini ab) *Notae et obseruationes ad Carpzouii Definitiones forenses*.
Euerhardi [Nic.] a Middelburg *Consilia seu responsa iuris*.
Eugippii *Vita S. Seuerini*.
Euodius *de miraculis S. Stephani*.
Euripidis *Tragoediae*.
Eustathius *in Homerum*.

F.

FAbri [Ant.] *Codex, seu decisiones Pedemontanae*.
— *Rationalia in Pandectas*.
— *Staats-Canzley*.
— (Felicis) *Historia Sueuorum*.
— (Io.) *Commentarius ad institutiones*.
Fachinaei (Andr.) *Controuersiae iuris*.
Fachsii (Ludou.) *Differentiae iuris ciuilis et Saxonici*.
Falckenstein (Io. Henr. de) *Codex diplomaticus antiquitatum Nordgauiensium*.
Feltmannus (Gerh.) *de iure in re et ad rem*.

G.

.H.

Hun-

Koe-

Nam

N.

O.

P.

R.

S.

Stru-

Valesii

W.

tio de differentiis iuris ciuilis et reformationis Noricae.

Z.

ZAchiae (Paulli) *Quaestiones medico-legales.*

Zahnii (Balthas. Conr.) *Ichnographia municipalis.*

Zasii (Vdalrici) *Opera.*

Ziegleri (Casp.) *Adnotationes ad Lancelloti Institutiones iuris canonici.*

- *ad processum electoratus Saxonici.*

- *De episcopis.*

- *De iuribus maiestaticis.*

- *Dissertatio de praediis censiticis ruralibus.*

Zobelii (Christ.) *Differentiae iuris ciuilis et Saxonici.*

Zollmann *de promissionibus generosa fide munitis.*

Zyllesii (Nicolai) *Defensio S. Maximini.*

Zvpaei (Franc.) *Notitia iuris Belgici.*

INDEX

INDEX III.

RERVM ET VERBORVM.

Prior numerus librum; signum crucis † alteram II. libri partem; posterior paragraphum; signum * scholion significat.

A

Nam

N.

O.

P.

R.

Ri-

Valesii

W.

INDEX

B.

Col-

De-

Dila-

nomen

Exer-

Fra-

H.

Haue-

Homi-

Infi-

Lig-

Mu-

Re-

S.

de

Tre-

V.

W.

F I N I S.

IO. GOTTLIEB HEINECCII,

POTENTISS. PRVSSORVM REGIS

A Consil. Sanctior., Iur. ac Philosoph. in ill. Frideric. Academ. Professoris publ. ord.

ELEMENTA IVRIS CAMBIALIS

COMMODA AVDITORIBVS METHODO ADORNATA.

EDITIO ALTERA.

NEAPOLI MDCCLXX.
IMPENSIS DONATI CAMPI.

SVPERIORVM FACVLTATE AC PRIVILEGIO.

VIRO
ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
SAMVELI
LIB. BAR. DE
COCCEII,
POTENT. PRVSSOR. REGIS
MINISTR. STAT. INTIM.
ECCLESIAST. ET CIVILIVM
TRIBVNALIVM
PRAESIDI PRIMARIO,
REGIARVM ACADEMIARVM
CVRATORI SPLENDIDISS.
DYNASTAE
IN WVSECKEN KLEIST REPKOV
LAAS cet.
D. D. D.
IO. LVDOV. VHLIVS.

QVEM incredibilis TVA et nihil plane intermittens in maximis patriae rebus occupatio negare aditum vel mihi, vel huic munusculo sine ulla superbiae suspicione potest, eum rursus non minor, quam sunt ceterae

TVAE virtutes, humanitas recludit, facilemque TVI conueniendi veniam pollicetur. Nempe talem esse decebat, cui sapientissimus rex supremam per omne imperium suum religionis, iustitiae, sapientiae, doctrinaeque omnis et humanitatis procurationem felicissimo euentu demandaret; talem, qui cum illarum rerum omnium religiosissimum velut sacrarium suo in pectore constituisset, item ipse, vt templa illa Romanorum, quin vt augustissimum ipsum huius caeli templum, omnibus omni tempore pateret. Mea tanto caussa facilior est, quod non opinor, non spero, non confido, sed pluribus felicissimisque experimentis edoctus scio, quam expositi mihi, quam ipsis Musarum foribus similes, quas ἀφθόνους et supra inuidiam faciles, antiqui vocabant, hic cancelli, TVVM velum esse soleant. Accedo itaque intrepidus, ac *Elementa* haec *iuris cambialis*, a magno meo praeceptore nuper adornata, in TVA domo, quae templo quouis sanctior est, in TVIS pulpitis, tamquam sacra memoriae ara, venerabundus equidem atque humilis, idem tamen laetus et alacris depono: et huic tabellae non immortales tantum gratias, TVAE in me beneuolentiae atque humanitati debitas, sed vota etiam pia commendo, quorum haec summa est, vt TE conseruando, TVAEque salutis tutela quam accuratissima suscipienda, muneribusque in TE suis perpetuo tuendis atque augendis, Deus immortalis, tum sapientis atque inuicti regis nostri rebus fauere, tum totius, quae TE respicit, patriae, posteritatisque adeo otio, dignitati, felicitati velit consulere. *Berol. Cal. Aug.* CIↃ IↃ CCXXXXII.

ELE-

ELEMENTA
IVRIS CAMBIALIS.

CAPVT I.

DE IVRE CAMBIALI IN GENERE, EIVSQVE ORIGINE.

§. I.

CONTRACTVVM omnium, quibus commercia inter homines consistunt, antiquissimus est permutatio, quippe iis etiam temporibus recepta, quibus nondum de cudendo nummo cogitatum est. *L.* 1. *pr. D. de contrah. emt.* Sed ea permutatio non ad nummos, qui tum nulli erant, sed ad alias res, quae alteri superesse, alteri deesse videbantur, pertinebat.

Permutatio an sit contractus antiquissimus?

§. II.

Postquam intellecta permutationis incommoditate electa est materia, cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subueniret: emtio venditio quidem frequentior esse coepit, saepissime tamen contigit, vt venditore vel creditore certum nummorum genus respuente: aliud permutatione esset quaerendum, atque ita hic contractus ad nummos quoque porrigetur.

Ad nummos quoque porrecta.

§. III.

§. III.

Campsores, collybistae, mensarii, nummularii quinam dicti.

Quia itaque varia nummorum genera, quae cuiuis necessaria viderentur, aliis siue melioribus, siue deterioribus monetae generibus permutabant, atque inde lucrum faciebant, dicebantur inde *campsores*, *collybistae*, *mensarii*, *nummularii*, et, si publica auctoritate negotiarentur, *argentarii*.

§. IIII.

Permutatio illa pecuniae an commune quid habeat cum negotiatione cambiali hodierna?

Sed nihil haec pecuniae permutatio, cui ipsi quoque quadrat vocabulum Germanicum, *ein VVechsel*, commune habet cum negotiatione cambiali hodierna. Quemadmodum enim in negotio collybistico inter duos in continenti fit permutatio specierum: ita hic quatuor concurrunt personae, et permutatio fit quantitatum, ita vt quantum vno loco ego solui Titio, tantumdem alteri a Sempronio alio loco soluatur. VID. VLR. HVBER. *Praelect. Pand. libr. XVII. tit.* 1. §. 12.

§. V.

Cambiorum diuisio.

Itaque doctores recte distinguunt cambium *reale* vel *manuale*, quo nummi in continenti apud mensam permutantur, a *locali*, *mercantili*, vel *traiectitio*, de quo nos agimus. Illud vno loco exercetur a collybistis, qui ideo dicuntur *argenti distractores* in *L.* 27. *C. de pignor.* et *L. penult. C. de constit. pecun.* nec non *argenti venditores* in *L.* 12. *C. de cohortal.* Hoc pluribus locis per tesseras collybisticas, per argentarios vel mensarios exercetur.

§. VI.

Cambium *traiectitium* an veteribus notum fuerit?

Quaeri solet, an postremum hoc cambii genus, quod proprie huius loci est, veteribus iam notum fuerit? Et sane id adfirmant haud pauci ideo, quod iam veteribus notae fuerint tesserae collybisticae, quas ipsi interpretantur *VVechsel-Briefe*. Enimvero hae tesserae potius adsignationes erant, quam litterae cambiales. Quemadmodum enim, qui ex arca soluebant, *a se soluere*, ita qui depositam alibi pecuniam creditori adsignabant, *ab alio dare*, *soluere*, *numerare*, *repraesentare* dicebantur. Vid. *L.* 6. §. 1. *D. de adim. vel transfer. legat.*

§. VII.

Locale cambium an Romanis fuerit cognitum?

Propius ad cambiorum nostrorum similitudinem accedit mos veterum, ita permutandi pecuniam, vt quod quis Romae soluerit, id alii Athenis redderetur. Talem enim pecuniae permutationem saepissime memorat CICERO, *Epist. ad Attic.* XII. 24. XV. 15. item *ad diuers.* II. 17. III. 5. ex quibus locis recte collegit HVBERVS *l. c.* nec locale cambium Romanis ignotum fuisse: quamuis et illud aliquantulum a nostro discrepasse, non minus recte obseruauerit BERGER. *supplem. elector. process. exsequut. thes.* 1. *posit.* 7. *pag.* 3.

§. VIII.

§. VIII.

Paullatim ergo ad eam perfectionem, quam hodie miramur, peruenit negotium istud cambiale, et quidem opera mercatorum Venetorum, et Langobardorum. Id quod vel inde patet, quod vocabula technica huius negotiationis pleraque sint Italica, veluti, *traffa*, *valuta*, *indoffamentum*, *aduifo*, *fcontro*, cet. Cuinam genti cambiorum perfectio debeatur?

§. VIIII.

Hodie cambium accipitur vel pro *litteris cambialibus*, *vel* pro ipso *cambio*. Si prius: per. *cambium* intelligimus litteras follemni formula fcriptas, quibus quis alterum folui iubet praefentanti certam pecuniae fummam, fibi iam numeratam, fuoque nomine fatisfactionem promittit. Sin pofterius: *cambium* erit negotium ex variis contractibus conflatum, quo intercedentibus litteris cambialibus fumma Titio vno loco numerata a Meuio alio loco recipitur, arctiffimo paratae exfequutionis et arrefti vinculo adftrictum. Quotuplici fenfu cambium hodie accipiatur?

§. X.

Inuento itaque femel hoc negotiandi genere, etiam iura cambialia inualefcere oportuit. Nam et leges cambiales a fummis poteftatibus condi coeperunt, et variae inoleuerunt confuetudines, quas mercatores vocare folent *den VVechfel-Styl*, *VVechfel-Ufauce*, *VVechfel Coutume*. Vnde recte ius cambiale diuiditur in fcriptum, et non fcriptum. Inuento cambio iura quoque cambialia inualefcere oportuit.

§. XI.

Eft ergo *ius cambiale*, tum fcriptum, tum non fcriptum, habitus practicus leges et confuetudines cambiales recte intelligendi, interpretandi adplicandique fpeciebus obuenientibus. Ius *cambiale* quid fit?

§. XII.

Quamuis vero tot gentium ciuitatumque leges cambiales non per omnia conueniant, conueniunt tamen in plerisque, et maxime in effentialibus: vnde recte pro principio domeftico et proprio iuris cambialis habentur. Ex quo fluit: I. *mores et praecepta cambialia omnibus gentibus emporiifque communia pro fundamento iuris cambialis habenda funt, adeoque et omnia pro veritatibus habenda, quae inde iufta ratiocinatione eliciuntur.* Principium I.

§. XIII.

Accedit alterum principium, idque commune. Cum enim negotium cambiale ex variis contractibus conflatum fit [§. 9.) confequens eft, II. *vt, quidquid iuftum eft circa hofce contractus, id iuftum etiam fit in cambiis, nifi iure cambiali illis fpeciatim derogatum fit.* Vid. BARTH. *Hodeg. forenf. cap.* 4. §. 21. *pag.* 753. Principium II.

§. XIIII.

Itaque inde colligitur, in decidendis cauffis cambialibus eum feruandum effe ordinem, vt (1. ratio habeatur pactorum, quae inter cambiantes intercefferunt, [2. his deficientibus leges cambiales cuiuf- Confectaria.

uis loci, hinc porro [3. vsuum et consuetudinum cambialium, ac (4. denique iuris statutarii, vel, hoc deficiente, iuris communis ratio habeatur.

§. XV.

Ratio ordinis. Cambium.

Denique totum ius cambiale eo ordine quam commodissime tradi posse videtur, vt [1. de cambiis generatim, variisque eorum generibus, (2. de contractibus cambialibus, (3. de litteris, quibus illi comprehenduntur, (4. de personis cambiantibus, (5. de obligatione et effectu inde nascente, (6. de processu cambiali, quem vocant, agatur.

CAPVT II.

DE CAMBIO GENERATIM, VARIISQVE EIVS GENERIBVS.

§. I.

Cambium *proprium* quid sit?

QVid sit cambium, iam supra (*cap. I.* §. 10.] vidimus, ostendimusque, ad illud concurrere quatuor personas, et pecuniam vno loco solutam altero reddi. At saepe tamen contingit, vt loco chirographi debitor creditori det litteras cambiales, quae tunc vocantur cambium *proprium*, et opponuntur cambio *locali*; quo ipso primam habes cambiorum diuisionem.

§. II.

In eo vterque contrahens duarum personarum vicem sustinet.

Cum itaque in cambio proprio duae tantum personae contrahant (§. 1.), necesse est, vt vterque contrahens duarum personarum vicem sustineat, adeoque debitor se simul trassantem simul acceptantem, creditor vero simul remittentem, simul praesentantem se esse fingat.

§. III.

An sit magni momenti?

Quamuis ergo eius modi litterae cambiales vere sint chirographa, cambiorum schemate induta: nihilo minus tamen ideo sunt magni momenti, quod (1. uti alia cambia possunt indossari, (2. facillime praescribuntur, et (3. non sequuta solutione locus est processui et exsequutioni cambiali.

§. IIII.

Consectaria.

Cum itaque hoc cambium proprie sit chirographum, cambii schemate indutum (§. 3.] consequens est, [1. vt nec praesentatione, nec protestatione indigeat, (2. vt hoc cambium semper sit solum, numquam secundum, tertium, cet. (3. vt saepe isti inserantur clausulae, pignora titia et hypothecaria, LVDOVIC. *Introd. ad processu. camb. cap.* III. §. 10. quamuis hypothecae constitutio in cambio facta iure Prussico nullius effectus sit. *Ordin. camb. nouiss. ann.* 1724. *art.* 51.

§. V.

§. V.

Ex eodem principio sequitur, (4. vt in cambio trassato stricte obseruandus sit dies solutionis, adeo, vt ne quidem ante illum solui possit; qua in re omnes leges cambiales conspirant. In cambio proprio autem et ante diem solutio recte fit; quod et iuris communis est. *L.* 29. D. *de solut.*

An in cambio trassato ante diem solutionis recte soluatur?

§. VI.

Equidem et chirographarius debitor ante diem non semper recte soluit, quia, si sub vsuris ipsi creditum est, dies non tam in fauorem debitoris, quam creditoris, adiecta censetur, sed id contingere non potest in cambiis propriis, vbi vsurae non separatim promittuntur, sed in sortem statim computantur. ZIPFEL. *de litter. camb. sect. VI. pag.* 124. Hinc creditor eo ipso, quod debitor citius solvit, nullum plane patitur detrimentum.

An chirographarius debitor, et qui cambium proprium dedit, ante diem recte soluat?

§. VII.

Hactenus de cambiis propriis et trassatis. Vtraque deinde diuiduntur in *cessa* vel *indossata*, et *non cessa* vel *non indossata*. Cum enim quisque ordinarie ius suum alteri cedere recte possit: nullum est dubium, quin et cambii exigendi ius in alterum transferri possit, id quod vocant *indossamentum*, quia in dorso scribi solet.

Cambia *cessa* vel *indossata*, et *non cessa* vel *non indossata* quaenam dicantur?

§. VIII.

Hinc in cambiis ipsis plerumque scribitur: *der Herr zahle an Titium, oder dessen Ordre:* vel: *an Titium oder Commiss.* Sed si vel maxime haec formula in litteris cambialibus non legitur, cessio tamen etiam ignorante, et inuito debitore fieri potest. *L.* 1. *C. de nouat.* Praeterquam quod ex legibus cambialibus Franciae, nec non Lipsiensibus, cessio tunc nullius momenti est, si formula ista in cambiis omissa sit.

An inuito et ignorante debitore talis cessio fieri possit, etiamsi formula non legatur?

§. VIIII.

Ex quo porro sequitur, vt cessio vel indossatio ab vnoquoque vnicuique fieri possit, adeoque et Iudaeus Christiano, et Christianus Iudaeo cambium recte cedat. Quamuis enim Iudaei Christianis actiones cedere prohibentur, *R. I. ann.* 1551. *art.* 79. et *Ordin. polit. ann.* 1577. *tit.* 20. *art.* 4. id tamen in praxi non obseruari, docet BERGER. *Oeconom. iur. libr. III. cap.* 5. §. 4.

Quinam alteri cedere possint?

§. X.

Id vero praecipue obseruandum, cambia cedi vel indossari duplici modo. Aut enim indossatarius tantum fit procurator indossantis, vel ejus mandatarius, quod fit, si formula quis vtatur: *vor mich an Herrn Javolenus, soll mir gute Zahlung seyn*; aut vera et propria est

Quotuplici modo fieri possit cessio?

cessio, eum in finem facta, vt indossatarius fiat verus creditor et procurator in rem suam, quod fit formula: *vor mich an Herrn Javolenus, Valuta von demselben.* Vnde saepe sex vel plures cessiones dorso cambii inscriptae leguntur, quale cambium tunc vocari solet *ein Giro* vel *ein girirter VVechsel.*

§. XI.

An valeant cessiones, quae solo subscripto nomine fiunt?

Nec minus notari meretur, leges cambiales tantum non omnes ob innumeras fraudes prohibere cessiones, quae. solo subscripto nomine fiunt; ac proinde vocantur *Indossements in bianco*. Ex his ne actio quidem datur, nisi ante praesentationem ipsa cessio ab indossante inscripta sit; id quod vocant *das Bianco ausfullen.* Vid. *Ord. cam. Lips.* §. 11. *Dantisc. art.* 27. *Prussic. art.* 25.

§. XII.

Cambia *feriarum* et *platearum* quaenam dicantur?

Transeamus ad tertiam cambiorum diuisionem. Nimirum trassatorum alia dicuntur *feriarum*, alia *platearum*. Illa sunt, quae in nundinis publicis vel contrahuntur, vel ibi soluenda sunt: haec, quae extra nundinas in emporiis praesentantur.

§. XIII.

Cambia *a vista*, *a dato*, et *a vso* quaenam dicantur?

Cambia platearum sunt vel *à vista*, quando solutio iniungitur aliquot diebus post visum cambium, cuius formula est: *der Herr bezahle drey Tage nach Sicht*; vel *a dato*, quando acceptans soluere iubetur intra certum tempus a datis litteris cambialibus, cuius formula est: *von dato vber vier VVochen beliebe der Herr zu bezahlen*; vel denique *a uso*, quando tempore consueto soluere tenetur acceptans. Tempus autem consuetum Lipsiae, in terris Brandenburgicis, Francofurti, Dantisci, et Vratislauiae est quatuordecim dierum, Augustae Vindelicorum et Noribergae quindecim dierum. Vnde facile intelligitur, quid sit *doppelte Vso*, *anderthalb Vso*, cet. Vid. *Ordin. camb. Lips. art.* 15. et *August. art.* 3.

§. XIIII.

An non acceptanti dentur induciae aliquot dierum.

Quamuis vero id tempus vocari soleat tempus fatale solutionis: quibusdam tamen locis etiam elapso illo tempore, quod in cambio expressum est, acceptanti dari solent induciae aliquot dierum, e. g. trium, quatuor, quinque, sex, qui dies vocantur *Respit-Tage*, *Discretions-Tage*, *Nach-Tage*, *oder Ehren-Tage*, de quibus singularem in hac academia dissertationem scripsit Io. CHRISTOPH. FRANCKIVS. Sed in Saxonia hae induciae ob fidem mercatorum vacillantem plane abolitae sunt.

§. XV.

§. XV.

Ceterum alia plane est cambiorum, quae feriarum vocant, indoles, quam platearum. Nam illa (1. certo tempore praesentanda sunt, et elapso illo tempore non amplius admittuntur; quod tempus in nundinis Lipsiensibus vernis et autumnalibus currit *vom ersten Tag nach eingelautetem Marckt bis Freytag zu Mittag um* 10. *Uhr*, in hiemalibus *bis zur Auslautung der Messe*. (2. Cambia feriarum soluenda etiam certo tempore, e. g. Lipsiae die Iouis posterioris hebdomadis, quae uocatur *die Zahl-Woche*, vsque ad horam decimam nocturnam. Vid. *Ordin. camb. Lips. art.* 14. §. 3. Nullae hic admittuntur dies induciarum. Et denique obseruandus est valor in singulis nundinis obtinens. Cambia feriarum et platearum quomodo differant?

§. XVI.

Commune id habent vtraque cambia, quod aliquando a tertio, ad quem non directa sunt, et acceptentur, et soluantur. Cum enim saepe contingat, vt is, ad quem cambium dirigitur, acceptationem deneget, alius vero trassantis amicus illud sponte et vltro acceptet: haec acceptatio vocatur *in honorem litterarum*. Eaque non aliter fieri potest, quam (1. interposita a praesentante protestatione, et (2. expresso eius nomine, cuius in honorem acceptarit. In quonam vtraque conueniant?

§. XVII.

Porro cambia vel sola, vel plura simul dari, iam supra animaduertimus. Posterius fit commodo remittentis vel praesentantis, vt vno alteroue exemplari deperdito, reliquis adhuc vti possit. Tunc vero obseruandum est campsoribus, (1. eas litteras omnes pro vnicis haberi (2. easdem per omnia sibi similes esse debere, praeterquam quod secundis et sequentibus inseri solet clausula: *wenn* prima *noch nicht bezahlt*; vel: *der Herr bezahle auf diesen meinen* secunda *Wechsel-Brief*, prima *unbezahlt*, (3. cauendum, ne error in numero committatur, e. g. ne binae, secundae, vel tertiae existent. Quid si plures litterae datae?

§. XVIII.

Qui plures eius generis tesseras collybisticas habet, primam statim potest praesentare ad acceptandum, quamuis reliquae per alia loca girentur. Acceptantis enim aeque, ac trassantis, non interest, si vel maxime reliquae per cessionem in alienas manus peruenerint, quia non nisi ex vna soluit, ex reliquis tum demum solutio exigi potest, si ex prima nondum fuerit satis-factum. An prima tantum possit praesentari?

§. XVIIII.

Sunt et alia cambiorum genera paullo infrequentiora, vti ea vocat FRANCK. *Inst. jur. camb. libr. II. sect. I. tit. 1. seqq.* Talia sunt *cambia pro computo alieno*, quando institor vel proxeneta alterius mandato cambium trassandum curat: *contitum*, quando unus ex contrahentibus duas pluresue personas, alias in hoc contractu concurren- Cambia pro computo alieno, contita, conditionalia, et intermistica quaenam dicantur?

 tes,

tes, repraesentat: *conditionale*, quando litteris cambialibus conditio quaedam licita et honesta inseritur: denique *intermisticum*, quod quis soluta nondum valuta interim dat trassanti securitatis caussa.

§. XX.

Cambium *siccum* quodnam dicatur? An apud Catholicos sit licitum?

Denique inter pontificios natum est cambium *siccum*, quo simulatur, cambium trassari, re vera autem id agitur, vt pecunia credita post interuallum eodem loco cum foenore ob eiusdem usum soluendo reddatur. Quod cum in fraudem canonum foenus et vsuras prohibentium, repertum sit, plerisque legibus Romano-catholicorum cambiantibus prohibetur. Vid. FRANCK. *Inst. iur. camb. lib. II. sect. I. tit.* 8. §. 2.

§. XXI.

An apud protestantes? Nec hodie stricte vetita sunt in imp. apud Catholicos.

Sed sicca haec cambia neque inter Protestantes prohibita sunt; et cum propriis fere per omnia conueniunt. Nam et in his id plerumque agitur, vt pecunia credita eodem loco, additis sorti vsuris, adeoque cum lucro reddatur. Talia vero cambia propria ne inter pontificios quidem hodie tam stricte vetita esse, postquam *R. I. ann.* 1600. §. 179. vsurae tolerari coeperunt in imperio, obseruauit NEVMANNVS a PVCHHOLTZ, *de camb. cap. X.* §. 6. 8.

CAPVT III.

DE CONTRACTIBVS CAMBIALIBVS.

§. I.

Connexio.

IAm supra diximus, cambiale negotium conflatum esse ex variis contractibus. Itaque ad eius naturam et indolem eo distinctius cognoscendam quam maxime necessarium est, contractus illos, qui inter tot personas intercedunt, probe perspectos habere. Quare de iis hoc capite ex instituto agere animus est.

§. II.

Variae de contractu cambiali opiniones.

Obligationem cambialem ex contractu nasci, inter omnes constat. Qualis vero sit iste contractus, de eo adhuc sub iudice lis est. Pro *permutatione* illum venditauit LAVTERBACH. in *Dissert. de contract. innominat, coroll.* 2. 3. Alii eumdem pro *mutuo*, alii pro *deposito*, alii pro *mandato*, alii pro *locatione, conductione*, alii denique pro *emtione venditione* habuerunt.

§. III.

§. III.

Sed nullum horum contractuum cambii naturam et indolem exhaurire, facile vnusquisque intelligit. *Permutatione* enim id agitur, vt res pro re, species pro specie reddatur: in cambio vero, vt quantitas quaedam hic soluta ab alio alibi reddatur. Nec *mutuum* dici potest, cum pecunia non semper detur, vt reddatur, sed illa saepe reddenda sit, antequam accipiatur. Nec *mandatum* tantum subesse potest, quia ab initio statim ad mutuam praestationem teneantur contrahentes, et obligatio ab ipsa pecuniae numeratione incipit.

Nec permutatio, nec mutuum, nec mandatum,

§. IIII.

Non minus falluntur, qui hic fingunt *depositum*, vbi tamen nec res ipsa redditur, et trassans dominium pecuniae consequitur, quae vltima ratio etiam impedit, quo minus *locatio conductio* dici queat. Denique *emtio venditio* ideo dici non potest, quod hic non res pro pecunia, sed pecunia pro pecunia redditur, quamuis campsores saepe vti soleant phrasi: *einen VVechsel kauffen*. Vid. *Ius camb. VVolfenbut. art.* 2.

nec depositum, nec locatio conductio, nec emtio venditio esse potest.

§. V.

Fieri profecto non potuit, quin hi omnes opinione sua fallerentur, (1. quod negotium inter tot personas contractum ad vnam tantum conuentionem referre conati sunt, cum illud ex pluribus constatum esse, intellexissent facile, si mens non laeua fuisset, (2. quod hoc conuentionis genus ad contractus cuiusdam iuris Romani normam exigere voluerunt, cum multa a posteris inuenta sint, de quibus Romani olim ne per somnium quidem cogitarunt, quales sunt contractus feudales, essecurationum, vitalitii, socidae, lotteriae, bodmeriae, de quibus consulto Papiniano, si reuiuisceret, fatendum esset, sibi iam de nouo ius addiscendum esse. Vid. TITII *Ius priuat. libr. IIII. cap.* 14. §. 1. *et* 16.

Origo errorum.

§. VI.

Rectius ergo obseruarunt SCHILT. *Exerc. ad Pandect. XXXII.* §. 10. et STYPMANN. *de iure marit. part. IIII. cap.* 8. §. 42. ex pluribus conuentionibus constare negotium istud cambiale, easque contractibus iuris Romani non per omnia similes esse; primo sane inter remittentem et trassantem intercedit contractus litteralis, ceu post alios obseruauit BOEHMER. *de action. sect. II. cap.* 9. §. 16. qui enim litteras cambiales scripsit, obligatus est ex solis litteris, quamuis ipsi numerata non sit pecunia.

Plures sunt conuentiones non per omnia similes contractibus iuris Romani. Primus contractus.

§. VII.

Obiici posset, scripturam magis ad naturalia, quam ad essentialia cambii pertinere, et, si aliunde probari possit, inter contrahentes hoc

Obiectio I. Eiusdem solutio.

hoc conuenisse, vt pecunia hic numerata alibi reddatur, nihil caussae esse, cur non inde nasci debeat obligatio. SCACCIA, *de camb* §. 1. *quaest.* 5. *num.* 10. et RHET. *de versur. cap. I. thes.* 10. At his ego respondezim, obligationem quidem tunc nasci, sed non cambialem. et actionem dari, non tamen persequutionem cabialem.

§. VIII.

Obiectio II. Eiusdem solutio.

Eiusdem momenti est argumentum, quod sententiae nostrae obuertit STYPMANN. *de iure marit. part. IIII. cap.* 8. §. 40. non posse cambium dici contractum litteralem, quia non solvat, qui scripserit, sed alius, nec quia scriptum sit, sed quia pecunia sit numerata; nam ad prius respondeo, in sensu iuridico vere solvere, qui ab alio solvit, *L.* 56. *L.* 87. *D. de solut.* ad posterius vero, falsum esse trassantem ideo obligari, quod pecuniam acceperit, cum manifesto obligetur ex litteris tantum.

§. VIIII.

Conclusiones.

Hinc id omnino pro certo habendum, contractum illum principalem qui inter remittentem et trassantem intercedit, ad litteralem quam proxime accedere. Inde multas conclusiones fluere, recte animadvertit TITIVS, *Iur. priuat. libr. X. cap.* 5. §. 53. veluti (1. quod indossatus, si indossanti soluerit, et ab eo acceperit instrumentum cassatorium, indossatario nihilo minus soluere teneatur, BERGER. *Elect. process. exsequut.* §. 53. (2. quod indossatarius cessionem indossato denunciare non teneatur, et (3. quod indossatarius cessionario extracambiali, licet antiquiori, praeferatur, contra *L.* 2. *C. qui potior. in pign.*

§. X.

Non per omnia conuenit cum contractu litterali.

Neque tamen existimandum, adeo omnia, quae de contractu litterali inuenit IVSTINIANVS §. *vn. Inst. de litter. oblig.* in cambiis etiam obtinere, vt in iis biennio nondum antiquioribus locus sit exceptioni non numeratae pecuniae, vel onus probandi pertineat ad creditorem; exceptio enim illa opponi quidem potest, sed tum demum, si in continenti possit probari. Vid. BERGER. *Differt. de exceptione non numeratae pecuniae aduersus cambium.*

§. XI.

Contractus secundus.

Et hic quidem primus et principalis contractus est, quem inter remittentem et trassantem intercedere diximus: alter initur inter trassantem et eum, cui iniuncta est solutio. is enim plerumque verum mandatum est, quia acceptans suscepto illo mandato ad solutionem pro alio praestandam, adeoque ad negotium alienum explicandum obligatur.

§. XII.

§. XII.

Ex quo sequitur: (1. vt tertius, cui solutio iniungitur, cambium acceptare inuitus non teneatur, (2. vt semel acceptato cambio obstrictus sit ad solutionem, (3. vt hoc, tamquam mandatario, solutionem denegante et interposita protestatione regressus aduersus mandantem pateat, (4. vt acceptans tamquam mandatarius fines mandati non egredi, adeoque nec ante tempus, nec ante conditionem litteris expressam, nec in alia moneta, quam praescriptum, soluere possit. Consectaria.

§. XIII.

Quandoquidem vero et mandans mandatarium indemnem praestare tenetur: ita facile patet, cur (5. acceptans, tamquam mandatarius, soluto cambio refusionem pecuniae cum vsuris recte a trassante exigat, et (6. cur cambia acceptari non soleant, nisi acceptans in antecessum sciat, quomodo sibi satisfacturus sit trassans. Quo comparatae sunt litterae, quas mercatores *aduisorias* vocare solent. Consectaria litterae aduisoriae.

§. XIIII.

Cumque in mandato personae industria et qualitas eligatur, ac proinde substitutio in negotiis extraiudicialibus regulariter non sit permissa: facile patet, (7. cur ne in cambio quidem is, cui solutio mandata est, alium v. gr. debitorem suum, inuito praesentante pro se substituere possit. Clausula enim substituendi cambiis quidem inseritur in fauorem praesentantis, non autem in fauorem acceptantis. Consectaria.

§. XV.

Tertius contractus inter remittentem et praesentantem intercedit, qui pro diuersitate circumstantiarum diuersus esse potest. Modo enim praesentans fit dominus cambii, veluti si restituta valuta emerit: aliquando mandatarius tantum, si pecuniam remittentis nomine, eiusque mandato exigit. Contractus tertius.

§. XVI.

Hinc priore casu remittens litteras cambiales reuocare non potest, quippe quarum dominium iam in praesentantem translatum est; posteriore litteras istas recte reuocat, re adhuc integra. Id quod ex natura mandati manifesto fluit. Vid. §. 9. *Inst. de mandat.* An et quando remittens litteras cambiales recte reuocet?

§. XVII.

Inter eum, cui iniuncta solutio, et exactorem vel praesentantem proprie non intercedit singularis contractus, quia praesentans remittentis, et acceptans trassantis mandatarius est, et hinc vterque omnia An inter eum, cui iniuncta solutio, et exa-

non

ctorem proprie intercedat contractus. non ex proprio, sed alieno negotio agit, ceu recte obseruat FRANCK. *Inst. Iur. camb. libr. I. sect. I. tit.* 4. §. 22. Simulac vero hae personae limites mandati egrediuntur, et acceptans e. g. ante diem solutionem promittit, nouam omnino ineunt conuentionem, quae constituti vel delegationis indolem redolet. Vid. RAPH. DE TVRRE. *de camb. dissert. II. qu.* 16. *num.* 57.

§. XVIII.

Tres conuentiones concurrunt, prima principalis, postremae accessoriae. Quae cum ita sint, verum omnino est, quod obseruauit TITIVS, *Iur. priuat. libr. X. cap.* 5. §. 4. tria negotia vel tres conuentiones hic concurrere, primam tamen tantum esse principalem, duas postremas minus principales et accessorias, quia non tam ad perfectionem, quam consumationem et exsequutionem negotii cambialis pertineat.

§. XVIIII.

An non aliquando alia negotia extra ordinem concurrant? Saepe tamen et alia negotia extra ordinem concurrunt. Nam (1. aliquando proxenetae de cambiis alieno nomine negotiantur, quo casu nouum mandatum intercedit. (2. Saepe cambium indossatur, vel alteri creditur: et tunc emtio venditio, mandatum, in solutum datio, donatio, vel alius qualiscumque contractus initus esse potest. Denique (3. quoties quis acceptat cambium in honorem litterarum, toties intercedit negotiorum gestio.

§. XX.

Conuentiones cambialibus adfines. Adsignatio quid? Quin sunt quaedam conuentiones cambialibus adfines, et quae ad earum naturam proxime accedunt; cum tamen sint diuersissimae. Eo inprimis pertinet *adsignatio*, quae est actus, quo qui soluere tenetur, alium a quo solutionem suo nomine accipiat, demonstrat. Ea, quod ad formulam attinet, cambio saepe tam similis est, vt facile incautos fallat.

§. XXI.

Adsignatio in quonam a cambio differat? Differt adsignatio a cambio, quia in adsignatione vnus mandat duobus, alteri, vt soluat, alteri, vt accipiat. *L.* 27. §. 2. *D. de legat.* 3. Deinde in adsignatione nec quatuor personae concurrunt, sed tres tantum, nec rigor cambialis obtinet, nec indossatio, nec protestatio in casu non praestitae solutionis. Vid. HOECKNER. *de litterar. cambial. indossam. cap. I.* §. 7.

§. XXII.

In adsignatione concurrunt adsignans, adsignatus, et adsignatarius. Tres vero istae personae, quae in adsignatione concurrunt, sunt (1. *adsignans* qui per alium soluit, et hinc etiam vocatur *der Ansgeber*; (2. *adsignatus*, qui alterius iussu, eiusque nomine soluit; ac denique (3. *adsignatarius*, cui ab adsignato soluendum est, tradita adsi-

adſignatione, quae apochae viciem ſuſtinet. Vid. STRYK. *Diſſ. de iure adſignationem inter mercatores*, §. 29.

§. XXIII.

Quid circa adſignationem iuſtum?

Schedula adſignationis adſignato in tempore repraeſentanda, eique praeſtita ſolutione relinquenda eſt, quippe quae tunc apochae vice fungitur. *Ordin. camb. Lipſ. art.* 24. Si adſignatus non ſoluit, non ideo liberatur adſignans, ſecundum paroemiam: *Anweiſung iſt keine Zahlung;* ſed adſignatario recurſus aduerſus eum patet: quo ipſo adſignatio a delegatione quam maxime diſtinguitur. Vid. §. 3. *Inſt. quib. mod. toll. oblig.*

§. XXIIII.

An poſſit reuocari?

Vnde facile intelligitur ratio, cur adſignatio ſemper et prohibita reuocetur, cum cambium regulariter reuocari non poſſit. KOENIGKE *ad ordinat. camb. Lipſ. art.* 25. *not.* 1. Immo et facile inde intelligitur, adſignatum obſtrictum non eſſe ad acceptandam adſignationem, niſi ipſe ſit debitor adſignantis, et dies debiti iam venerit. Vid. STENGER. *de adſignat.* §. 4.

§. XXV.

In quanam moneta adſignatio ſoluenda?

Sunt leges et conſuetudines quaedam topicae, quae et adſignationi paullo maiorem effectum tribuunt, veluti, quod in nundinis non praeſtita ſolutione adſignatarius proteſtari non teneatur, perinde ac de cambio non ſoluto. FRANCK. *Inſt. iur. camb. libr. I. ſect. III. tit.* 9. §. 13. Sed hoc ad exceptiones pertinet. Ad regulas contra referendum eſt, quod data adſignatione ſolutio in minore moneta praeſtari ſolet, niſi aliud liquido expreſſum ſit. Vid. KOENIGKE *ad ordin. camb. Lipſ.* §. 22. *not.* 4.

§. XXVI.

Quid ſit auallum?

Fideiuſſiones etiam quaedam ſimiles ſunt cambiis. Aut enim quis fideiubet ſeparatim, tradito inſtrumento fideiuſſionis, et tunc iuri cambiali aduerſus fideiuſſorem non eſt locus: aut in ipſis litteris cambialibus fideiuſſio latitat, et tunc fideiuſſor conuenitur proceſſu cabiali. Vocari ſolet haec fideiuſſio *auallum*, idque fit ſola ſubſcriptione litterarum cambialium ab vno conſcriptarum. Vid. SAVARY, *Negotiat. perfect. part. I. libr. III. cap.* 8.

§. XXVII.

Aualli differentia ab obligatione correali.

Hinc facile diſcernitur *auallum* ab obligatione correali, qua tenentur, qui ſe in ſolidum in cambio obligarunt: fideiuſſor enim, ſi debitor principalis ſoluendo eſt, tantum in ſubſidium; correus in ſolidum principaliter tenetur, ſiue alter correus ſoluendo ſit, ſiue non ſit.

§. XXVIII.

An fideiussio omnibus cambiis accedere possit?

Perinde vero est, siue quis in cambio proprio pro debitore; siue in trassato pro trassante, siue pro remittente, siue pro indossante, siue pro acceptante fideiubeat. Omnibus enim obligationibus ex quocumque contractu securitatis caussa accedere posse fideiussionem, ex ipso iure communi satis notum prouocatumque est. Vid. §. 5. *Inst. de fideiuss.*

§. XXVIIII.

Quinam pro cambio possint fideiubere.

Ceterum obseruatu dignum est, pro cambio fideiubere posse, quicumque possunt cambiare, excepto solo proxeneta, cuius fideiussio nullius momenti est, nisi quod in Gallia valet tamquam testimonium, quod recte sese habeat subscriptio debitoris principalis. Vid. SAVARY, *Negotiat. perfect. part. II. libr. III. cap.* 7.

§. XXX.

Litterae commendatitiae quid sint?

Aliquando cambiis accedunt *litterae commendatitiae*, quae mercatoribus vocantur *eine Addresse*, vel *eine Notiz*, et nihil aliud sunt, quam litterae, quibus tertius breuibus verbis rogatur, vt, si forte is, cui iniuncta est solutio, acceptare cambium recuset, ipse honorariam solutionem praestet. Hae litterae separatae schedulae inscribi, et acu litteris cambialibus adiungi solent.

§. XXXI.

Quid si acceptatio denegetur?

Negante ergo acceptationem eo, cui illa iniuncta est, exactor, praeuia protestatione, litteras cambiales vna cum commendatitiis praesentat tertio, eumque rogat, vt in honorem litterarum soluere velit; vid. FRANCK. *Differt. de acceptatione litterar. cambial. honor. causs.* §. 17. *pag.* 36. hic vero deinde declarat, acceptare velit, nec ne, ad quod tamen faciendum non prius obligatus est, quam dies venerit. Vid. PHOONSEN, *Stil. cambial. Amstelod. cap.* 24. §. 4.

§. XXXII.

An commendatio obliget tertium ad acceptandum cambium?

Cum vero commendatio nulla alterum inuitum obstringat: consequens est, vt, nec eius modi litterae obligent tertium ad acceptandum cambium, solutionemque praestandam. Quin ne declarare quidem voluntatem suam tenetur ante terminum solutionis. Denegata solutione vel acceptatione, protestationem sumtibus trassantis fieri iubet *Ordin. camb. Hamburg. art.* 20. idque etiam plerique doctores necessarium putant, quamuis dissentiat FRANCK. *Differt. cit.* §. 17. *not. f.*

C 4

CAPVT IIII.

DE LITTERIS CAMBIALIBVS. EARVMQVE CVRSV.

§. I.

QVomodo ex campsorum consuetudine concipiendae sint litterae cambiales vel tesserae collybisticae, iam supra obiter monuimus. Nunc ea de re ex instituto agendum erit accuratius, simulque de cursu litterarum illarum quaedam haud proletaria erunt monenda. Ratio ordinis.

§. II.

Litterarum cambialium partes sunt tres, I. *lemma*, II. *litterae* ipsae et III. *subscriptio*. In *lemmate* continentur (1. *votum*, (2. *locus*, vbi scriptum sit cambium, (3. *dies mensis*, et *annus*, ac denique (4. *summa pecuniae* exactori soluendae, expresso simul monetae genere. *Votum* in inuocatione Dei consistit, quae quam superflua sit, quaque cleri vafritie in omnia fere instrumenta irrepserit, eleganter ostendit THOMASIVS, tum ad §. 2. *prooem. Inst.* tum in *Differt.* elegantiss. *de natura precum indicarum*. Vnde et hodie saepe omittitur. Litterarum cambialium quot sint partes? Votum an sit necessarium?

§. III.

Magis necessaria est *mentio loci*, adeo, vt eius omissio cambium vitiet in Austria, et ducatu Brunsuicensi. Quamuis vero alibi locum impune omitti putet ZIPFEL, *von der VVechsel-Usance*, *pag.* 118. idque etiam iure communi recte se habere videatur, *L.* 21. *D. de obligat. et act.* merito tamen dissentit STRYK. *in Differt. de acceptat. litter. camb. cap.* 3. §. 3. Quomodo enim scire potest litterarum illarum possessor, in quem locum cum protestatione remittendae sint litterae cambiales, si in eo loci nulla fiat mentio? Mentio loci an sit necessaria?

§. IIII.

Sequitur *diei*, *mensis*, et *anni mentio*, duobus casibus necessaria, (1. quando id speciatim exigunt leges cambiales, veluti Austriacae, Prussicae, et Brunsuicenses, (2. quoties dies solutionis a die scriptarum litterarum computandus est, ab eoque currere incipit. Alias omissus dies contractum regulariter non vitiat. *L.* 5. *C. de transact.* Diei, mensis, et anni mentio quandonam necessaria?

§. V.

An summa zifris exprimenda?

Denique sollemne etiam est campsoribus sub finem lemmatis zifris exprimere summam soluendam, addito monetae genere, quo exactori sit satis faciendum: quamuis hoc requisitum vel ideo essentiale non possit existimari, quod summa postea in ipsis litteris cambialibus iterum exprimi solet.

§. VI.

Dies solutionis in ipsis litteris exprimendus.

In ipsis litteris primo omnium exprimendus est *dies solutionis*, et quidem in cambiis propriis specifice, in trassatis autem distinguendum, sintne feriarum, an platearum. In illis sufficit mentionem fieri nundinarum, in quibus fieri debeat solutio, quia dies solutionis tunc satis certus est; in his vero dies statuendus est certus, vel a datis, vel a visis litteris, vel secundum consuetudinem computandus.

§. VII.

Mandatum soluendi et precatiuis, et imperatiuis verbis exprimi potest.

Sequitur mandatum soluendi, quod perinde est, siue verbis precatiuis, vel imperatiuis exprimatur: eo enim seculo viuimus, quo cultiores gentium mores loquutiones imperatiuas respuunt. Vnde nec VOETIO adsentimur, qui *pag.* 195. debitori imperatiuis, nihil debenti precatiuis verbis solutionem mandandam esse putat, nec STRYKIO, qui in *Differt. de cambial. litterar. acceptat. cap.* 4. *num.* 22. existimat, cambia verbis precatiuis concepta esse reuocabilia.

§. VIII.

Cambio proprio promissio solutionis inferenda.

Si cambium sit proprium, facile intelligitur, loco mandati inferendam esse *promissionem solutionis*, quae ex vsu loquendi praesenti tempore exprimi solet: *zahle ich auf diesen meinen VVechsel*. vel: *gelobe ich zu bezahlen*. Immo plerumque haec promissio bis repeti solet, semel hoc loco, ac iterum sub finem litterarum verbis. *leiste zu gesetzter Zeit richtige Zahlung nach VVechsel-Styl, und nehme Gott zu hülfe*.

§. VIIII.

Mentio litterarum cambialium facienda.

Proxima est *mentio litterarum cambialium*, (*auf diesen meinen VVechsel-Brief*), quae verba adeo sunt necessaria, vt plures leges cambiales persequutionem collybisticam denegent ex schedula, in qua vocabulum cambii ne semel quidem occurrat, quamuis alii id superfluum, vel saltem implicitam cambii mentionem sufficere existiment. Vid. BERGER. *Elect. disceptat. forens. pag.* 706. et FRANCK. *Inst. iur. camb. libr. I. sect.* 1. *tit.* 6. §. 7. 8.

§. X.

Earum qualitas exprimenda.

Immo non modo litterarum cambialium generaliter fieri debet mentio, sed et earum *qualitas* exprimenda est, puta quod sint solae,
vel

vel primae, secundae, tertiae. Vbi tamen obseruandum, litteras primas et solas pure concipi solere, reliquas sub conditione, si primis vel secundis solutione nondum satisfactum fuerit.

§. XI.

Exactoris praenomen et nomen adiicienda.

Nec praetermittendum *exactoris praenomen* et *nomen*, vel ideo quippe necessarium, quod nemo ex litteris agere potest, cuius in illis nulla sit mentio. Quod adeo verum est, vt ne sufficiat quidem sola litterarum possessio, si inserta sit clausula: *an getreuen Briefs-Innhaber*. Exactoris nomini subiici solet: *oder dessen Ordre*, vel; *oder dessen Commiss*, quibus verbis significatur, exactorem etiam per alium, puta indossatarium, litteras offerre, et solutionem exigere posse, idque eiusdem vigoris ac effectus futurum, ac si ipse exactor eas obtulisset.

§. XII.

Summa soluenda est exprimenda, vt et monetae genus.

Hinc porro exprimenda est *summa soluenda*, quam leges quaedam cambiales, veluti Danica et Wolfenbutelana bis scribi iubent, semel litteris, et iterum zifris. Quamuis vero alibi alterutrum sufficiat: procul dubio tamen consuetudo prior laudatu dignior est, quia a litteris scriptis difficilius aliquid eraditur, quam in zifris. Denique et *monetae genus* exprimendum; quod nisi factum sit, monetae vulgares intelliguntur, quas vocant *courant*.

§. XIII.

Campsoris professio.

Tum sequitur *professio campsoris*, sibi iam esse satisfactum, id quod stilo collybistarum vocatur *valuta*. Haec plerumque exprimitur ita, vt (1. mentio fiat personae, a qua satis factum, (2. vocabulum adhibeatur, ex quo acceptio colligi possit, e. g. *Valuta vvohl empfangen*, *des VVechsels bin vvohl vergnügt*, (3. aliquando etiam ipse modus satisfaciendi exprimatur, e. g. *Valuta baar empfangen*, vel: *an VVechsel-briefen*, item: *Valuta in Rechnungen vvohl empfangen*, cet.

§. XIIII.

Sitne valutae mentio necessaria, nec ne?

Sitne *valutae* mentio adeo necessaria, vt omissio eius cambium vitiet, ex legibus cambialibus singulorum locorum iudicandum est. Eam omnino exigunt leges Russicae, Gallicae, Danica, et Wolfenbutelana: contra ea in *Lipsiensi* §. 3. legimus: *es sollen die VVechsel-Briefe einen VVeg vvie den anderen kraftig vnd gultig seyn, es mag der empfangenen Valuta, (vvie zvvar an ihm selbst billig vvare), darinnen gedacht seyn, oder nicht.* De eo tamen inter omnes conuenit, quod semel accepto cambio fieri debeat solutio, si valuta vel maxime omissa sit.

§. XV.

§. XV.

Litterae adusoriae seu spachium.

In cambiis propriis, vti iam §. 8. monuimus, plerumque sequitur repetita promissio solutionis, cum inuocatione nominis diuini: in trassatis contra acceptanti indicari solet, quo facto ipsi iterum sit satis faciendum. Hinc sollemnes formulae: *stelle es a Conto*, vel: *stelle es a Conto Herrn Mevii*, vel: *Soll mir validiren*, cet. Cumque non semper constet acceptanti, quomodo sibi a trassante sit satis faciendum: hinc adiici plerumque solent verba, *laut Adviso*. Litterae vero aduisoriae, quas et *spachium* vocant campsores Itali, sunt litterae, quibus certior fit acceptans, cambium esse a se trassatum, et quomodo sibi sit satis faciendum. Aliquando tamen non exspectandas esse litteras aduisorias acceptanti denunciatur, et plerumque colophonis loco additur benedictio.

§. XVI.

Subscriptio quomodo fiat? Sigilli vsus aliquis sit, vel non?

Ad *subscriptionem* quod attinet, a dextra praenomen et nomen trassantis, et aliquando fideiussoris, adscribi solet, cui nonnumquam etiam epitheton additur, e. g. *bereitvvilliger*, *dienstvvilliger*. Aliquando et ipsum soluendi mandatum repetitur, si forte trassans litteras sua manu non scripserit. Sigilli plane vsus nullus est in hisce litteris, quamuis et hoc aliquando addatur, maxime in cambiis propriis.

§. XVII.

Qualitas litterarum repetenda.

Ad sinistram subiicitur nomen acceptantis in datiuo casu, praemisso verbo honoris, et subiuncto vocabulo: *fautori*. Repeti etiam solet qualitas litterarum cambialium, vt statim appareat, solae istae sint an plures existent eiusdem generis.

§. XVIII.

At et vbi charta signata opus sit?

An charta signata opus sit, ex legibus singulorum locorum cambialibus diiudicandum est. In Saxonia adhibenda est eius modi charta, si cambia in ipsa prouincia manent: sin alio diriguntur, non requiritur charta signata. Idem hodie obtinet in prouinciis Prussicis, *Ordin. camb. de ann.* 1724. *art.* 2. cum olim mercatoribus ista necessitas plane remissa esset.

§. XVIIII.

An et ex cautione a mercatore mercatori data cambialis persequutio detur?

Tales esse oportet litteras, ex quibus actio cambialis potest institui. Lipsiae tam, Brunsuigae, & Dantisci mos inualuit, vt et ex cautione a mercatore mercatori data super mercibus creditis cambialis persequutio detur, modo summa debita, et certus solutionis dies illa exprimantur. Vid. Koenigk. *Adpend. ad Ordinat. cambial. Lips. pag.* 20. *seqq.*

§. XX.

§. XX.

Si debitor chirographum creditori dederit, eique inferuerit claufulam: *ich verfpreche hiermit die vorgefchoffene taufend Thaler nac VVechfel-Recht zu bezahlen;* vel *in entftehung promter Bezahlung gebe ich dem Herrn Glaubiger freye Macht und Gewalt, diefer Poft halber nach VVechfel-Recht wieder mich zu verfahren*, in Saxonia, aliifque locis, inde datur perfequutio cambialis, STRYK. *Differt. de accept. litter. camb. cap.* 3. §. 2. enim vero leges cambiales Prufficae id plane non admittunt. At et ex chirographo, cui claufula cambialis inferta?

§. XXI.

Haec de litteris cambialibus: proximum eft, vt de curfu earum paullo adcuratius agamus id eft, quomodo hae litterae fint dandae, praefentandae, acceptandae, foluendae, vel cum proteftatione remittendae, diftincte oftendamus. Primo itaque remittens aut paratam numerare pecuniam, aut dato interim cambio, quod ideo *interimifticum* vocant, vel cautione feu chirographo traffanti fatis facere tenetur. Nifi enim id fecerit, traffans, qui litteras cambiales fub fpe folutionis dedit, perfequutione cambiali adverfus illum poteft vti. Vid. *Ord. camb. Lipf. art.* 26. Connexio materiae. Quid circa remittentem iuftum?

§. XXII.

Numerata pecunia, vel dato cambio, quod interimifticum vocant, traffans fcribit tum litteras cambiales vel folas, vel plures, tum adviforias. Priores accipit remittens, pofteriores, ipfe traffans ad foluturum dirigit. Hic fi cambium fit platearum, remittens ante omnia obfervare debet, vt in tempore cambium ad praefentantem mittat, fiquidem alias omne damnum emergens ferre tenetur. Sufficere tamen fi paullulum ante tempus folutionis cambium praefentetur, pluribus refponfis tum ICtorum, tum mercatorum, oftendit LVDOVICI, *Introd. ad proceff. camb. cap. IIII.* §. 11. 12. Numerata pecunia, vel dato cambio quid fieri debeat?

§. XXIII.

Quid fi inftitor cambium traffarit ad dominum, hic vero bonis labatur? Tunc diftinguitur, dominine fidem fequutus fit remittens, an inftitoris. Hoc enim cafu aduerfus inftitorem regreffum habet, aliquando etiam finito officio: illo cafu ipfe damnum fentire tenetur. Cum vero parum conftet, vtrius fidem fequutus fit, id iureiurando ad liquidum perducendum effe, oftendit fententia a facultate Francofurtana concepta apud STRYK. *Cautel. contract. fect. II. cap.* 5. §. 19. Quid fi inftitor cambium traffarit ad dominum, bonis lapfum?

§. XXIIII.

Exactor litteras cambiales ad fe miffas traffato mature praefentat, rogatque, vt iftas honorare velit. Id fi hic facere detrectet, proteftatione opus eft, de qua paullo poft dicemus. Sin traffatus promittit, fe folu- Exactor quidnam facere debeat?

foluturum, acceptatio fieri debet, formula fubiecta litteris: *ich acceptire und verfpreche contente Bezahlung.* Aliquando inftitor acceptat tamquam mandatarius, idque fieri folet his fimilibufque verbis: *im Namen feines Patrons N. und in deffen Vollmacht acceptiret und verfpricht contente Bezahlung N. N.* Ceterum hodie prohibitae funt acceptationes, quae fiunt per figna, vel formulis: *ich habe es gefehen*, vel: *ich acceptire, um in der Zeit zu antworten*, de quibus vid. SAVAR. *Negotiat. perfect. part. I. cap.* 21. et STRYK. *Differt. de acceptat. litterar. cambial. cap. III.* §. 20. 21.

§. XXV.

Quid circa acceptationem puram et conditionatam fit iuftum?

Probe etiam attendendum eft, an acceptatio fiat pure, an vero addita claufula vel conditione. Illo cafu proteftatio quidem interponenda eft, fed conditio tamen illa tunc pro non adiecta habetur, nifi praefentans in illam diferte confenferit.

§. XXVI.

Acceptatio an tacite fieri poffit, et quandonam facta effe praefumatur?

Quaeritur, an acceptatio etiam tacite fieri poffit, quin et facta effe praefumatur? Hoc merito adfirmandum eo cafu, fi quis litteras cambiales aliquamdiu fecum retineat, nec quidquam aduerfus illas moneat. Qui enim hoc modo tacet, is confentire in acceptationem videtur. Vid. MARQVARD. *de iur. mercat. libr. III. cap. 9. n. 60.* STRYK. *Diff. de acceptat. litterar. camb. cap. III.* §. 21.

§. XXVII.

Num particularis folutio poffit promitti?

Nec permiffum eft traffato loco totius fummae partis folutionem in fe recipere. Si tamen promiffam particularem folutionem ratam habeat praefentans, et in ea promiffione adquiefcat, nec proteftationem interponat: valida omnino habetur illa particularis acceptatio. Qua in re inter leges cambiales tantum non omnes conuenire obferuauit LVDOVIC. *Introd. ad proceff. camb. cap. IIII.* §. 38.

§. XXVIII.

Cur proteftatio in hoc negotio tam fit frequens?

Ceterum cum hic variae perfonae contrahant, earumque quam maxime interfit, vt quae aduerfus auctorem fuum regreffum habent: non mirum fane eft, tam frequentem in hac negotiatione effe proteftationem, quippe quae conferuare dicitur ius proteftantis *L. 8. §. 6. D. de nou. oper. nuntiat.*

§. XXVIIII.

Quidnam circa feriarum cambiorum praefentationem iuftum?

Si cambia feriarum praefentantur, tunc traffatus aut cathegorice declarat, fe litteras non accepturum, vel ob defectum aliquem, e. g. quia litterae aduiforiae nondum aduenerunt, acceptationem denegat. Priore cafu ftatim interponenda eft proteftatio, domumque remittenda, nec

nec opus est, vt expectetur dies solutionis. Posteriore casu itidem interponitur protestatio, nec tamen ea domum remittitur, nisi finita prima hebdomade nundinarum. Si ergo interea adhuc se offert trassatus ad acceptationem, protestatio plane reiicienda est. Vid. *Ordin. camb. Lips. art.* 14. 15.

§. XXX.

Quid si mercator detrectans initio acceptationem, veniente tamen die nihilo minus solutionem praestet? Resp. tunc exactor illam recipere non tenetur, nisi trassatus simul restituat impensas in protestationem factas. Vid. *Ordin. camb. Francofurt. art. 9.* et *Lips. art. 6.* Quid si solutionem initio detrectans postea soluerit?

§. XXXI.

Extra nundinas quoque in protestationibus interponendis, domumque remittendis, summum in mora periculum est: praesentatae enim litterae cambiales saltim sex horis ante cursum publicum acceptandae, vel, si id non fiat, protestatio interponenda, eaque illico domum trassantis remittenda est. Protestatio extra nundinas quomodo interponenda?

§. XXXII.

Cum ergo, vti paullo ante diximus, rite factae protestationis is effectus sit, vt ius protestantis conferuet: consequens est, vt ea facta praesentans aduersus trassantem vel indossantem saluum habeat regressum ratione sortis, vsurarum, damnorum, et impensarum; ea vero neglecta, vel plane omissa, regressus iste omnino cesset. Quisnam protestationis effectus sit?

§. XXXIII.

Sed quae de cambiali protestatione adhuc dicta sunt, ea intelligenda de casu, si cambia vel feriarum, vel platearum in locum, vbi negotiatio collybistica feruet, remittantur, non aeque, si remittantur ad locum, vbi ista non feruet: tunc enim regressus etiam sine interposita protestatione saluus est. Vid. Koenigke *ad Ordin. camb. Lips. art. 7.* Quid si cambia remittantur ad locum, vbi negotiatio collybistica non feruet?

§. XXXIIII.

Fiunt protestationes non quidem ad acta, (quamuis si talis interponatur, illa procul dubio itidem rata esset, teste Zipfel. *de camb. sect. VI. pag.* 185.) sed adhibitis notario et duobus testibus, quibus praesentibus exactor cambium iterum praesentat, quo facto, negataque acceptatione, notarius declarat: *er wolle hiermit wider Trassirern des Wechsels, so wohl wegen nicht erfolgter Bezahlung, als auch wegen alles hieraus entstehenden Schadens, Unkosten, interesse, Wechsels und Wieder-Wechsels sollenniter protestiret haben.* Vid. Stryk. *Caut.* Protestatio quomodo fiat?

contract. sect. III. cap. 5. §. 17. Super eo actu deinde notarius conficit instrumentum, idque a se et testibus subscriptum tradit praesentanti domum remittendum.

§. XXXV.

An et diebus feriatis protestatio interponi possit?

Protestatio haec, quia non est actus contentiosae iurisdictionis, nec res moram fert, etiam diebus feriatis recte interponitur, nisi leges cambiales id diserte prohibeant. Prohibent autem leges cambiales *Brunsuic. art.* 23. *Norimberg. art.* 1. *Colon. art.* 1. et *Dantiscan. art.* 18.

§. XXXVI.

Protestatio quidnam operetur?

Protestatio haec fit denegata acceptatione. Ea facta, acceptans abscisse tenetur ad solutionem praestandam. Quod adeo verum est, ut recedere, voluntatemque mutare non possit, si vel maxime trassans interim foro cesserit, STRYK. *Diss. de acceptat. litter. camb. cap. IIII.* §. 1. *n.* 4. *seqq.* vel si in acceptatione errauerit. Vid. KOENIGKE *ad ordin. camb. Lips. art.* 13.

§. XXXVII.

Quid si solutio non fuerit sequuta?

Neque tamen ideo, quia trassatus litteras cambiales acceptauit, trassans illico liberatur, si sequuta non sit ipsa solutio. Hinc si acceptans ante solutionem foro cedat, praesentans regressum habet adversus trassantem vel indossantem. Vid. STRYK. *ibid. cap.* 4. §. 7. Sin alias ob caussas non soluat: in praesentantis arbitrio positum est, trassantem an acceptantem conuenire malit, quin alterutro conuento nihil impedit, quo minus consilium mutare, et aduersus alterum actione experiri possit. Vid. *Ordin. camb. Lips. art.* 20.

§. XXXVIII.

Regressus non est, nisi rite interponatur protestatio.

Neque tamen saluus est praesentanti ille regressus, nisi et hoc casu rite interponatur protestatio: id quod non solutis cambiis feriarum fieri debet ipso solutionis die, vsque ad solis occasum, nisi hora specialis legibus sit definita. Extra nundinas protestatio interponenda circumactis diebus induciarum, si tales conceduntur.

§. XXXVIIII.

Quid si in diem feriatum terminus solutionis incidat?

Si in diem feriatum incidat terminus solutionis: nec acceptans inuitus soluere tenetur, nec praesentans solutionem vrgere, vel protestationem interponere potest, sed exspectandus est dies sequens non feriatus, praeterquam *iur. camb. Augustan. art.* 4. quod solutionem protestationemue in cambiis Venetis ante diem feriatum iniungit.

§. XXXX.

§. XXXX.

Illud quoque notatu dignum, quod cum Christiani non nisi domi suae soluere teneantur, Iudaei solutionem in ipsis praesentantis aedibus, vel eius hospitio, praestare debeant, modo praesentans et ipse Christianae religioni addictus sit. Si id vltro non facit Iudaeus, Christianus potest interponere protestationem, etiamsi nulla praecesserit interpellatio. Vid. *Ordin. camb. Lips. art.* 12. *Brunsuic. art.* 25. *Francofurtan. renou. art. vlt.* — Quomodo Iudaeus rite soluat?

§. XXXXI.

Si acceptans est Christianus, pecuniam a se non exactam iusto tempore vel in iudicio deponere, vel obsignandam offerre potest, nulla licet praeuia citatione praesentantis. Quod et Iudaeo facere licet, si pecuniam domum praesentantis attulerit, neque eum vnquam reperire potuerit. Qua in re mirus est legum cambialium consensus. — Quid si acceptans sit Christianus?

§. XXXXII.

Quum vero iam saepe monuerimus, non praestita solutione, et protestatione interposita, regressum dari aduersus trassantem vel indossantem: sciendum est, tunc in libello peti solere: *in Rechten zu erkennen und auszusprechen, dass Beklagter Klagern wegen VVechsels, VVieder-VVechsels Senserie (oder Courtage), Prouision, und Unkosten zu befriedigen schuldig.* Vid. Lvdovic. *Introd. ad process. camb. cap. VI.* §. 8. Quare haec vocabula technica paullo adcuratius erunt explicanda: — Formula petendi.

§. XXXXIII.

Per *cambium* intelligitur ipsa summa, quae soluenda erat, nec tamen soluta est. *Recambium*, quod vocant *den VVieder-VVechsel*, *Ruck-VVechsel*, in eo consistit, quod praesentans non acceptatis litteris cambialibus pecuniam ab aliquo mutuam sumit, et pro ea cambium ad auctorem suum trassat. Cum vero id sine dispendio fieri nequeat: damnum illud omne repetitur sub nomine recambii. Vid. Koenigke *ad ordinat. camb. Lips.* §. 30. — Quid per cambium et recambium intelligatur?

§. XXXXIIII.

Synonyma sunt vocabula *senserie* et *courtage*. *Sensal*, vel *courtier* mercatoribus est proxeneta, adeoque *senserie* vel *courtage* idem est, ac proxeneticum. Itaque et hoc honorarium restituit trassans, quia frustra haec impensa facta est. — Quid per senserie et courtage?

§. XXXXV.

Per *prouisionem* intelligitur honorarium, quod acceptanti debet trassans pro solutione vel honoratis litteris cambialibus: quod plerisque locis est triens thaleri pro centum, id est, octo grossorum — Quid per prouisionem?

pro centum thaleris. Hoc ergo honorarium merito a praesentante repetitur.

§. XXXXVI.

Quid impensarum nomine veniat? Denique sub *impensarum* nomine repetuntur, quaecumque pro interposita protestatione, pro litteris transferendis, ac denique ob actionem in foro institutam continuatamque impensa sunt. Ex quibus patet, duram satis esse trassantis conditionem, cuius litterae cambiales interposita protestatione reuertuntur.

CAPVT V.

DE PERSONIS CAMBIANTIBVS.

§. I.

Cur cambia ad alias personas, quam mercatores prolata sint? CAmbialis seu collybistica negotiatio proprie ad mercatores pertinet: ideo enim tam rigida obligationis cambialis persequutio inter istos inuenta est, vt tanto tutius aliorum fidem sequi possent. Quia tamen hoc ipsum negotium ex variis conflatum est contractibus, quos et alii inire possunt, quin rei publicae intersit, promtam esse pecuniae debitae exsequutionem: facile patet, cur ista negotiatio et ad alias personas prolata sit.

§. II.

Principes comites, aliiue ill. recte cambia dant. Hinc cum et principes comites, aliique viri illustres et nobiles libere contrahant: consequens est, vt iidem et litteras cambiales dare, ex iisque recte conueniri possint. Id quod speciatim cauetur *Ordin. camb. Lips. art.* 1. nec non *Prussic. recent. art.* 4.

§. III.

In quibusnam personis rigor cambialis cesset? Contra non obscurum est rigori cambiali locum non esse aduersus impuberes et minorennes: illorum enim cambia plane nullius momenti sunt: his laesis competit beneficium restitutionis in integrum. Vid. MEV. *ad ius Lubec. libr. III. tit.* 6. *art.* 21. §. 26. Excepti tamen sunt minorennes, qui mercaturam exercent, quippe qui in rebus ad mercaturam pertinentibus non restituuntur in integrum. Vid. BRVNNEMANN. *Comment. ad L.* 1. *C. qui et aduers. quos restit. in integr. non est necess.* Vbi simul obseruandum, *iur. cambial. Prussic. recent. art.* 5. cautum esse, vt mercatores cambiantes anno aetatis vigesimo pro maiorennibus habeantur.

§. IIII.

§. IIII.

Eos, qui sub patria potestate sunt, litteras cambiales dare, iisque obstringi posse, plerique tradunt. Vid. TITII *Ius priuat. libr. X. cap.* 5. §. 10. Enimuero cum addant limitationem, *nisi id fiat in fraudem SC. Macedoniani:* haec regula hac exceptione vere absorbetur. Hinc pleraeque leges cambiales exceptionem SC. Macedoniani saluam esse iubent. Quod in Saxonia vniuersa obtinet, teste KOENIGKE *pag.* 151. nec non in terris Prussicis, per *Ordin. camb. art.* 5. denique Dantisci, *art.* 39. et plerisque aliis legibus cambialibus. Eos tamen filios familias, qui mercaturam exercent, hic quoque exceptos esse, vel ex ipso iure communi patet. Vid. *L.* 7. §. 11. *D. de SC. Maced.*

An ii, qui sub patria potestate sunt, litteras cambiales recte dent?

§. V.

Feminae in terris Brunsuicensibus abscisse iure cambiali tenentur. In aliis plerisque Germaniae prouinciis tum demum obligatae sunt, si mercaturam exerceant, reliquae iis locis, vbi curatorum consilio reguntur, sine horum consensu litteras cambiales dare nequeunt. Neque dubium est, quin beneficio SCti Velleiani fruantur, si pro aliis intercesserint.

An et feminae iure cambiali teneantur?

§. VI.

Quin ne sufficit quidem, mercaturam exercere feminam: sed oportet etiam litteras cambiales super negotio ad mercaturam pertinente datas esse. Id quod tamen in dubio tantisper praesumitur, dum contrarium a femina mercatrice probetur. Vid. CARPZOV. *Part. II. constit.* 15. *defin.* 16. *num.* 5. 6.

An exercitium mercaturae ad validitatem sufficiat?

§. VII.

Ceterum feminas, quae tamquam mercatrices cambialem obligationem contraxerunt, etiam abdicato eo vitae genere teneri, inter omnes constat. In eiusmodi enim negotiis potissimum ad initium contractus respicitur: nec occasio defutura esset mulieribus, exsequutionem cambialem eludendi, si obligatio mutato vitae genere exspiraret. Vid. LVDOVIC. *Diss. de muliere cambiante*, §. 30.

An et abdicato eo vitae genere teneantur?

§. VIII.

Quamuis vero nullum vitae genus regulariter liberet ab obligatione cambiali, et de clericis, quibus nulla cura animarum est, indubium sit, eos ex cambiis suis recte conueniri: pleraeque tamen leges eatenus rigore cambiali eximunt parochos, vt personali arresto non possint constringi. Pertinent huc *Edict. Saxon. de ann.* 1711. nec non *Ord. camb. Pruss. recent. art.* 7. vbi tamen legislatores simul poenam suspensionis vel remotionis minantur pastoribus et ludimagistris, cambio sese obstringentibus.

An aliquod vitae genus liberet ab obligatione cambiali?

§. VIIII.

§. VIIII.

An et opifices, rusticique rigori cambiali subsint?

Quum denique et opifices, et rustici alias valide contrahant: illos etiam cambiis suis obstringi, plerique censent; qua in re consentit etiam *Ord. camb. VVolfenbut. art.* 2. Enimuero *ius cambiale* in terris *Prussicis* receptum ab eo rigore eximit infimae sortis ciues, qui non negotiantur, nec non omnes ruricolas, *art. 6.* Id quod et in ducatu Altenburgensi omnino obtinet. Vid. Koenigke *l. c. pag.* 248.

§. X.

An et plures simul litteras cambiales recte dent?

Eo minus dubitandum, quin et plures simul litteras cambiales vel tamquam correi, vel sine correali obligatione dare possint. Quo posteriore casu beneficium diuisionis non obtinere, recte statuunt Berger. *Oecon. iur. pag.* 1173. Wernher. *Compend. iur. libr. III. tit.* 29. §. 7. et Franck. *Instit. iur. camb. libr. I. sect. I. tit.* 9. §. 15.

§. XI.

An et aduersus heredes cambialis persequutio competat?

Sed quaeritur, an et aduersus heredes rigida illa persequutio cambialis competat? Id quod merito affirmandum, adeo vt ne spatium quidem deliberandi, vel beneficium inuentarii heredibus indulgeatur, sed hi in continenti hereditatem repudiare vel exsequutionem cambialem pati teneantur. Vid. *Ord. camb. Pruss. art.* 18. et *Ord. indic. mercat. Lips.* §. 23.

§. XII.

An et quando mandatarii cambium acceptantes teneantur? Quid sit procura?

Cambia non quidem dari, sed acceptari tamen solent a mandatariis, speciali mandato instructis: et tunc mandantes non minus teneri, ac si ipsi has litteras acceptassent, nullum est dubium. Mandatum huiusmodi vocatur *Procura*, idque alicubi publice consignandum est: generale vero mandatum, quale habent institores, minime sufficit. Vid. *Ord. camb. Hamb. art.* 8. praeterquam Vratislauiae, vbi sufficit vxorem vel institorem cambium acceptasse. Vid. *Ord. camb. Vratisl. art.* 2.

§. XIII.

Quinam collybisticam facere possint?

Vidimus, qui iure cambiali obligentur: consequens est, vt qui collybisticam facere possint, dispiciamus. Id quoque non modo mercatoribus, sed et quibusuis aliis concessum est, praeterquam clericis, ob *c.* 15. et 16. *X. de vit. et honest. cleric.* nec non scholarum ministris et proxenetis, in quo leges cambiales tantum non omnes conspirant.

§. XIIII.

An et ii, quibus alioquin mercatura interdicta?

Et quamuis alioquin mercatura interdicatur ministris principum, nobilibus, militibus, doctoribus academicis, *L. vn. C. negot. ne milit. L.* 3. *C. de commerc. et mercat.*: ea tamen sanctio non stringit exercentes negotiationem campsoriam, quippe quam in sensu proprio et stri-

et strictiore mercaturam esse, plerique negant. Vid. STRACCH. *de mercatorib. part. I. num. 67.*

§. XV.

An et societates?

Itaque ne societates quidem tamquam personae morales collybisticam exercere prohibentur. Id tantum Lipsiae cautum est, vt tunc omnes socii nomina propria subscribant, cum alioquin receptum siti, vt sufficere videatur nomen appellatiuum, i. e. g. *Martell und Compagnie.*

§. XVI.

An et Iudaei?

Iudaei et arte collybistica lucrum prae reliquis adfectant, et nulla lege cambiali id facere prohibentur. In cambiis suis etiam ad alios Iudaeos directis rarissime vtuntur litteris Iudaicis: si tamen tales adhibuerint aliquando, ex iis actio cambialis non datur, nisi prius de litterarum istarum vero sensu constet. Quem in finem in consilium adhiberi solent viri earum litterarum periti, qui hasce litteras in vernaculam transferant. Quod et de aliis instrumentis a Iudaeo productis est obseruandum: Vid. WAGENSEIL. *Iudisch Deutsche Belehrung*, quae *Altdorfii* in forma *quarta* prodiit.

§. XVII.

Obligatio cambialis differt ab obstagio.

Obiter adhuc monendum, obligationem cambialem non confundendam esse cum obligatione ad obstagium, quo vtuntur nobiles Holsati. Quamuis enim in eo conueniant, quod vtroque casu debitores se obstringunt ad carcerem: in eo tamen differunt quam maxime, quod debitores obstagium vltro obire tenentur, ob cambium tum demum mancipandi carceri, si a iudice condemnentur. Vt iam non dicam, clausulam de obstagio nudis etiam chirographis ibi plerumque inseri solere. Vid. SCHILTERI *Diss. de obstagio.*

CAPVT VI.

DE OBLIGATIONE CAMBIALI.

§. I.

Connexio capitis cum antecedentibus.

QVibus ex contractibus conflata sit negotiatio collybistica, iam supra, quantum satis est, diximus. Ex singulis istis contractibus variae nascuntur obligationes singulares, quas actione cambiali persequi solent, nisi ob certam caussam exstincta sit. Quapropter hoc capite

capite partim de obligationibus, quae ex litteris cambialibus nascuntur, partim de modis, quibus exstinguuntur, agendum est.

§. II.

Quotnam ex proprio cambio nascuntur obligationes? Primo itaque ex cambio proprio tres nascuntur obligationes cambiales, (1. debitoris aduersus creditorem, (2. indossati aduersus creditorem indossantem, si debitor non soluerit, vel bonis lapsus sit, (3. debitoris aduersus indossatarium, ad soluendum cambium a se acceptatum. Quibus casibus omnibus rigidior illa exsequutio locum inuenit, sed non nisi ad summam debitam et impensas.

§. III.

Quot ex trassato? Obligatio remittentis. At in cambio trassato multo plures personae obligantur, adeoque et tanto plures obligationes inde nascuntur. Primo enim *remittens*, valuta non soluta, ad eam soluendam tenetur, et ex iure cambiali conuenitur: siue litteras cambiales interim dederit, siue chirographum, siue sine litteris contraxerit. Vid. *Ord. camb. Pruss. art.* 47. *Dantisc. art.* 1. *Vratislau. art.* 12. *Austriac. art.* 40. Vnde hoc debitum cambiale omnium maxime priuilegiatum est.

§. IIII.

Obligatio trassantis? Deinde vel maxime obligatur *trassans* tum remittenti; tum praesentanti, vel eiusdem indossatario, ad restituendam valutam, praestandamque indemnitatem, si trassatus vel non acceptauerit cambium, vel acceptatum non soluerit: quamuis utroque casu opus sit interposita protestatione, eaque neglecta obligatio ista omnino exspirat.

§. V.

Ex quo obligatio trassati nascatur? *Trassati* obligatio ex acceptatione demum nascitur, et tunc ille conueniri potest, tum a praesentante, tum ab indossatario, quamuis interposita protestatione in vtriusque sit arbitrio positum, aduersus trassatum agere malit, an aduersus trassantem. Id quod posterius vel ideo plerumque fieri solet, quia denegata solutio cambii iam acceptati plerumque argumento est euidentissimo, trassatum foro cedere, et iam soluendo non esse.

§. VI.

An trassatus a trassante conueniri possit, cambio non acceptato. Id quaeritur, an et trassatus a trassante conueniri possit, si cambium non acceptauerit, ac proinde illud vna cum interposita protestatione redierit? Id quod regulariter negatur, quia acceptatio, ceu supra diximus, est res meri arbitrii. Si tamen trassatus sit in aere trassantis, litterasque cambiales ad se transcribi voluerit, vel iam prouisionem,

quam

quam vocant, acceperit, in eaque adquieuerit, tunc eum ad indemnitatem praestandam esse obstrictum, nemo dubitauerit.

§. VII.

Is, qui cambium alicui ita cessit, vt valutam a cessionario receperit, huic semper obligatus est, si non soluta sit pecunia. Vnde indossatarius vel cessionarius, actionem cambialem instituit aduersus indossantem vel cedentem, ad summam cambialem cum impensis omnibus restituendam. *Aduersus quem indossatario vel cessionario competat actio?*

§. VIII.

Praesentans cambiali actione proprie non tenetur: attamen, si sit remittentis mandatarius, et in offerendo exigendoque cambio negligentius sese gesserit, a remittente recte conuenitur actione mandati ad damnum omne, culpa sua datum, resarciendum. *An et quatenam praesentans recte conueniatur.*

§. VIIII.

Qui in honorem trassantis litteras cambiales ad se non directas acceptauit, perinde ac ipse trassatus tenetur: Sed et ipse, praestita solutione, persequutionem ex cambiali iure habet aduersus trassantem, ad recuperandam summam solutam cum prouisione et impensis. Quem in finem haec acceptatio non aliter fieri solet, quam *sopra protesto*. *An acceptans in honorem trassantis obligetur, et quinam ei obligentur?*

§. X.

Praeterea iam supra diximus, aliquando et fideiussores accedere solere alterius obligationi: id vero vel in ipso cambio fit per eius subscriptionem vel auallum, vel extra cambium per singulare chirographum. Priore casu fideiussor tenetur iure cambiali, siue debitor principalis non soluerit, siue bonis lapsus sit. *Quid si fideiussores accedant?*

§. XI.

Posteriore casu si fideiussor extra cambium vel chirographo vel verbis sese obligauit, locus quidem est processui exsequutiuo, vel actioni ex stipulatu, non autem actioni cambiali.

§. XII.

Et hae quidem obligationes omnes, si semel litterae cambiales intercesserint, saluae sunt, quamuis postea litterae perierint, aut amissae sint, modo reus eiusmodi litteras adfuisse fateatur. Quo casu tamen ad solutionem non aliter condemnatur, quam vt actor cautionem de futura indemnitate praestet. Si reus neget, se ex cambio aliquo obstri- *Quid si litterae perierint, vel reus neget?*

strictum esse, actori incumbit probatio, et tunc ea adimpleta reus tenetur cambialiter, et praestita cautione soluere tenetur.

§. XIII.

An circa cambia et obligationes ex delictis oriantur.

Possunt et ex delictis oriri obligationes circa cambia, veluti si quis litteras cambiales falsas finxerit, vel genuinas raserit, alteri subtraxerit, rapuerit. Enimuero tunc persequutioni non cambiali, sed criminali est locus, et, si idonea adsint indicia, processus cambialis tantisper suspenditur, dum finita fuerit inquisitio.

§. XIIII.

Pertractata obligatione de eius solutione omnino agendum.

Hactenus de obligationibus, quae ex litteris cambialibus nascontur: proximum est, vt, quibus modis illae soluantur, paucis expediamus. Quemadmodum enim prior doctrina fundamentum praebet actionibus cambialibus: ita haec posterior ad exceptiones, quibus illae eliduntur, pertinet.

§. XV.

Primus modus, *praescriptio*.

Primus, isque potissimus modus tollendi obligationem cambialem est *praescriptio*. Quamuis enim Bononiae obligatio cambialis nullo temporis lapsu perimatur, teste FRANCK. *Instit. iur. camb. libr. II. sect. III. tit.* 3. §. 1. regulariter tamen obtinet praescriptio triginta annorum, cui Saxones annum vnum, sex hebdomadas, et tres dies adiicere solent. Vid. MEVII *Consil. postum. I. num.* 18. et LVDOVIC. *Introd. ad process. camb. cap.* 11. §. 23.

§. XVI.

At nullo breuius tempus praefigunt pleraeque leges cambiales: Lugduni enim ciues cambiis praescribunt anno, in reliqua Gallia quinquennio, eiusque praescriptionis hic effectus est, vt circumacto eo tempore solutio praesumatur, quamuis Ludodicus *XIIII.* rex solutionem illam debitoris iureiurando firmandam esse statuit. Vid. *Ordinat. mercator. tit.* 5. *art.* 71.

§. XVII.

Dantisci et Lipsiae litterae cambiales trassatae post quatuor hebdomadas; in ducatu Brunsuicensi post mensem pro solutis habentur. Vid. *Ord. camb. Dantisc. art.* 36. *Lipsiens.* §. 32. *VVolfenbutel. art.* 45. Propriis tantum non vbique obstat praescriptio annalis, veluti in terris Prussicis, ducatu Brunsuicensi, quin et in Austria, Dania, aliisque locis quamplurimis, catenus, vt ex eius modi litteris agi non possit cambialiter.

§. XVIII.

§. XVIII.

Quare vel maxime hic fingularum prouinciarum vrbiumque ftatuta confulenda funt, quippe quae in hoc capite vt plurimum difcrepant. Nam vt quifque legislator commercia florere, fidemque inter mercatores faluam effe maxime cupit: ita breuius praefcriptionis tempus lege ftatuere folet.

Cur ftatuta varia fint confulenda?

§. XVIIII.

Incipit haec praefcriptio a die folutionis, quippe a quo tempore in mora eft praefentans, vel, fi prorogatio fponte facta fit, a termino prorogato, vel denique vbi dies induciarum tractato conceduntur, iis demum elapfis currit praefcriptio. Vid. KVSTNER. *Diff. de menftrua et annali praefcriptione litterarum cambialium* §. 32. *feqq.*

Quando-nam incipiat praefcriptio?

§. XX.

Quamuis vero exceptio praefcriptionis perimat rigorem exfequutionis cambialis: non tamen illa fimul perimit ipfam obligationem. Nam etfi inde non datur actio cambialis, datur tamen proceffus exfequutiuus, vel, illo quoque exftincto, ordinarius. Vid. SCACCIA, *de commerc. et camb.* §. 7. *num.* 1. FRANCK. *Inftit. iur. camb. libr. II. fect. IIII. tit.* 3. §. 14. *feqq.*

Ea an totam obligationem perimat?

§. XXI.

Ipfe praefcriptionis curfus tum *prorogatione* a creditore vel praefentante facta, tum *renuntiatione* exceptionis praefcriptionis, tum *interruptione* per citationem, tum denique *interpellatione*, coniunctaque cum illa proteftatione fiftitur. Vid. VVILDVOGEL. *Refponf.* 197. *n.* 13. KVSTNER. *Diff. cit.* §. 57. et BARTHIVS. *Hodeg. forenf. cap.* 4. §. 24. 25.

Eius curfus quomodo fiftatur?

§. XXII.

Quae cum ita fint, fi in vllo negotio, certe in hoc, iura vigilantibus funt fcripta; nihilque facilius eft, quam vt nimiam modeftiam ac humanitatem fibi nociuam effe experiantur creditores. Vnde inter mercatores obtinet paroemia: *in Geld-Sachen gilt keine Freundfcaft.*

Cur in primis hic fit vigilandum?

§. XXIII.

Quemadmodum deinde iure communi obligationes *confufione* foluuntur, quia fieri nequit, vt quis fui ipfius creditor ac debitor fit, *L.* 65. *L.* 69. *D. de folut.* ita idem contingit circa obligationem cambialem. Eft vero *confufio* concurfus debiti et crediti, itemque obligationis principalis et accefforiae in eamdem perfonam. Ac proinde obligatio cambialis procul dubio exftinguitur, fi vel cambium proprium debitor, vel tractatum acceptans ex iufta cauffa adquifiuerit.

Secundus modus, *confufio*.

E 2 §. XXIIII.

§. XXIIII.

Quid si trassans satis fecit?

Quin et tunc confusione sublatum esse censetur cambium, quando trassans receptis litteris cambialibus remittenti vel indossato satisfecerit. Quo tamen casu trassato, si acceptatio jam sequuta sit, dimidia pars prouisionis, quam vocant, debetur. Vid. PHOONSEN *Consuet. camb. Amstelod. cap. XXVIII. posit.* 15.

§. XXV.

Quid si litterae cambiales ad indossantem redeant?

Quin si ad indossantem quoque litterae cambiales ex iusta caussa redeunt, deletis ab illo indossamentis intermediis, (id quod sine suspicione falsi fieri potest, obligatio cambialis omnis ratione reliquorum indossatariorum plane exspirat. Vid. KOENIGK. *ad Ord. camb. Lips.* §. 11. *adnot.* 6.

§. XXVI.

Quandonam ipso iure obligatio tollatur confusione?

Ipso iure confusione tollitur obligatio cambialis, quoties actione iam nata debitum et creditum in una persona concurrunt. Si enim nondum nata est actio, sed eius tantum spes aliqua affulget, confusio adesse non censetur. Quam distinctionem contra TITIVM et BARTHIVM fusius demonstrauit FRANCK. *Instit. iur. camb. libr. II. sect. IIII. tit. 2. d. §. 6. vsque ad §. 11.*

§. XXVII.

An confusio fit, si quis alieno nomine cambium exigat.

Omnium minime autem id pro confusione habetur, si quis cambium, e quo ipse obligatus est, vel alterius nomine et mandato exigit, vel, quod sibi debetur, alieno nomine soluendum suscipit, quia quod quid alterius nomine facit, ipse fecisse non videtur.

§. XXVIII.

Tertius modus, compensatio.

Solutionem esse modum tollendi obligationem cambialem vel maxime naturalem, facile patet. Cum vero ei aequiparetur *compensatio*: merito quaeritur, an et huic in negotiatione collybistica locus sit. Id quod merito affirmatur a STRENGERO, *de assignationibus mercatorum*, §. 27. FRANCKIO, *Instit. iur. camb. libr. I. sect. III. tit.* 7. §. 4. et LVDOVIC. *Introd. ad process. camb. cap. XI.* §. 31.

§. XXVIIII.

Quando locum habeat?

Tunc vero locus est huic compensationi, quando (1. vtriusque cambii dies iam venit, argum. *L.* 15. *D. de compensat.* (2. quando vtrumque debitum est liquidum. Liquidum enim et hic cum illiquido,

do, inuito creditore, non compensatur, ceu recte obseruauit FRANCKIVS, *ibid.* §. 6.

§. XXX.

Vocari haec compensatio solet *scontro*, vel *scontratio*, quae paucis verbis fieri solet in aedibus mercatorum publicis, praesentibus omnibus, quorum interest, et singulis rem notantibus in libro singulari, quem vocant *das Scontro-Buch*, vel *das Mess-Memorial*. Qui libri si omnes inter se conspirant, plenam fidem merentur in iudiciis mercatorum. Vid. *Ordinat. camb. Brunsuic. art.* 24. Scontratio quomodo fiat?

§. XXXI.

Compensationi etiam locus est, si litterae cambiales tertio cessae sint, quia cessionario etiam iure communi eaedem exceptiones recte opponuntur, quae cedenti obstant. Vid. *L. 2. pr. D. de heredit. vel act. vendit.* Id tamen in Saxonia per edictum de ann. 1699. eatenus restrictum est, vt indossatario obstet exceptio compensationis, si tantum mandatarius sit, non autem si dominium cambii sit consequutus. Vid. KOENIGKE *Adpend. pag.* 26. Compensationi quoque locus est, si litterae tertio sint cessae.

§. XXXII.

Quemadmodum porro iure communi et acceptilatione, et nouatione tolluntur obligationes: ita iisdem modis etiam cambiales soluuntur. Siue ergo creditor debitori remittat debitum, siue loco obligationis prioris noua constituatur, priorem vtroque casu exspirare, manifestum est. Quartus modus, *acceptilatio* et *nouatio*.

§. XXXIII.

Ceterum vel sine delegatione fit nouatio, vel cum delegatione. Quoties nimirum persona debitoris ita mutatur, vt tertius alterius obligationem expromittendo in se recipiat. Cuius postremae is effectus est, vt prior debitor liberetur, actioque nascatur aduersus expromittentem. Nouatio fit et sine, et cum delegatione.

§. XXXIIII.

Non autem fieri nouationem prorogato die solutionis, vel inde patet, quod tunc animus nouandi deficiat: hic vero nisi declaretur, nulla intelligitur nouatio. *L. vlt. C. de nouat. et delegat.* Non autem die solutionis prorogatio.

§. XXXV.

Si quis ratione officii litteras cambiales alicui dederit, finito officio ipse liberatur, simulque ius exigendi ex litteris cambialibus sibi datis amittit, *L. 1. C. quando ex fact. tutor. L. 25. C. de administrat. tutor. et curator.* Quae omnia tamen de eo casu intelligenda sunt, si ra- Quid si ratione officii quis contraxerit?

si ratione officii quis contraxerit: alioquin enim qui suo nomine campsauit, vel cuius fidem speciatim sequutus est creditor, obligatione minime exsoluitur, si vel maxime sese abdicauerit. *L. 9. C. de praed. et al. reb. minor. non alien. L. 15. D. de administrat. et peric. tutor.*

§. XXXVI.

Quid si fines officii excesserit?

Nec magis abdicatione ab officio obligatione cambiali quis liberatur, si fines officii excesserit, talemque susceperit negotiationem, quae ad id officium non pertineat. *L. 43. §. 1. D. de administr. et peric. tut.* Conf. Hvber. *Praelect. ad tit. D. quando ex fact. tutor.* §. 2.

§. XXXVII.

Quid si campsor foro cedat?

Sunt quidam euentus, qui ipsam quidem obligationem cambialem non perimunt, at solutionem tamen vel suspendunt, vel morantur, ac proinde mirifice turbant negotiationem collybisticam. Quo in primis pertinet casus, si campsor foro cedat, resque ad creditorum concursum redeat.

§. XXXVIII.

Num rescripta moratoria cambiorum exactionem morentur?

Concursum creditorum saepe antecedunt rescripta moratoria, quae et cambiorum exactionem regulariter morantur, praeterquam in Dania, vbi litteris moratoriis, quod ad cambia attinet, omnis plane effectus detrahitur. Vid. *Ordinat. camb. Danic. art.* 20. Non tamen eius modi rescripta temere concedenda sunt iis, qui luxu bona sua obliguriuerunt. Quin ne fortunae quidem iniuria bonis euersi ista facile impetrare debent, nisi adcuratam bonorum omnium designationem obtulerint. Vid. *Ordinat. cam. Pruffic. art.* 57.

§. XXXVIIII.

An creditoribus tunc currat praescriptio?

Impetrato eius modi rescripto, et labente induciarum tempore, creditoribus non currere praescriptionem, ex analogia iuris recte statuit Trevndeberg. *de rescriptis moratoriis, conclus.* 58. Cum vero alii dissentiant, et cambium interea nihilominus producendum, actionemque instituendam esse moneant, vid. Kvstner. *de menstrua et annali praescriptione litterarum cambialium*, §. 51. hoc consilium, tamquam tutius, merito eligendum est.

§. XXXX.

Debitor hoc rescripto vti potest, vel non.

Ceterum debitor huius modi consequutus rescriptum, adhuc optionem habet, eo rescripto vti, an bonis cedere, an soluere malit. Aliquando enim eius modi rescripto sese muniunt debitores, qui malam debitorum suorum fidem metuunt, deinde vero vbi hi soluunt praeter expectationem, rescripto moratorio renuntiant. Conf. Zoesivs, *ad tit. D. de cess. bonor. n.* 25.

§. XXXXI.

§. XXXXI.

Vbi res ad ipsum concursum redit: creditores cambiales, aeque ac reliqui, credita sua in termino liquidationis profiteri, litterisque cambialibus productis demonstrare tenentur. Eas litteras deinde contradictor vel agnoscit, saluis exceptionibus, vel iurato diffitetur.

Quid circa creditorum concurtium iustum.

§. XXXXII.

Cambio semel ad liquidum perducto, concursus succedit in locum debitoris communis, adeoque ad eadem omnia tenetur, quae a debitore, si soluendo esset, praestari deberent. Qin id praecipui habent creditores cambiales, quod reliquis debitori inducias concedentibus, aut aliquid remittentibus, ipsi inuiti consentire non tenentur. Vid. Rivin. *Enunc. ad process. ad Saxonic. tit.* 41. *num.* 12. 14.

Quidnam creditores cambiales prae reliquis creditoribus praecipuum habeant?

§. XXXXIII.

Quod ad prioritatem attinet, in dubio sequimur ius commune, nisi quod Bulsani et quibusdam aliis locis ciues peregrinis, et possessores litterarum cambialium nundinalium reliquis praeferuntur.

Num reliquis creditoribus praeferantur?

§. XXXXIIII.

Itaque regulariter creditor cambialis chirographariis accensetur, nec vllo praelationis iure gaudet. Attamen in Austria, Vratislauiae, Dantisci, et in prouinciis Prussicis proxime ab hypothecariis collocantur in classe quarta, omnibusque chirographariis praeferuntur. Vid. *Ordinat. camb. Austr. art.* 47. *Vratislau. art.* 35. *Dantisc. art.* 33. denique *Ordinat. hypoth. et concurs. Pruss. art.* 197.

Regulariter chirographariis accensentur.

§. XXXXV.

Nec interest in hisce prouinciis, clausula ne *sub hypotheca bonorum*, inserta sit litteris cambialibus, an ista desideretur; neutro enim casu inter hypothecarios collocantur creditores cambiales. Aliud tamen extra hasce prouincias obtinet; quamuis eius modi hypotheca iis locis, vbi immobilia extra acta oppignorari non possunt, solas res mobiles afficiat. Vid. Stryk. *Vs. hod. Dig. tit. qui potior. in pign.* §. 3.

An aliquid operetur clausula *sub hypotheca bonorum* litteris insertas?

§. XXXXVI.

Alicubi tamen, veluti Mediolani, litterarum cambialium possessoribus tacita hypotheca tribuitur, teste Nic. de Passerib. *de script. priuat. III. tit. de litter. camb. qu.* 2. *n.* 7. Id quod et in Gallia obtinet,

Alicubi tacitam hypothecam habent possessores

fores litterarum cambialium. tinet, quoties eius modi litteris subscripserit proxeneta. Vid. SAVARY *Negotiat. perfect. part. I. lib. III. cap. 7. pag.* 247. Quin et in Suecia et ducatu Brunsuicensi creditores cambiales proxime post hypothecas speciales iudiciales, et ante generales collocantur. Vid. *Ord. camb. Suec. art.* 26. *VVolfenbut. art.* 55.

§. XXXXVII.

Quid si valuta nondum soluta, vel pecunia sub spe accipiendi litteras cambiales fuerit soluta. Pinguiore tamen iure fruuntur, qui litteras cambiales, valuta nondum soluta, dederunt; nec non qui pecuniam sub spe accipiendi litteras cambiales soluerunt: eae enim litterae, iique nummi adhuc exstantes extra concursum iure dominii recte vindicantur. Vid. LVDOVIC. *Introd. ad processf. camb. cap.* 16. §. 2.

CAPVT VII.

DE PROCESSV CAMBIALI.

SECTIO I.

DE FORO COMPETENTE, ET ACTIONIS LIBELLO.

§. I.

Responsum laudum, et *parere* quid sint? ORta super cambio lite, saepe a forensi disceptatione ita nonnulli abhorrent, vt rem amice componere malint. Quem in finem compromittere solent in decisum vel ICti, quod *responsum*, amicorum, quod *laudum*, vel mercatorum siue singulorum, siue totius collegii, quod *parere* vocant.

§. II.

Quid circa ea iustum, et an consultum poenam conuentionalem adiici? Huic arbitrio tunc standum esse, vel ex ipso iure communi notum est, et quidem ex *L.* 5. *C. de recept. arbitr.* Nec minus exploratum videtur, ne appellationi quidem tunc locum esse. *L.* 27. §. 2. *D. L.* 1. *C. eod.* Attamen quia exsequendi facultate destituuntur arbitri, consultissimum erit, et hoc casu poenam conuentionalem stipulari compromittentes, ab eo, qui non pareat arbitrio, soluendam.

§. III.

§. III.

Quia etiam paullo rigidior est litigandi modus, qui in caussis cambialibus obtinet: non raro et iudices, et ipsa humanitas suadent, vt creditor non illico arma veluti corripiat, sed potius praestita idonea cautione debitori breues concedat inducias. An non breues induciae debitori concedendae?

§. IIII.

Vbi res ita ad liquidum perduci non potest, nihil superest, quam vt iudex adeatur. Tunc vero primo omnium quaeritur, quodnam sit forum competens? competens enim forum omnino requiritur, nisi vel debitor vltro sese obligauerit ad solutionem, vbicumque deprehendatur, praestandam, vel fuga eum aliquo abstulerit. Tunc enim, vbicumque deprehenditur, domicilium agnoscit. *L.* 27. §. 2. *D. ad municipal.* Forum requiritur competens.

§. V.

Forum yero *competens* vel *speciale* est, vel *generale*: hoc vnusquisque sortitur in eo iudicio, quod vel domicilii ratione, vel ob priuilegium agnoscit. Vnde ciues coram magistratu oppidano; academici coram rectore vel pro-rectore; nobiles in curia suprema, vel, si praefecturis subiiciantur, coram praefectis sunt conueniendi. Lipsiae tamen in nundinis ob nobiles constituta est *perpetua commissio*, id est iudicium delegatum compositum ex praefecto circuli et delegatis quibusdam e senatu vrbano. Id vel speciale est, vel generale. Quinam et vbi illud sortiantur?

§. VI.

Speciale est forum contractus, quod quisque sortitur eo loco, vbi vel praestanda est solutio, *L.* 21. *D. de obligat. et act.* vel cambialis obligatio contracta est, *L.* 2. *L.* 3. *D. de reb. auct. iudic. possid.* modo vtroque casu reum ibi deprehendat citatio. Si fugientis vel personam vel res impetrato arresto aliquis stiterit: locus etiam est foro arresti. Vid. LVDOVIC. *Introd. ad process. camb. cap. V.* §. 12. Quinam et vbi sortiantur forum speciale.

§. VII.

Quin aliquando principes singulare forum destinare solent caussis cambialibus, vel iudicii cuiusdam iuris dictionem ad huius modi caussas protogant. Quo casu foro illi subiecti non gaudent praescriptione fori vel exceptione primae instantiae. An non aliquando singulare forum habeant caussae cambiales?

§. VIII.

Primum, a quo initium capit lis cambialis, est libellus, non sollemnis ille quidem, sed summarius tantum; unde et actor *implorans*, reus *imploratus* vocari solet. Praecipue vero obseruandum, in libello eius Quid in libello actori praecipue obseruandum?

eius modi exprimendum esse, diem cambii iam venisse, et reum vltro solutionem noluisse praestare.

§. VIIII.

An semper libellus scriptus sit offerendus iudici?

Perinde vero est, scriptum libellum quis offerre malit, an actionem instituere verbis ore prolatis, quamuis prius et frequentius fiat, et multo sit commodius, siquidem alioquin libellus cum reo non potest communicari.

§. X.

An ex pluribus negotiis cambialibus possit agi?

Praeterea non interest, ex vno negotio cambiali quis agat, an ex pluribus, quod adeo verum est, vt et in Saxonia, vbi alias non nisi tres actiones cumulari possunt, ex pluribus cambiis possit agi. Vid. *Ordin. iudic. mercator. Lips. tit. 6.* verbis: *wenn gleich mehr, als drey Puncten.*

§. XI.

Quaenam documenta libello adiicienda?

Libello adiicienda sunt documenta, ex quibus agitur, et proprio quidem solum cambium, trassato vero et reliqua instrumenta, ex quibus probare actionem conabor, e. g. protestatio, apochae, cet. Haec omnia tantum descripta adiiciuntur libello, in termino autem recognitionis ipsa autographa producenda sunt.

§. XII.

Quidnam in conclusione cauendum?

Denique subiungitur conclusio vel petitum: vbi inprimis cauendum, ne actor petat litis contestationem; sic enim ex cambiali fieret processus ordinarius.

§. XIII.

Transitio ad cambia trassata.

Itaque quomodo libellus, quo cambium proprium producimus, ex eoque obligationem persequimur, concipiendus sit, ex iam dictis patet.

§. XIIII.

Quidnam circa libellum trassat. camb. sit obseruandum?

At plures circumstantiae inferendae sunt libellis, quibus cambia trassata persequimur, eaeque circumstantiae omnes adiectis documentis probandae sunt, ne actor ad processum ordinarium inuitus trahatur.

§. XV.

Cuinam offeratur?

Huius modi libellus offerendus est iudici, qui diem, quo oblatus est, vel in fronte, vel in dorso adscribit.

SECTIO

SECTIO II.

DE CITATIONE, ET TERMINO RECOGNITIONIS.

§. I.

Oblato libello iudex decernit citationem, quae plerumque fit sine scripto per adparitorem, reum paucis redditurum certiorem, qualis actio adversus illum instituta sit. Ea citatio, perinde ac scripta, omnes citationis sollemnis effectus habet, modo de ea facta ad iudicem referat adparitor, superque eo registratura, quam vocant, ad acta scripta sit. Citationis per adparitorem factae quinam sint effectus?

§. II.

Si quando scripta citatio decernitur, (id quod in iudiciis superioribus fere semper fieri solet,) ei adiungendum est apographum libelli, vna cum instrumentis libello adiectis. Aliquando tamen si de fuga suspectus sit reus, statim prehenditur, et in custodiam datur periculo et sumtibus petitoris. Quidnam circa citationem scriptam sit obseruandum?

§. III.

In eius modi citatione non obseruatur dilatio legitima, sed reus aliquando postridie, aliquando post biduum vel triduum adesse iubetur, nec locus est exceptioni termini nimis angusti: si tamen a curia suprema decernatur citatio, plerumque spatium laxius, e. g. quatuordecim dierum, reo indulgendum esse ipsa ratio suadet. An in ea obseruatur dilatio legitima.

§. IV.

Non comparentem reum actor accusat contumaciae, expensarum restitutionem repetit, et reum iterum citari petit sub poena recogniti et arresti personalis. Id quod statim decernitur, et, si denuo perseuerat in contumacia, interlocutio publicatur. Quid si reus non compareat?

§. V.

Comparente reo, actor vel eius mandatarius (nam ex parte actoris procuratorem admitti, nemo dubitat), reum prouocat ad recognoscendum. Comparente reo quidnam actori agendum sit?

§. VI.

Reus plerumque recognitionem variis oppositis exceptionibus dilatoriis a se amoliri conatur: sed eius modi exceptiones variis legibus cam- Reus quidnam agat numque ea-

ceptiones dilatorias opponere possit? cambialibus prohibitae sunt, velut *Prussica communi*, *art.* 11. et *Brunsuic. art.* 8. Si tamen opponantur exceptiones dilatoriae ad ipsam processus substantiam pertinentes, veluti legitimationis, iudicis incompetentis, reus omnino erit audiendus.

§. VII.

Quid si dilatoriis exceptionibus destituatur, peremtorias vero in promtu habeat.

Si exceptionibus dilatoriis destituitur reus, vel in illis nihil ponit fiduciae, contra vero exceptionem peremtoriam in continenti liquidam in promtu habet, tunc recte et ordine facit, si statim documenta recognoscat, subiuncta illa exceptione peremtoria.

§. VIII.

Quaenam exceptiones peremtoriae admittantur? et an iureiurando ad liquidum possint perduci?

Tales exceptiones peremtoriae admittuntur omnes, quae in continenti sunt liquidae, id est, quae ex instrumento quodam guarentigiato statim possunt probari, praeter exceptiones diuisionis et ordinis. Sed quaeritur, an non iurisiurandi delatione eius modi exceptio in continenti ad liquidum perduci possit? id quod pragmarici plerique negant, maxime in Saxonia, vbi id lege publica cautum est.

§. VIIII.

Num possit ad codicem suum mercatorium prouocare reus.

Multo minus reus exceptionem suam probaturus, prouocare potest ad codicem suum, (*auf sein Handels-Buch*). Eo enim priuilegio mercatores tantum vtuntur aduersus debitores suos, non aduersus creditores; et praeterea productio codicis semiplenam tantum probationem efficit. At, si reus probaturus exceptionem suam ad actoris codicem prouocet, isque in continenti producatur, probatio inde petita pro liquida, et regina omnium probationum habetur. Praeiudicium habes apud LVDOVIC. *Introduct. ad process. cambial. cap. XI.* §. 67.

§. X.

Quid si recognitionem litterarum cambialium simpliciter detrectet?

Saepe etiam contingit, ut reus recognitionem cambialium litterarum detrectet simpliciter, et se ad illas abiurandas paratum ostendat, quo casu ad prouocationem actoris respondere solet.

§. XI.

Quid si subscriptionem agnoscat, litteras vero a se vel iussu suo scriptas esse neget?

Quid si subscriptionem agnoscat reus, ipsas vero litteras a se vel iussu suo scriptas esse neget? tunc dispiciendum, an in continenti falsum aliquod probare possit reus, vel saltim indicium proximum huius criminis ostendere; an nihil adferat, quo falsum istud reddatur probabile: posteriore casu diffessio iurata non admittitur, priore admittitur.

§. XII.

§. XII.

Alias in processu exsequutiuo iurata diffessio nonnumquam impediri potest, recognitione per testes facta, aut instituta litterarum comparatione. Sed cum utrumque remedium sit altioris indaginis: illud in cambiis non admittitur. Vid. SCHWENDEND. *ad* FIBIG. *pag.* 739. *num.* 364. Praestita tamen solutione nihil impedit, quo minus periurium eius modi comparatione litterarum probari, de eoque in reconuentione quaeri possit. Vid. MEV. *part. VI. decis.* 278.

Num iurata diffessio in cambiis possit impediri?

§. XIII.

Quemadmodum in aliis processibus actor replicatione, reus duplicatione aduersarii allegationes euertere conatur: ita et in disceptatione caussarum cambialium idem obseruatur. Nec plures allegationes admittuntur in hisce prouinciis, etiamsi reus in duplicatione noua quaedam attulerit. Aliis locis ob noua allata rescissio conclusionis decerni, et actor ad triplicandum, reus ad quadruplicandum admitti solet.

Quot allegationes partium in cambiis admittantur?

§. XIIII.

Praeterea cum in hac disceptatione caussarum cambialium nulla admittatur exceptio, nisi quae in continenti liquido probari possit: facile patet, nec ea, quae replicando vel duplicando proferantur, altioris indaginis esse debere. Quam ob rem si in replicatione huius modi quid attulerit actor, reus duplicat ea, quae attulerit actor, altioris esse indaginis, ideoque ad ea attendendum iam non esse.

An in replicatione vel duplicatione exactiones altioris indaginis admittantur?

§. XV.

Iam ergo nihil superest, praeter sententiam. Antequam vero ea publicetur, partes plerumque consilia siue mercatorum, siue ICtorum, quae sibi profutura sperant, ad acta offerunt. Vid. LVDOVIC. *Introduct. ad processf. camb. cap. XII.* §. 3. Ea si altera pars admitti nolit, (siquidem regulariter post conclusionem in caussa nihil vltra admittendum est,) iudex finiendae istius litis caussa decernere solet, in posterum videndum esse, an admitti possint.

Quidnam ante sententiam fieri plerumque soleat?

* * * *
* * *
* *
*

SECTIO

SECTIO III.

DE SENTENTIA DEFINITIVA.

§. I.

Sententia quando feratur?

Caussa conclusa, ferenda est sententia, quae saepe in ipso termino; rarius, et nonnisi si caussa admodum perplexa sit, post aliquot dies fertur, quo casu citatione opus est ad audiendam sententiam.

§. II.

Quinam eam ferat?

Ordinarie ipse iudex vti in aliis caussis, quae celerrimae sunt expeditionis, pronunciat. Si tamen a reo cautio sufficiens praestita sit, vel in ea ipsa vrbe collegium aliquod iuridicum floreat, quod statim possit consuli, vel si ipsae partes petant, acta alio transmitti: id petentibus denegari non potest.

§. III.

Quid si acta ad facultatem aliquam iuridicam fuerint transmissa?

Acta ad facultatem aliquam transmissa, simul ac redierunt, statim decernitur citatio ad audiendam sententiam, cui simul inseri solet admonitio, vt si quid impensarum adhuc soluendum sit, simul in termino soluatur.

§. IIII.

Circa pronunciandi formulam quidnam obseruandum?

Formulae pronunciandi, pro diuersitate casuum variae sint, oportet. Aut enim in primo statim termino vadimonium sistit reus, aut citationi non obtemperat. Posteriore casu praeuia contumaciae accusatione, citatio noua sub poena recogniti decernitur, reusque in expensas condemnatur. Si ne sic quidem in nouo termino se sistit reus, non modo apprehensio personae potest decerni, verum etiam in ipso termino, praeuia accusatione contumaciae, sententia publicatur, cambium iam pro recognito habendum, reumque impensas soluere teneri.

§. V.

Reus se sistens quidnam faciat?

Sistens se reus aut recognoscit cambium, aut illud abiurat, aut neutrum facit. Si recognoscit, tunc aut exceptionem subiungit in continenti liquidam, aut illa est altioris indaginis. Priore casu absolutoria, posteriore condemnatoria sententia sequitur.

§. IV.

§. VI.

Si quis abiurauit cabium, itidem sequitur sententia absolutoria, quae tamen a superiore in eo differt, quod et alia decidendi ratio inferitur, et impensae ordinariae compensantur. Quid si quis cambium abiurauerit?

§. VII.

Denique si et recognitionem et diffessionem iuratam reus ex friuolis plane caussis detrectat: in his prouinciis nihil superest, quam vt lata sententia cambium pro recognito declaretur. Alibi tamen perinde est, ac si non comparuerit reus. Quid si recognitionem et diffessionem iuratam reus detrectet?

§. VIII.

Impensae, de quibus simul fertur sententia, vel *iudiciales* sunt, quae iudici, actuario, et adparitoribus soluuntur, et hae integrae, sine moderatione praestandae sunt: vel *extraiudiciales*, quae aduocatis solutae, vel in iter factae sunt. Hae semper indigent iudicis moderatione, cum fundamentum est cuiusuis iudicii lex sportularia. Impensas iudiciales et extraiudiciales quisnam praestet?

SECTIO IIII.

DE REMEDIIS CONTRA SENTENTIAS.

§. I.

QVi sententiam aliquam sibi iniquiorem esse putat, is in caussis tantum non omnibus vti potest remediis, tum suspensiuis, tum deuolutiuis. Quod adeo verum est, vt, et in caussis exsequutionis illis locus sit. In cambialibus tamen et difficilius admittuntur, et non nisi ea lege, vt vel reus condemnatus in custodia maneat, vel pecuniam, de qua litigatur, simulque certam summam in casum, si succubuerit, deponat. Vid. *Diss.* nostra *de pecunia in casum, si caussa ceciderint, ab adpellantibus, alioue remedio vtentibus, deponenda.* An et quamdonam in processu cambiali remedia suspensiua et deuolutiua admittantur?

§. II.

Ne autem huius modi remediis lis data opera protrahatur, *Recess. Imper. de ann.* 1654. §. 107. cautum est, ne illa exsequutionem impediant. Hinc reus nihilominus in carcere interea habitat, vel, si soluendo sit, pecunia ipsi per exsequutionem extorquetur, vel actori soluen- Cautio circa illa R.I. praescripta.

uenda, si cautionem de restituendo praestiterit, vel in iudicio deponenda.

§. III.

Quomodo adpellatio interponenda?

Si ergo adpellatio interponitur, id ex legibus *Brunsuicensibus art.* 4. statim, vel stante pede, vti vocant, fieri debet. Alibi admittitur schedula adpellationis intra decennium iudici prioris instantiae offerenda. Ea vero et sententiam grauantem, et grauamen ipsum, et prouocationem ad superiorem iudicem et postulationem denique apostolorum complecti debet.

§. IIII.

Apostoli refutatorii quandonam decernantur?

Quamuis vero, qui ad superiorem iudicem prouocat, plerumque apostolos tantum reuerentiales petat: iudex tamen fere semper *refutatorios* decernit, quibus ostendit, grauamen adpellantis admodum friuolum esse. Vocari illi solent *ein Bericht*.

§. V.

Adpellatio quomodo apud superiorem iudicem introducatur?

Acceptis apostolis intra constitutum tempus adpellatio apud superiorem iudicem introducenda est. Eum in finem offerri iudici oportet sententiam a qua, schedulam adpellationis, apostolos, et acta prioris instantiae, subiuncto petito, vt processus adpellatorii decernantur, et ad iustificandum praefigatur terminus.

§. VI.

Adpellatione introducta quidnam iudici superiori agendum?

Introducta adpellatione iudex superior expendit grauamina, et collatis actis prioris instantiae disquirit, sintne illa alicuius ponderis, an plane friuola. Tunc priore casu illico reiicitur adpellatio, et acta ad iudicem prioris instantiae remittuntur, interposito decreto. Posteriore casu decernitur citatio ad adpellatum, terminusque ad iustificandum praefigitur, simulque *inhibitoriales*, (et, si acta nondum transmissa fuerint, *impulsoriales*) expediuntur ad iudicem superioris instantiae.

§. VII.

Quidnam in termino iustificationis fiat a partibus?

In termino iustificationis partes plerumque sine scriptis prolixioribus verbis ore prolatis disceptant, nisi vel ipsae aliter inter se compromittant, vel iudex superior ob caussae difficultatem decernat, vt vtraque pars bina scripta alternatim ad acta offerat. Ceterum iustificatio et formalium et materialium fieri debet.

§. VIII.

§. VIII.

Huic iustificationi adpellatus opponit exceptiones, quibus, tum formalia, tum materialia oppugnat. Si in illis nihil neglectum esse animaduertit, rem committit iudicis arbitrio, et ad materialia potissimum respondet.

Iustificationi quidnam adpellatus opponat?

§. VIIII.

Exceptiones adpellati adpellans replicando elidere, replicationes vero huius duplicando euertere studet adpellatus. Vbi denuo ille tum formalia, tum materialia in tuto collocare, hic eadem quouis modo profligare conatur.

Exceptiones adpellati quomodo adpellans elidat?

§. X.

Iam nihil superest, praeter sententiam, quae super formalibus aeque, ac materialibus, nec non super expensis litis ferenda est. Si prior sententia confirmatur, simul remissio actorum decernitur ad iudicem prioris instantiae. Sin eadem reformatur, caussa manet penes iudicem superiorem.

Sententia super quibus ferenda?

§. XI.

Ab adpellatione, quod ad modum disceptandi attinet, parum discrepat leuteratio, reuisio, supplicatio, et cetera suspensiua remedia, nisi quod in iis cessant introductio et apostoli. Interponuntur itaque intra decennium, et, si iudex illa recipit, terminus ad prosequendum vel iustificandum petitur. Tunc vero eadem omnino fiunt, quae in adpellatione. Conclusa vero caussa acta transmittuntur ad collegium iuridicum.

Quandonam cetera remedia suspensiua sint interponenda?

§. XII.

Sed cum, vti iam diximus, in caussis cambialibus difficilius concedantur eius modi remedia, eaque exsequutionem non impediant; multo rectius sibi consulet reus condemnatus, si statim soluat, eoque facto exceptionem reiectam per modum reconuentionis proponat. Tunc enim locus est processui summario, et fieri potest, vt probata exceptione summam solutam feliciter recuperet.

An id consultum?

§. XIII.

Cum vero conuentio et reconuentio simultaneo processu hic non expediantur, et periculum sit, ne actor peregrinus, potita pecunia, forum rei fugiat: reus soluens, petere debet depositionem pecuniae in iudicio faciendam, donec aduersarius satis dederit.

Cautio quaedam reo commendata.

§. XIIII.

Finita reconuentione quidnam fieri debeat?

Finita reconuentione, ſi reconueniens exceptionem ſuam, prout decet, probauerit, ille ſummam ſolutam per ſententiam recuperat. Sin minus; reconuentus ab actione abſoluitur.

§. XV.

Exſequutio quomodo fiat?

Exſequutio rei iudicatae in cauſſis cambialibus ſit primum per apprehenſionem perſonae. Deinde vero, quia ſaepe haec cuſtodia actori aeque moleſta eſſe ſolet, ac reo, per immiſſionem in bona, eorumque diſtractionem, quo caſu primum ad mobilia, deinde, ſi haec non ſufficiant, ad immobilia, ac demum ad iura et actiones deuenitur.

INDEX

INDEX CAPITVM.

F I N I S.

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

IVRISCONSVLTI

DE VITA ET REBVS GESTIS

LVDOVICI GERMANICI IMP.

VNA CVM DIPLOMATARIO

OPVS POSTVMVM.

HISTORIA ET RES GESTAE. LVDOVICI GERMANICI.

LIBER I.

DE LVDOVICI NOMINE, NATALIBVS, EDVCATIONE, CONIVGIO, LIBERIS.

CAPVT I.

DE LVDOVICI NOMINE, COGNOMINIBVS ET TITVLIS.

§ I.

LVDOVICI Germanici, maximi potentissimique post hominum memoriam principis vitam et res gestas scribere adgredior: opus et euentuum magnitudine, et boni prauisque exemplis tam varium, vt inde sibi quisque, suaeque reipublicae, quod imitetur, foedumque inceptu ac exitu, quod vitet, capere posse videatur (*a*). Neque est, quod verear, ne in illustranda perpoliendaque hac historiae parte occupatus, actum agere cuiquam videar. Si enim a viro perelegantis ingenii, IO. HENR. BOECLERO (*b*) discesseris, vix quisquam adhuc repertus est, qui tanti viri memoriae consuluerit. Veterum autem tanta hic fuit incuria, vt, quum DAGOBERTI, SIGIBERTI, PIPPINI, CAROLI MAGNI et LVDOVICI PII res gestas per-

(a) Liu. I. *praef.*

(b) *Differt. hist. pol.*

permulti certatim memoriae prodiderint (*c*), soli fere LVDOVICO nostro defuere decora ingenia, quae illi eamdem operam nauarent. Si quod vero olim eius generis monimentum exstitit (*d*), illud cum aliis multis in tristi illo bonorum librorum naufragio periisse animaduertimus. Plures equidem exstant eorum temporum annales, quibus etiam, quod a LVDOVICO gestum est, memoriae proditum: sed praeterquam quod dispersa minus ad memoriam valent, tam contraria fuerunt scriptorum, qui tum floruerunt, studia, vt alii in CAROLI CALVI partem proniores plerasque LVDOVICI actiones suo praeiudicio damnent, alii, nostro paullo aequiores, tanto acrius in CAROLVM, tamquam gentis suae dedecus, inuehantur (*e*). Inter quae tam contraria iudicia id, quod verum est, reperire, quemadmodum difficillimum, ita nobis, qui amoris odiique caussas procul habemus, maxime curae fuit. Ceterum suscepti laboris hunc praecipue fructum iucunda animi praesensione praecepimus, quod eum illis, qui de genuinis regni Germanici ipsiusque iuris publici originibus sunt solliciti, non parum vtilitatis adlaturum, auguramur. Quod quidem an consequuti simus, alii viderint. Nos, ne verbosior sit praefatio, statim ad rem ipsam accingimur, primo hoc libro quaedam, quae ad ipsam LVDOVICI Germanici personam, nomen, cognomina, natales, educationem, indolem,

(c) DAGOBERTI gesta a S. Dionysii monacho scripta edidit Du Chesne *Script. rer. Francic. Tomo I. p.* 572. Apud eumdem *eodem Tom. I. p.* 591. exstat vita SIGEBERTI III. Regis, et *p.* 594. vita PIPPINI, Majoris Domus Austriae. CAROLI M. vitam plures scripserunt: vnus, qui illam ex Annalibus plebeiis, a Reginone quoque visis composuit, apud eumdem *Tomo II. p.* 50. alter Monachus Egolisinensis *ibidem p.* 68. et apud PETR. PITHOEVM inter *Scriptores XII. Hist. Franc. p.* 230 tertius S. Galli Monachus apud Canisium *Lect. antiqu. Tomo I. p.* 358. et Du Chesne *Tomo II. p.* 107. quartus Eginardus, cuius vitam post alios splendide edidit notisque doctissimis illustrauit Io. Hermannus Schminckius Trajecti ad Rhen. 1711. quintus Poeta Saxo, cuius annales a Reinero Reineccio primum editos et saepius recusos cum vetere codice MSC. contulit et *Tomo I. Script. rer. Brunsu. pag.* 120. inseruit Leibnitius. Non pauciores sunt, qui LVDOVICI PII vitam scripserunt. Exstat enim vita eius ab anonymo, sed coaeuo, quem astronomum vulgo adpellitant, scripta. Exstat Ermoldi Nigelli *Carmen de Rebus a Ludouico Pio gestis* ex codice MSC. Vindebonensi editum a Lud. Ant. Muratorio *Script. rer. Tomo II. Part. II.* Menckenio *r. Germ. et Sax. Tomo I. p.* 866. Exstant Thegani *gesta Ludouici Pii* itidem a Pithoeo inter *XII. Scriptores Hist. Franc. p.* 291. *sequ.* relata, et denique Theodulfi, Episcopi Aurelianensis *versu. de Ludouici Pio* apud Du Chesne *Tomo II. p.* 326.

(d) Vitam eius se scripturum promittit Monach. S. Galli de vita Caroli M. *Lib. II. cap. 9. edit. Habnii.*

(e) Exemplo esse possunt ANNALES FVLDENSES, quorum auctor, quum Fuldae, in Ludouici regno, scripserit *ad ann.* 875. CAROLVM CALVVM *Galliae tyrannum*; et hominem *lepore timidiorem; ad annum* 876. *stultum*, et *nouellum Sennacherib.* vocare non dubitat. At eumdem animi morbum passim prodit auctor ANNALIVM BERTINIANORVM, a Duchesnio *Tomo III. Script. rer. Franc. p.* 150. *sequ.* editorum, qui, quamquam paullo modestior, odium tamen in LVDOVICVM nostrum eiusque filios dissimulare non potuit. Illi saltim plus iusto indulsit, dum de LVDOVICO, Ludouici nostri filio, magnanimo profecto ac fortissimo principe, *ad annum* 882. scribere ausus: *Ibi nunciatum est Carolo, quia sobrinus suus, Ludouicus, Ludouici Germanici Regis filius*, INVTILITER SIBI ET ECCLESIAE AC REGNO VIVENS, *morti succubuit*. Quae sane non sunt historici, alieni a partium studio, sed Ludouico,

dolem, corporisque ac animi dotes: postremo ad eius familiam, coniugium, liberosque pertinent, praemissuri.

§. II.

Nomen LVDOVICI nostri commune cum LVDOVICO PIO, patre habuit, ob eamque caussam a THEGANO (*f*) aliisque eorum temporum scriptoribus plerumque *filius Ludouici Pii* AEQVIVOCVS, nec non *ei cognominis* (*g*), adpellatur. Id nomen, incertis adhuc, et parum excultis orthographiae regulis, non vno modo a veteribus litteris expressum, reperio. Nam in annalibus modo LVDOVICVS, modo LVDEWICVS, modo LVDOICVS, vel LODOICVS, in diplomatibus saepius HLVDEWICVS, HLVDOWICVS, h'LVDEWICVS, quin et CHLODEWICVS (*h*) aliquando vocatur. Asperior enim erat Francorum non minus, quam Alamannorum, pronunciatio, vt non modo vocales (*i*), sed et consonantes L. N. R. (*k*), ex infimo gutture protruderent, ac proinde vocabulis, ab aliqua harum litterarum incipientibus praefigerent H, siue simplex, siue duplex, vel ipsum asperrimum CH. Quemadmodum ergo inter Alamannorum nomina, quorum indices bene longos ex vetustis membranis MELCHIOR GOLDASTVS (*l*) eruit, occurrunt HLOTHARI, HRANFRID, HRVADBERT, HRVADGAER, HRVADIGART, HRVADOLT et similia, ita et frequentissimum fuit nomen HLVDOWICVS seu CHLODOWICVS (*m*), non a Francis demum inuentum,

sed

(f) *De gest.* Ludouici Pii *cap.* 30.

(g) *Monach. Sangallens.* Vit. Caroli M. *Lib. II. cap.* 8. *p.* 579.

(h) *Infra diplomate I. in subscript.*

(i) Hinc *Hebehardus* scribebant pro *Eberardus*: *Infra Dipl.* XX. XXI. LV. *Hemma* pro *Emma*: *Dipl. III. Hadebertus* pro *Adelbertus*: *Dipl.* XII. XIIII. XV. Similia sunt *habent*, pro *abent*, vespera, apud Notkerum *Psalm.* LIIII. 18. *hubil* pro *ubel*, malum, *here* pro *ere*, honor, *in gloss. Keron.* Immo iam olim vetustissimos Germanos pro *erde*, terra, dixisse HERDAM, vel HERTHVM, patet non modo ex Tatiani *Harmon. cap.* 75. 41. verum etiam ex ipso Tacito *de mor. Germ. cap.* 40. Atque inde illustrari potest locus insignis Auctoris astronomi in vita Ludouici apud Pithoeum *in Script. XII. Hist. Franc. p.* 426. Refert ibi, Ludouicum Pium morti proximum, *conuersa facie in sinistram partem indignando quodammodo, virtute quanta potuerit, dixisse bis*: HVZ, HVZ, *quod significet* FORAS, FORAS, *indeque patuisse, quia malignum spiritum viderit*. Illud vero HVZ non aliud est, quam Germanicum AVS, vel us, pro quo nos hodie dicimus HERAVS vel HINAVS, et quod apud Keronem scribi VZZE vel VZZANA, observat Schilter. *Thesaur. Antiqu. Teut. Tom. III. p.* 822.

(k) Litterae L adspirationem saepissime praefigebant scribentes HLAVFFAT pro *lauffet*: HLID pro *lid*: HLVT pro *lut* vel *laut*. Aliquando H est ante litteram N, velut quando HNEIGEN scribunt pro *neigen*. Nec minus litterarum caninam more Graecorum adspirant, scribentes HREIN pro *rein*: HRVFFEN pro *ruffen*. Vid. Schilter. *Glossar. his vocibus*.

(l) *Rer. Alamann. Tomo II. p.* 100. *sequ. et p.* 124. *sequ.*

(m) Non ergo diuersa, sed eadem, sunt LVDOVICI, CHLODOVAEI et HLVDEWINI nomina. Nam apud Cassiodor. *Var. II.* 41. *et* [illegible] Theodericus, Gothorum Rex [illegible] Francorum Regem vocat LVDOVICVM, vti in quibusdam Codicibus legit Guill. Fornerius [illegible] et magnum illum regem S. Remigius in Testamento apud [illegible] *pulla Remensi cap.* [illegible] et Hermannus Contract. [illegible] vix alio, quam LVDOVICI, nomine insigniunt

gniunt

sed iam antiquissimis temporibus Gallis Germanisque familiarissimum, ac proinde dignum, cuius veram notionem paullo accuratius inuestigemus.

§. III.

Nimirum IVLIVS CAESAR (n) aliquoties meminit LITAVICI cuiusdam, nobilis adolescentis, et Aeduorum iuuentutis principis, quem IVLIVS CELSVS (o) LITAVICTVM, Graecus CAESARIS interpres ΛΙΤΑΒΙΚΟΝ adpellitat. Id uero ipsum LVDOVICI nomen esse, recte obseruauit Io. ISAACVS PONTANVS (p). Quamuis ergo, id nomen vere Celticum, vel Germanicum esse, certissimum videatur, tanta tamen primaeue istius linguae paullatim facta est mutatio, vt Celtici istius vocabuli originem hodie non nisi diuinando adsequamur. Inquisiuit in eius originem ERMOLDVS NIGELLVS (q), sed ita, vt se poetam esse meminerit, sibique quidlibet audendi fingendique aequam semper potestatem esse debere existimarit. En enim hominis vigilantis somnia:

Nam HLVDOVICVS *enim* LVDI *de nomine dictus,*
  LVDERE *subiectos pacificando monet.*
Seu quis Franciscam mauult resonare loquelam:
  Nominis vt possit noscere notitiam:
Nempe sonat HLVDO *praeclarum:* WICH *quoque Mars est,*
  Vnde suum nomen composuisse patet.

Sed prior etymologia lusus ingenii est. Ludit enim NIGELLVS, dum a *ludo* arcessit nomen Germanicum, quum a nominum Latinorum vsu Franci quam maxime abhorruerint. Posterior, vtut paullo verisimilior, non magis tamen priore vera videtur. Neque enim HLVDO Francis erat *praeclarum*, sed HLVDER vel HLVTER, (r) idem, quod nostrum

gniunt. Quin ipse Ludouicus Pius se Chlodouaeo cognominem esse profitetur apud Flodoard. *Hist. Rem. lib.* II. Nec a LVDOVICI vel CHLODOVAEI vocabulo differt nomen CHLODIO, vel vt Sidonius Apollinar. in *Paneg. Maiorian. Aug. v.* 210. scribit CLOIO. Quemadmodum enim apud Goldast. *Rer. Alam. Tomo. II. p.* 96. *sequ.* ALLO est adbreuiatum ex *Aluuich*, ALTO ex *Altirich*, BERTO ex *Bertrich*, EBO ex *Eberuuic*, GEILO vel KEILO ex Gerfuuich vel Keiluuich, HATTO ex *Hadeuuic*: ita et CHLODIO ex *Chlodouaeus*. Immo ex adbreuiato illo CLOIO nata esse hodierna nomina *Clouis* et *Louis*, suspicatur Io. Isaac. Pontanus *Orig. Franc. Lib. III. cap.* 7. *p.* 242.

(n) *De bello Gall. lib. VII. cap.* 37. *sequ.*

(o) *Vit. Caesar. lib. III. p.* 209. *edit. Graeuii.*

[p] *Orig. Francor. lib. III. cap.* 7. *p.* 242.

[q] *De gestis Ludouici Pii lib. I. v.* 45.

[r] Pluribus id exemplis demonstrauit Schilter in *Glossar. Teut. p.* 461. et 556. Inde est nomen HLOTARIVS, quamuis sint, qui illud a LIVTI, *leute homines*, et HERR, *dominus* deriuare malunt. Vid. Diecmann. *Specim. Glossar. Latino-Theot. p.* 38. *sequ.* Vtcumque se res habeat: est et hoc nomen vere Celticum et iam olim Gallis familiare. Nam apud Liuium *lib. XXXVIII. cap.* 16. inter principes Gallorum in Asiam migrantium est quidam LVTARIVS. Alium in ipsa Gallia deprehendimus temporibus IVLII CAE-

nostrum *lauter*. Inde vero non LVDOWICI, sed LVTERVICI nomen nasceretur (*s*). Sed ERMOLDVS, vt Ludouicum suum pace belloque magnum esse ostenderet, id ipso nomine innui lectori persuasit, vsus argumento notationis, malo poeta, quam bono historico, digniore. Sunt, quibus id nomen a vetere HLOT *propago* et WICH, *ciuitas* compositum videtur (*t*), vt LVDOVICVS idem sit, ac *palmes ciuitatis vel reipublicae*. Nobis, quibus in etymologiis omni acumine potior est simplicitas, nomen istud ex LIVTI vel LEODE, quod *homines*, et VVIC, quod *castellum* denotat, conflatum videtur, vt adeo idem sit, ac *castellum* vel *perfugium hominum* (*u*). Maiores enim nostros magnopere delectatos fuisse nominibus, quae locum aliquem munitum, tutissimumque refugium significant, exemplis quam plurimis mihi compertum est (*x*): et nomina vtriusque sexus, desinentia in WIC vel VVICH, hac posita significatione quam commodissime possunt explicari (*y*). Nec potuissent profecto parentes liberos, maxime reipublicae

CAESARIS, apud quem *lib. VII. de bello Gall. cap.* 5. memoratur LVTERICVS, Cadurcus, Hirtio *lib. VIII. cap.* 32. *et* 34. LVTERIVS, Iulio Celso *Vit. Caes. p.* 96. LVTHERIVS, Liuio denique LVTARIVS, in quibus omnibus vocabulis *Lotharii* nomen nemo non deprehendit.

[s] Attamen hanc ERMOLDI etymologiam iuuari quodammodo posse fatemur, si pro *hludo* substituamus LIOTH, quod *lucem* significat. Otfrid. *in Euangel. lib. I. cap.* 15. *v.* 38.

LIOTH *thaz thar scinit*.
Inti allauuorolt rinit.
Lux, quae lucet, et omnem mundum illuminat.

Et *lib. II. cap.* 2. *v.* 21.

Ni uuas er thaz LIOTH, *ih sagen thir ein*,
Thaz thar then liutin inscein.
Non erat iste ita lux, [*vt semel dicam*] *vt populis, illucesceret*. Sic vero LIOHTEWIC non male dici posset *bello praeclarus*. Io. Georg. Eccard. *Hist. stud. etymolog. p.* 38.

[t] Schilter. Thesaur. antiqu. Teuton. *Tomo III. p.* 461.

[u] Diecmann. Specim. glossar. Lat. Theot. p. 38. et Tilius apud Ang. de Nuce not. ad Chron. Cassin. p. 116.

(x) Terminationes nominum propriorum, tum masculinorum tum femininorum, frequentissimae sunt BVRG. *castellum*, STEIN, *petra*, WART, *specula*, DVRVN, *turris*, STET, *urbs*, LVOG, *specus*, BERG, *mons*, quae omnia tuti perfugii notionem inuoluere videntur. Hinc a BVRG. est *Walpurg*, a STEIN *Insteen*, *Ruastein*, a VVART *Antuuart*, *Burcuuart*, *Egiluuart*, *Gaganuuart*, *Hadauuart*, *Heriuuart*, *Marchuuart*, *Paldeluuart*, *Pernuuart*, *Richuuart*, *Roaduuart*, *Sneuuart*. A DVRVN *Cunduron*, *Halbduring*, *Helidor*: a STET *Liestet*: a LVOG, LVCH, LAVCH, LOH vel LVC *Cadaloh*, *Dheotaloh*, *Ebarloh*, *Folchelob*, *Fridaloch*, *Herolog*. *Helemlog*, *Keiloh*, *Lantaloch*, *Otoloh*, *Ratloh*, *Reginloch*, *Ruadloh*, *Theotaloh*, *Thentoloch*, *Thietloh*, *Wolkelohe*. Denique a BERG, BIRG vel BRIG *Amalperg*, *Elidpirch*, *Madalbirg*, *Sigibirch*, *Tjanbirc* et cetera, quae omnia ex solo Goldasto *Rer. Alam. Tomo II. p.* 120. *sequ.* excerpsimus.

(y) Erat haec terminatio nominibus virorum mulierumque communis. Masculina nomina sunt *Adauuich*, *Aleuuic*, *Eberuuic*, *Ediluuic*, *Erluuic*, *Fridouuic*, *Hartuuic*, *Hiltiuuic*, *Perenuuic*, *Reduuic* *Rodouuic*, *Seluuich*, *Thiennuih*: feminina *Adaluuic*, *Alekernuich*, *Engiluuic*, *Folcuuic*, *Immuuich*: communia masculis feminisque *Gelluuich*, *Heiluuich*, *Keiluuich*, *Hatuuig*, *Hirminuuich*, *Keruuic*, *Otuuic*, *Reginuuich vel Raganuuich*, *Rantuic*, *Ruaduuig*, *Sogeuuich*, *Thiotuuic*. Quemadmodum, ergo ALEWIC est *refugium omnium*, FOLCWIC, et THIOTWIC *refugium populi*, GEILWICH, HEILWICH et KEILWIC *refugium excelsum*, OTWIC *refugium praestantissimum*, ADALWIC vel EDILWIC *ciuitas nobilium*, ENGILWIC *ciuitas angelorum*, FRIDOWIC *ciuitas pacis*: ita LVDOWIC a *liuti* vel *Leode* et *vvic* vel *vvich* commodissime exprimit *refugium hominum*.

cae destinatos, concinniore nomine admonere officii (z), quam dum eos LVDOVICOS, id est, perfugium hominum, et quemdam veluti miserorum portum esse oportere docuerunt.

§. IIII.

Quum vero LVDOVICVS noster alter esset ex Carolidarum familia, qui id nomen ferebat: fieri sane non poterat, quin varia inuenirentur cognomina, quibus a patre eiusdem nominis discerneretur. OTFRIDVS (a) eum ideo *alterum*, vel, vti olim Romani alia occasione loquebantur, *iterum Ludouicum* vocat, verbis:

So ist der selbo edelin,
Thar heizit AVVR LVDOVVIC.

Sic est ille ipse nobilis,
Qui vocatur ITERVM LVDOVICVS.

Ex eadem ratione auctor chartae Alamannicae apud GOLDASTVM (b) ei IVNIORIS cognomen tribuit, quamquam id postea filio illius magis conuenire visum sit. Reliqui scriptores plerique, cum veteres, tum recentiores, eum GERMANICVM, vel GERMANORVM REGEM (c), quasi amplissimi istius regni conditorem, adpellitant: quamuis tum Germania frequentius FRANCIAE ORIENTALIS nomine veniret, eoque non modo ipsum LVDOVICVM nostrum in diplomatum subscriptionibus, verum etiam OTFRIDVM in epistola nuncupatoria vsum esse animaduertamus. Hic sane Germanorum Ennius et epistolae illi praemittit elogium: LVDOVICO ORIENTALIVM REGNORVM REGI SIT SALVS AETERNA, idque in ipsa dedicatione duplici acrosticho exprimit, et postea diserte ait (d):

Et

(z) Erant Francorum nomina [illegible] et maximam partem ita composita, vt illis insigniti officii sui admonerentur. Quod vt denuo exemplis paucis, iisque perspicuis, et ab hodierna dialecto parum discrepantibus, demonstrem. filias nomine ADALWIB vel ADALWIF admonebant, vt dignos *nobili matrona* mores ostenderent: nomine ADALTRVD, vt pro eo, ac nobilem deceat, fidem seruarent: nominibus ENGILWIB, ENGILHILT, ENGILMVT, ENGILMVND, vt gratia, venustate, morum orisque suauitate angelis similes esse studerent: nominibus FRIDILIVBA et FRITWIF, vt pacis inprimis domesticae essent amantes. Quin vt et patriae caritatis admonerent liberos, quibusdam imposuerunt nomina, ab ipsa patria desumta, qualia sunt FRANCO, vel FRANCHO, FRIESO, SAXO, SWAN vel SVAB, SWABINC, SWABIZHO, SWABOLT, SVABIN, SVABAHOLT, SWIDKER. SVIDIRICH, SWIDPVRC, SWIZA. Denique quid aliud voluit nomen WIRTIN feminae impositum, quam vt se matremfamilias esse debere, identidem cogitaret?

[a] *Praefat. euangel.* v. 35.

[b] *Rer. Alamann. Tom. II. pag.* 47. *Add. Tradit.* Wethin. *apud* Leibnit. *Tom. I. Script. rer. Brunsuic. p.* 118.

[c] *Annal. Bertiniani ad ann.* 845. *et sequ.* 853. 861. *et passim.*

[d] *Praefat. ad* Ludou. v. 8.

Er OSTARRICHI *rihtit al,*
So Franckono Kuning scal.
Is ORIENTALE REGNVM *regit omne,*
Prout Francorum regem decet.

Vbi OSTARRICHI esse prouincias, quae cis Rhenum in Francorum ditione erant, quaeque iam sub Merouingis corrupto vocabuli sono AVSTRIAE vel AVSTRASIAE nomine veniebant (*e*), palam est. At ipse LVDOVICVS initio diplomatum suorum nullo vtitur titulo *διακριτικῷ*, sed simpliciter se LVDOVICVM *diuina fauente gratia Regem*, more istius saeculi, adpellitat, praeterquam quod, superstite patre *Regis Boiariorum* titulum praetulisse (*f*), eodemque fatis functo annos, quibus huic vel illi regno praeesse coeperit, in fine chartarum numerasse aliquando legitur (*g*).

§. V.

Acrius inter se contendere video eruditos, an IMPERATORIS AVGVSTI vel CAESARIS titulum vel ipse sibi tribuerit LVDOVICVS noster, vel ab aliis sibi passus sit attribui? Eam enim quaestionem inter viros doctos, qui famosum istum Parthenonis Lindaviensis diploma vel vindicare a *νοθείας* suspicione, vel argumentis luculentissimis damnatum proscribere conati sunt, quam diutissime agitatam esse nouimus. Enimuero vti hanc litem nostram iam non facimus: ita, quae ipsa eorum temporum monimenta nobis sufficiunt argumenta, paucis hic delibare iuuat. Primum itaque certum omnino exploratumque est,

(e) Nec tamen ideo ego Ludouici regnum iisdem, quibus olim sub Merouingis Austrasia, terminis contineri statuo Theodericus enim, qui primus Austrasiam rexit, cis Rhenum Boioariis et Alamannis, a patre perdomitis praefuit, quibus ipse regnum Thuringicum adiecit: noster simul Saxoniae, Frisiae, et prouinciis, quas Slaui occupauerant, imperauit. Contra noster trans Rhenum initio praeter Moguntiam, Wormatiam et Spiram nihil habuit: quum ibi Theodericus longe lateque regnaret, ipsamque regni sedem Metis constituisset, Fredegar. *Hist. Franc. epitom. cap.* 30. Sed qualitercumque prouinciae Francorum diuiderentur, semper pars orientalis Austrasiae nomine venisse videtur. Schurzfleisch. *Differt. de regno Austras. cap.* 1.

[f] Infra diplom. 40. 41. 43. 61. 62. 63.

(g) Ludouicus noster non vni, sed pluribus regnis dominari sibi videbatur, ac proinde non regni, sed *Regnorum orientalium Rex* salutatur ab OTFRIDO, *Rex* quippe *totius Germaniae, Rhetiarumque et antiquae Franciae nec non Saxoniae, Thuringiae, Norici, Pannoniarum atque omnium septentrionalium nationum*, vti loquitur Monachus Sangallensis *in vita Caroli M. lib. II. cap.* 9. Hinc in chartis suis modo annos regni sui in *Boiparia*, vti infra *dipl. LVII.* modo in *Alamannia*, vti *dipl. XXXIII. et seqq.* modo in *Alsatia* vel Lotharingia, quam cum Carolo fratre diuiserat, vti *dipl. I.* solet numerare. *Germaniae Regis* titulo illum vmquam vsum esse, non obseruaui, praeterquam quod in *Formulis Alsaticis num. VI. pag.* 57. *edit. Eccardi* legimus. *HL. Rex Germaniae*. Sed quum ea magis formula diplomatis, quam verum diploma videatur, neque alibi exstet vllum, in quo hic titulus occurrat: inde sane publicum huius elogii vsum fuisse, nemo temere collegerit.

LVDOVICVM nostrum fratri natu maximo, Lothario, quantumuis sibi parum aequo; Augustam tamen dignitatem, quam pater cum eo pridem communicauerat (h), numquam dubiam reddidisse. Neque enim de imperio Romano vlla inter fratres contentio fuit (i), sed de regno Francorum, quod fratres natu minores cum Lothario aequa lance diuisum volebant, Lothario eminentis istius dignitatis obtentu totam sibi hereditatem paternam, ipsumque in fratres imperium, proterue vindicante. Sane quem iam atrocissimum et plusquam ciuile bellum inter fratres exarsisset, quumque iam in procinctu essent infestae acies, nec LVDOVICVS noster, nec CAROLVS eam fratri tulerunt conditionem, vt se Augusta dignitate abdicaret, vel eamdem secum communicaret, sed, quod disertis verbis memorat NITHARDVS (k), *vt memor fraternae conditionis, fineret ecclesiam Dei et vniuersum populum Christianum pacem habere concederet illis* REGNA, *a patre*, SVO CONSENSV *concessa, haberet* SVA *sibi, non merito, sed sola misericordia a patre illi relicta*. Quin addit NITHARDVS, vtrumque fratrem Lothario obtulisse portionem regni sui, Ludouicum quidem ad Rhenum, Carolum vsque ad Carbonarias, quin illi optionem dedisse, vt vniuersa Francia aequa lance in tres partes descripta, ipse quamcumque liberet, portionem sibi vindicaret. Quare tantum abest, vt fratres Lothario quidquam eorum, quae iudicio patris praeceperat, ereptum vellent, vt illis partem de suo, si aequas conditiones non adspernaretur, addere cuperent. Sed et viribus Lotharii praelio illo Fontaneensi penitus prostratis, quum iam in manu esset victoribus, fratrem ad iniquissimas quasque conditiones adigere, non tamen de abrogando illi Romano imperio cogitatum, sed pactiones Virdunensi, REGINONE (l) teste constitutum est, *vt Lotharius, qui et maior natu erat, et* IMPERATOR *adpellabatur, medius inter vtrosque incedens, regnum fortiretur, quod postea ex eius vocabulo Lotharingia vocatum sit, totamque prouinciam, nec non omnia regna Italiae cum ipsa* ROMANA VRBE. Quo ergo, non dicam iure, sed colore tantum, viuo Lothario, Augustum Imperatoris nomen adfectasset LVDOVICVS, princeps iusti et aequi amantissimus, quum illud iam pridem Lothario pactione sollemnissima cessum esset? Sed et Ludouico II. Imp. cui Lotharius, sacrum

(h) *Annal.* Bertin. *Fuldens. Moissiacens. ad ann.* 817.

(i) Ait quidem Theganus *de gest. Ludouici Pii cap.* 21. *p.* 306. *Supradictus vero Imperator denominauit filium suum Lotharium, vt post obitum suum omnia regna, quae ei tradidit Deus per manus patris sui, susciperet, atque haberet* NOMEN *et* IMPERIVM *patris: et ob hoc ceteri filii* INDIGNATI SVNT. Sed facile patet, non Augustam dignitatem fratrum animos exacerbasse, sed praeceps patris iudicium, *vt Lotharius post obitum suum omnia eius regna susciperet*. Ipse etiam Lotharius, mortuo patre, et imminente sibi a fratribus bello, tamquam certum posuit, non esse de Augusta dignitate controuersiam, ac potius eo obtentu visus est, ad maximam regni partem fratribus extorquendam. Hinc apud Nithardum Lib. II. p. 461. fratribus iubet renunciari: *quoniam scirent illi* IMPERATORIS *nomen magna auctoritate fuisse impositum, vt considerent, quatenus eius nominis magnifice possit explere officium.*

(k) *De dissens. filior. Ludouici Pii lib. III. p.* 460.

(l) *Annal. ad ann.* 842.

factum religionis habitum rerum humanarum taedio sumturus. Italiam cum Augusta dignitate addixerat, numquam status controuersiam mouit LVDOVICVS noster, immo potius amicitiam cum illo perpetuo coluit, dignus ideo visus Imperatori, quem fratribus suis ferret arbitrum, quum se in regni patrii partitione laesum existimaret (m). Quamobrem nec toto illo tempore, quo Ludouicus ille II. imperauit, nostrum Augusti nomen vel sibi attribuisse, vel attributum ab aliis, admisisse, verosimile est: neque id dissimulassent, credo, eorum temporum scriptores, si id illi vmquam in mentem venisset.

§. VI.

Mortuo circa annum 875. Ludouico II. Imperatore, Lotharilque stirpe vna cum illo deficiente, Augusta dignitas iure debebatur LVDOVICO nostro, posterorum Caroli M. qui tum viuebant, natu maximo. Ita enim iam inde a Caroli M. temporibus vsu obtinuerat, vt in ea deferenda aetatis ratio haberetur, nec tanta erant Caroli Calui, fratris natu minoris merita in rem communem Christianam, vt fratri, principi optimo fortissimoque esset praeferendus. Sed Carolus ille, maiora semper, quam caperet, concupiscens, fratrem iam senio fatiscentem, nulla habita pudoris ratione, turpiter praeuerterat, susceptaque in Italiam expeditione, effecerat largitionibus, vt Romanorum Imperator a Ioanne PP. VIII. consecraretur (n). Quae iniuria quamuis esset maior, quam princeps magnanimus pati posset: tamen ne tunc quidem Augustam dignitatem ambitiosius petiit, regnum Italiae sibi suaeque familiae armis adseruisse contentus (nn), existimans, quod res erat, et fratri inutilem futuram eam dignitatem, si via in Italiam intercluderetur, et tunc aequiores Pontifices Romanos habiturum, si legiones suas signaque non procul a Tiberi explicatas conspicerent. Interim, siue vanos siue re titulos adspernatus, siue

 Pon-

(m) *Annal. Bertinian. ad ann.* 856.

(n) *Annal. Fuld. ad ann.* 875.

(nn) Hinc primum Carolum, deinde Carolomannum filios cum exercitu misit in Italiam, et vt fratrem ad illam relinquendam compelleret, ipse cum validissima manu in Galliam irrupit. Et sane auctorem habemus Annalistam Fuldensem *ad ann.* 875. Carolum Caluum, ad artes suas conuersum, *aurum, argentum gemmasque preciosas infinitae multitudinis Carlmanno obtulisse, vt eum sibi placaret, et a paterna fidelitate segregaret: immo et iurasse, se de Italia cito exiturum, et Hludouici fratris sui iudicio* ILLVD REGNVM *disponendum seruaturum, si Karlmannus inde discederet*, eadem animi lenitate promissurus procul dubio, se Augusti nomen eieraturum, si de eo praecipue fuisset controuersia. Accedit, quod mortuo iam Ludouico nostro, Carolomannus filius Italiae quidem regnum sibi adseruit, veluti in subscriptione diplomatis monasterio S. Emmerani dati, apud Iac. Gretser. *de Diuis Bamberg. p.* 517. *sequ.* alteriusque apud Baluz. *Capitular. tomo II. p.* 1505. in quibus vtrobique *annus III. Domini Karolomanni, tranquillissimi Regis, in Italia* numeratur: Add. Vghell. *Ital. S. Tomo II. p.* 184. *edit. vet. Tom. I. p.* 851. *Tomo V. p.* 501. at nullum tamen eiusdem exstat diploma, ex quo eum Imperatoris Romani titulum vel adfectasse saltim, adpareat.

HISTORIA ET RES GESTAE LVDOVICI GERMANICI.

LIBER I.

DE LVDOVICI NOMINE, NATALIBVS, EDVCATIONE, CONIVGIO, LIBERIS.

CAPVT I.

DE LVDOVICI NOMINE, COGNOMINIBVS ET TITVLIS.

§. I.

LVDOVICI Germanici, maximi potentissimique post hominum memoriam principis vitam et res gestas scribere adgredior: opus et euentuum magnitudine, et boni prauisque exemplis tam varium, vt inde sibi quisque, suaeque reipublicae, quod imitetur, foedumque inceptu ac exitu, quod vitet, capere posse videatur (a). Neque est, quod verear, ne in illustranda perpoliendaque hac historiae parte occupatus, actum agere cuiquam videar. Si enim a viro perelegantis ingenii, IO. HENR. BOECLERO (b) discesseris, vix quisquam adhuc repertus est, qui tanti viri memoriae consuluerit. Veterum autem tanta hic fuit incuria, vt, quum DAGOBERTI, SIGIBERTI, PIPPINI, CAROLI MAGNI et LVDOVICI PII res gestas per-

(a) Liu. *l. praef.* (b) *Differt. hist. pol.*

permulti certatim memoriae prodiderint (*c*), soli fere LVDOVICO nostro defuere decora ingenia, quae illi eamdem operam nauarent. Si quod vero olim eius generis monimentum exstitit (*d*), illud cum aliis multis in tristi illo bonorum librorum naufragio periisse animaduertimus. Plures equidem exstant eorum temporum annales, quibus etiam, quod a LVDOVICO gestum est, memoriae proditum: sed praeterquam quod dispersa minus ad memoriam valent, tam contraria fuerunt scriptorum, qui tum floruerunt, studia, vt alii in CAROLI CALVI partem proniores pleraſque LVDOVICI actiones suo praeiudicio damnent, alii, nostro paullo aequiores, tanto acrius in CAROLVM, tamquam gentis suae dedecus, inuehantur (*e*). Inter quae tam contraria iudicia id, quod verum est, reperire, quemadmodum difficillimum, ita nobis, qui amoris odiique caussas procul habemus, maxime curae fuit. Ceterum suscepti laboris hunc praecipue fructum iucunda animi praesensione praecepimus, quod eum illis, qui de genuinis regni Germanici ipsiusque iuris publici originibus sunt solliciti, non parum vtilitatis adlaturum, auguramur. Quod quidem an consequuti simus, alii viderint. Nos, ne verbosior sit praefatio, statim ad rem ipsam accingimur, primo hoc libro quaedam, quae ad ipsam LVDOVICI Germanici personam, nomen, cognomina, natales, educationem, indolem,

(c) DAGOBERTI gesta a S. Dionysii monacho scripta edidit Du Chesne *Script. rer. Francic. Tomo I. p. 572.* Apud eumdem *eodem Tom. I. p. 591.* exstat vita SIGEBERTI III. Regis, et *p. 594.* vita PIPPINI, Majoris Domus Austriae. CAROLI M. vitam plures scripserunt: vnus, qui illam ex Annalibus plebeiis, a Reginone quoque visis composuit, apud eumdem *Tomo II. p. 50.* alter Monachus Egolisinensis *ibidem p. 68.* et apud PETR. PITHOEVM inter *Scriptores XII. Hist. Franc. p. 230* tertius S. Galli Monachus apud Canisium *Lect. antiqu. Tomo I. p. 358.* et Du Chesne *Tomo II. p. 107.* quartus Eginardus, cuius vitam post alios splendide edidit notisque doctissimis illustrauit Io. Hermannus Schminckius Traiecti ad Rhen. 1711. quintus Poeta Saxo, cuius annales a Reinero Reineccio primum editos et saepius recusos cum vetere codice MSC. contulit et *Tomo I. Scrips. rer. Brunsu. pag. 120.* inseruit Leibnitius. Non pauciores sunt, qui LVDOVICI PII vitam scripserunt. Exstat enim vita eius ab anonymo, sed coaeuo, quem astronomum vulgo adpellitant, scripta. Exstat Ermoldi Nigelli *Carmen de Rebus a Ludouico Pio gestis* ex codice MSC. Vindebonensi editum a Lud. Ant. Muratorio *Script. rer. Italic. Tomo II. Part. II.* Menckenio *Script. rer. Germ. et Sax. Tomo I. p.* 866. Exstant Thegani *gesta Ludouici Pii* itidem a Pithoeo inter *XII. Scriptores Hist. Franc. p. 291. sequ.* relata, et denique Theodulfi, Episcopi Aurelianensis *versu. de Ludovici Pio* apud Du Chesne *Tomo II. p. 326.*

(d) Vitam eius se scripturum promittit Monach. S. Galli de vita Caroli M. *Lib. II. cap. 9. edit. Habnii.*

(e) Exemplo esse possunt ANNALES FVLDENSES, quorum auctor, quum Fuldae, in Ludouici regno, scripserit *ad ann. 875.* CAROLVM CALVVM *Galliae tyrannum*; et hominem *lepore timidiorem; ad annum 876. stultum*, et *nouellum Sennacherib.* vocare non dubitat. At eumdem animi morbum passim prodit auctor ANNALIVM BERTINIANORVM, a Duchesnio *Tomo III. Script. rer. Franc. p. 150. sequ.* editorum, qui, quamquam paullo modestior, odium tamen in LVDOVICVM nostrum eiusque filios dissimulare non potuit. Illi saltim plus iusto indulsit, dum de LVDOVICO, Ludouici nostri filio, magnanimo profecto ac fortissimo principe, *ad annum 882.* scribere ausus: *Ibi nunciatum est Carolo, quia sobrinus suus, Ludouicus, Ludouici Germanici Regis filius*, INVTILITER SIBI ET ECCLESIAE AC REGNO VIVENS, *morti succubuit*. Quae sane non sunt historici, alieni a partium studio, sed Ludouico,

dolem, corporifque ac animi dotes: poftremo ad eius familiam, coniugium, liberofque pertinent, praemiffuri.

§. II.

Nomen LVDOVICI noftri commune cum LVDOVICO PIO, patre habuit, ob eamque cauffam a THEGANO *(f)* aliifque eorum temporum fcriptoribus plerumque *filius Ludouici Pii* AEQVIVOCVS, nec non *ei cognominis (g)*, adpellatur. Id nomen, incertis adhuc, et parum exculitis orthographiae regulis, non vno modo a veteribus litteris expreffum, reperio. Nam in annalibus modo LVDOVICVS, modo LVDEWICVS, modo LVDOICVS, vel LODOICVS, in diplomatibus faepius HLVDEWICVS, HLVDOWICVS, h'LVDEWICVS, quin et CHLODEWICVS *(h)* aliquando vocatur. Afperior enim erat Francorum non minus, quam Alamannorum, pronunciatio, vt non modo vocales *(i)*, fed et confonantes L. N. R. *(k)*, ex infimo gutture protruderent, ac proinde vocabulis, ab aliqua harum litterarum incipientibus praefigerent H, fiue fimplex, fiue duplex, vel ipfum afperrimum CH. Quemadmodum ergo inter Alamannorum nomina, quorum indices bene longos ex vetuftis membranis MELCHIOR GOLDASTVS *(l)* eruit, occurrunt HEOTHARI, HRANFRID, HRVADBERT, HRVADGAER, HRVADIGART, HRVADOLT et fimilia, ita et frequentiffimum fuit nomen HLVDOWICVS feu CHLODOWICVS *(m)*, non a Francis demum inuentum, fed

(f) *De geft.* Ludouici Pii *cap.* 30.

(g) *Monach. Sangallenf.* Vit. Caroli M. *Lib. II. cap.* 8. *p.* 579.

(h) *Infra diplomate I. in fubfcript.*

(i) Hinc *Hebebardus* fcribebant pro *Eberardus*: *Infra Dipl.* XX. XXI. LV. *Hemma* pro *Emma*: *Dipl. III. Hadebertus* pro *Adelbertus*: *Dipl.* XII. XIIII. XV. Similia funt *habent*, pro *abent*, vefpera, apud Notkerum *Pfalm.* LIIII. 18. *hubil* pro *ubel*, malum, *here* pro *ere*, honor, *in gloff. Keron.* Immo iam olim vetuftiffimos Germanos pro *erde*, terra, dixiffe HERDAM, vel HERTHVM, patet non modo ex Tatiani *Harmon. cap.* 75. 41. verum etiam ex ipfo Tacito *de mor. Germ. cap.* 40. Atque inde illuftrari poteft locus infignis Auctoris aftronomi in vita Ludouici apud Pithoeum *in Script. XII. Hift. Franc. p.* 426. Refert ibi, Ludouicum Pium morti proximum, *conuerfa facie in finiftram partem indignando quodammodo, virtute quanta potuerit, dixiffe bis*: HVZ, HVZ, *quod fignificet* FORAS, FORAS, *indeque patuiffe, quia malignum fpiritum viderit*. Illud vero HVZ non aliud eft, quam Germanicum AVS, vel us, pro quo nos hodie dicimus HERAVS vel HINAVS, et quod apud Keronem fcribi VZZE vel VZZANA, obferuat Schilter. *Thefaur. Antiqu. Teut. Tom. III. p.* 821.

(k) Litterae L adfpirationem faepiffime praefigebant fcribentes HLAVFFAT pro *lauffet*: HLID pro *lith*: HLVT pro *lut* vel *lauth*. Aliquando H eft ante litteram N, veluti quando HNEIGEN fcribunt pro *neigen*. Nec minus litterarum caninam more Graecorum adfpirant, fcribentes HREIN pro *rein*: HRVFFEN pro *ruffen*. Vid. Schilter. *Gloffar. his vocibus*.

(l) *Rer. Alamann. Tomo II. p.* 100. *fequ. et p.* 124. *fequ.*

(m) Non ergo diuerfa, fed eadem, funt LVDOVICI, CHLODOVAEI et HLVDEWINI nomina. Nam apud Caffiodor. *Var. II.* 41. *et.* 3. 4. Theodericus, Gothorum Rex Chlodouaeum Francorum Regem vocat LVDOVICVM, vti in quibufdam Codicibus legit Guill. Fornerius *in Notis p.* 240. et magnum illum regem S. Remigius in Teftamento apud Chifflet. *de ampulla Remenfi cap.* 3. *p.* 9. et Hermannus Contract. *ad ann.* 480. *et fequ.* vix alio, quam LVDOVICI, nomine infigniunt

sed iam antiquissimis temporibus Gallis Germanisque familiarissimum, ac proinde dignum, cuius veram notionem paullo accuratius inuestigemus.

§. III.

Nimirum IVLIVS CAESAR (n) aliquoties meminit LITAVICI cuiusdam, nobilis adolescentis, et Aeduorum iuuentutis principis, quem IVLIVS CELSVS (o) LITAVICTVM, Graecus CAESARIS interpres ΛΙΤΑΒΙΚΟΝ adpellitat. Id uero ipsum LVDOVICI nomen esse, recte obseruauit Io. ISAACVS PONTANVS (p). Quamuis ergo, id nomen vere Celticum, vel Germanicum esse, certissimum videatur, tanta tamen primaeue istius linguae paullatim facta est mutatio, vt Celtici istius vocabuli originem hodie non nisi diuinando adsequamur. Inquisiuit in eius originem ERMOLDVS NIGELLVS (q), sed ita, vt se poetam esse meminerit, sibique quidlibet audendi fingendique aequam semper potestatem esse debere existimarit. En enim hominis vigilantis somnia:

Nam HLVDOVICVS *enim* LVDI *de nomine dictus*,
  LVDERE *subiectos pacificando monet*.
Seu quis Franciscam mauult resonare loquelam:
  Nominis vt possit noscere notitiam:
Nempe sonat HLVDO *praeclarum*: WICH *quoque Mars est*,
  Vnde suum nomen composuisse patet.

Sed prior etymologia lusus ingenii est. Ludit enim NIGELLVS, dum a *ludo* arcessit nomen Germanicum, quum a nominum Latinorum vsu Franci quam maxime abhorruerint. Posterior, vtut paullo verisimilior, non magis tamen priore vera videtur. Neque enim HLVDO Francis erat *praeclarum*, sed HLVDER vel HLVTER, (r) idem, quod nostrum

gniunt. Quin ipse Ludouicus Pius se Chlodouaeo cognominem esse profitetur apud Flodoard. *Hist. Rem. lib.* II. Nec a LVDOVICI vel CHLODOVAEI vocabulo differt nomen CHLODIO, vel vt Sidonius Apollinar. in *Paneg. Maiorian. Aug. v.* 210. scribit CLOIO. Quemadmodum enim apud Goldast. *Rer. Alam. Tomo. II. p. 96. sequ.* ALLO est adbreuiatum ex *Aluuich*, ALTO ex *Altirich*, BERTO ex *Bertrich*, EBO ex *Eberuuic*, GEILO vel KEILO ex Gerfuuich vel Keiluuich, HATTO ex *Hadeuuic*: ita et CHLODIO ex *Chlodomaeus*. Immo ex adbreuiato illo CLOIO nata esse hodierna nomina *Clouis* et *Louis*, suspicatur Io. Isaac. Pontanus *Orig. Franc. Lib. III. cap. 7. p.* 242.

(n) *De bello Gall. lib. VII. cap.* 37. *sequ.*

(o) *Vit. Caesar. lib. III. p.* 109. *edit. Graeuii*.

[p] *Orig. Francor. lib. III. cap. 7. p.* 242.

[q] *De gestis Ludouici Pii lib. I. v.* 45.

(r) Pluribus id exemplis demonstrauit Schilter in *Glossar. Teut. p.* 461. *et* 556. Inde est nomen HLOTARIVS, quamuis sint, qui illud a LIVTI, *leuse homines*, et HERR, *dominus* deriuare malint. Vid. Diecmann. *Specim. Glossar. Latino-Theot. p.* 38. *sequ.* Vtcumque se res habeat: est et hoc nomen vere Celticum et iam olim Gallis familiare. Nam apud Liuium *lib. XXXVIII. cap.* 16. inter principes Gallorum in Asiam migrantium est quidam LVTARIVS. Alium in ipsa Gallia deprehendimus temporibus IVLII CAE-

nostrum *lauter*. Inde vero non LVDOWICI, sed LVTERVICI nomen nasceretur (*s*). Sed ERMOLDVS, vt Ludouicum suum pace belloque magnum esse ostenderet, id ipso nomine innui lectori persuasit, vsus argumento notationis, malo poeta, quam bono historico, digniore. Sunt, quibus id nomen a vetere HLOT *propago* et WICH, *ciuitas* compositum videtur (*t*), vt LVDOVICVS idem sit, ac *palmes ciuitatis vel reipublicae*. Nobis, quibus in etymologiis omni acumine potior est simplicitas, nomen istud ex LIVTI vel LEODE, quod *homines*, et VVIC, quod *castellum* denotat, conflatum videtur, vt adeo idem sit, ac *castellum* vel *perfugium hominum* (*u*). Maiores enim nostros magnopere delectatos fuisse nominibus, quae locum aliquem munitum, tutissimumque refugium significant, exemplis quam plurimis mihi compertum est (*x*): et nomina vtriusque sexus, desinentia in WIC vel VVICH, hac posita significatione quam commodissime possunt explicari (*y*). Nec potuissent profecto parentes liberos, maxime reipubli-

cae

CAESARIS, apud quem *lib. VII. de bello Gall. cap.* 5. memoratur LVTERICVS, Cadurcus, Hirtio *lib. VIII. cap.* 32. *et* 34. LVTERIVS, Iulio Celso *Vit. Caes. p.* 96. LVTHERIVS, Liuio denique LVTARIVS, in quibus omnibus vocabulis *Lutharii* nomen nemo non deprehendit.

(s) Attamen hanc ERMOLDI etymologiam iuuari quodammodo posse fatemur, si pro *hludo* substituamus LIOTH, quod *lucem* significat. Otfrid. *in Euangel. lib. I. cap.* 15. *v.* 38.

LIOTH *thaz thar scinit.*
Inti allanuorolt rinit.
Lux, quae lucet, et omnem mundum illuminat.

Et *lib. II. cap.* 2. *v.* 21.

Ni uuas er thaz LIOTH, *ib sagen thir ein,*
Thaz thar then liutin inscein.

Non erat iste ita lux, [vt semel dicam] vt populis, illucesceret. Sic vero LIOHTEWIC non male dici posset *bello praeclarus*. Io. Georg. Eccard. *Hist. stud. etymolog. p.* 38.

(t) Schilter. Thesaur. antiqu. Teuton. *Tomo III. p.* 461.

(u) Diecmann. Specim. glossar. Lat. Theot. p. 38. et Tilius apud Ang. de Nuce not. ad Chron. Cassin. p. 116.

(x) Terminationes nominum propriorum, tum masculinorum tum femininorum, frequentissimae sunt BVRG. *castellum*, STEIN, *petra*, WART, *specula*, DVRVN, *turris*, STET, *urbs*, LVOG, *specus*, BERG, *mons*, quae omnia tuti perfugii notionem inuoluere videntur. Hinc a BVRG. est *Walpurg*, a STEIN *Instein*, *Ruastein*, a VVART *Antuuart*, *Burcuuart*, *Egiluuart*, *Gaganuuart*, *Hadauuart*, *Heriuuart*, *Marchuuart*, *Paldeluuart*, *Pernuuart*, *Richuuart*, *Roaduuart*, *Sneuuart*. A DVRVN *Cundurun*, *Halbduring*, *Helidor*: a STET *Liestet*: a LVOG, LVCH, LAVCH, LOH vel LVC *Cadaloh*, *Dheotaloh*, *Ebarloh*, *Folcheloh*, *Fridaloch*, *Herolog*. *Helemlog*, *Keiloh*, *Lantaloch*, *Otoloh*, *Ratloh*, *Reginloch*, *Ruadloh*, *Theotoloh*, *Theutoloch*, *Thietloh*, *Wolkelohe*. Denique a BERG, BIRG vel BRIG *Amalperg*, *Elidpirch*, *Madalbirg*, *Sigibrich*, *Tjanbirc* et cetera, quae omnia ex solo Goldasto *Rer. Alam. Tomo II. p.* 120. *sequ.* excerpsimus.

(y) Erat haec terminatio nominibus virorum mulierumque communis. Masculina nomina sunt *Adauuich*, *Aleuuic*, *Eberuuic*, *Ediluuic*, *Erluuic*, *Fridouuic*, *Hartuuic*, *Hiltiuuic*, *Perennuic*, *Reduuic* *Rodouuic*, *Seluuich*, *Thiennuih*: feminina *Adaluuic*, *Alekeruuich*, *Engiluuic*, *Folcuuic*, *Immuuich*: communia masculis femininisque *Gelluuich*, *Herluuich*, *Keiluuich*, *Hatuuig*, *Hirminuuich*, *Keruuic*, *Otuuic*, *Reginuuich vel Raganuuich*, *Rantuic*, *Ruaduuig*, *Sogenuuich*, *Thiotuuic*. Quemadmodum, ergo ALEWIC est *refugium omnium*, FOLCWIC, et THIOTWIC *refugium populi*, GEILWICH, HEILWICH et KEILWIC *refugium excelsum*, OTWIC *refugium praestantissimum*, ADALWIC vel EDILWIC *ciuitas nobilium*, ENGILWIC *ciuitas angelorum*, FRIDOWIC *ciuitas pacis*: ita LVDOWIC a *liuti* vel *Leode* et *vvic* vel *vvich* commodissime exprimit *refugium hominum*.

cae destinatos, concinniore nomine admonere officii (z), quam dum eos LVDOVICOS, id est, perfugium hominum, et quemdam veluti miserorum portum esse oportere docuerunt.

§. IIII.

Quum vero LVDOVICVS noster alter esset ex Carolidarum familia, qui id nomen ferebat: fieri sane non poterat, quin varia inuenirentur cognomina, quibus a patre eiusdem nominis discerneretur. OTFRIDVS (a) eum ideo *alterum*, vel, vti olim Romani alia occasione loquebantur, *iterum Ludouicum* vocat, verbis:

So ist der selbo edelin,
Ther heizit AVVR LVDOVVIC.

Sic est ille ipse nobilis,
Qui vocatur ITERVM LVDOVICVS.

Ex eadem ratione auctor chartae Alamannicae apud GOLDASTVM (b) ei IVNIORIS cognomen tribuit, quamquam id postea filio illius magis conuenire visum sit. Reliqui scriptores plerique, cum veteres, tum recentiores, eum GERMANICVM, vel GERMANORVM REGEM (c), quasi amplissimi istius regni conditorem, adpellitant: quamuis tum Germania frequentius FRANCIAE ORIENTALIS nomine veniret, eoque non modo ipsum LVDOVICVM nostrum in diplomatum subscriptionibus, verum etiam OTFRIDVM in epistola nuncupatoria vsum esse animaduertamus. Hic sane Germanorum Ennius et epistolae illi praemittit elogium: LVDOVICO ORIENTALIVM REGNORVM REGI SIT SALVS AETERNA, idque in ipsa dedicatione duplici acrosticho exprimit, et postea diserte ait (d):

Et

(z) Erant Francorum nomina *significantiua* et maximam partem ita composita, vt illis insigniti officii sui admonerentur. Quod vt denuo exemplis paucis, iisque perspicuis, et ab hodierna dialecto parum discrepantibus, demonstrem. filias nomine ADALWIB vel ADALWIF admonebant, vt dignos *nobili matrona* mores ostenderent: nomine ADALTRVD, vt pro eo, ac nobilem deceat, fidem seruarent: nominibus ENGILWIB, ENGILHILT, ENGILMVT, ENGILMVND, vt gratia, venustate, morum orisque suauitate angelis similes esse studerent: nominibus FRIDILIVBA et FRITWIF, vt pacis inprimis domesticae essent amantes. Quin vt et patriae caritatis admonerent liberos, quibusdam imposuerunt nomina, ab ipsa patria desumta, qualia sunt FRANCO, vel FRANCHO, FRIESO, SAXO, SWAN vel SVAB, SWABINC, SWABIZHO, SWABOLT, SVABIN, SVABAHOLT, SWIDKER. SVIDIRICH, SWIDPVRC, SWIZA. Denique quid aliud voluit nomen WIRTIN feminae impositum, quam vt se matremfamilias esse debere, identidem cogitaret?

[a] *Praefat. euangel.* v. 35.

[b] *Rer. Alamann. Tom. II. pag.* 47. *Add. Tradit.* Wrthin. *apud* Leibnit. *Tom. I. Script. rer. Brunsuic. p.* 118.

[c] *Annal. Bertiniani ad ann.* 845. *et sequ.* 853. 862. *et passim.*

[d] *Praefat. ad* Ludou. *v.* 8.

Er OSTARRICHI *rihtit al,*
So Franckono Kuning scal.
Is ORIENTALE REGNVM *regit omne,*
Prout Francorum regem decet.

Vbi OSTARRICHI esse prouincias, quae cis Rhenum in Francorum ditione erant, quaeque iam sub Merouingis corrupto vocabuli sono AVSTRIAE vel AVSTRASIAE nomine veniebant (e), palam est. At ipse LVDOVICVS initio diplomatum suorum nullo vtitur titulo *διακριτικῷ*, sed simpliciter se LVDOVICVM *diuina fauente gratia Regem*, more istius saeculi, adpellitat, praeterquam quod, superstite patre *Regis Boiariorum* titulum praetulisse (*f*), eodemque fatis functo annos, quibus huic vel illi regno praeesse coeperit, in fine chartarum numerasse aliquando legitur (*g*).

§. V.

Acrius inter se contendere video eruditos, an IMPERATORIS AVGVSTI vel CAESARIS titulum vel ipse sibi tribuerit LVDOVICVS noster, vel ab aliis sibi passus sit attribui? Eam enim quaestionem inter viros doctos, qui famosum istum Parthenonis Lindauiensis diploma vel vindicare a *νοθείας* suspicione, vel argumentis luculentissimis damnatum proscribere conati sunt, quam diutissime agitatam esse, nouimus. Enimuero vti hanc litem nostram iam non facimus: ita, quae ipsa eorum temporum monimenta nobis sufficiunt argumenta, paucis hic delibare iuuat. Primum itaque certum omnino exploratumque est,

(e) Nec tamen ideo ego Ludouici regnum iisdem; quibus olim sub Merouingis Austrasia, terminis contineri statuo Theodericus enim, qui primus Austrasiam rexit, cis Rhenum Boioariis et Alamannis, a patre perdomitis praefuit, quibus ipse regnum Thuringicum adiecit: noster simul Saxoniae, Frisiae, et prouincus, quas Slaui occupauerant, imperauit. Contra noster trans Rhenum initio praeter Moguntiam, Wormatiam et Spiram nihil habuit: quum ibi Theodericus longe lateque regnaret, ipsamque regni sedem Metis constituisset. Fredegar. *Hist. Franc. epitom. cap.* 30. Sed qualitercumque prouinciae Francorum diuiderentur, semper pars orientalis Austrasiae nomine venisse videtur. Schurzfleisch. *Dissert. de regno Austras. cap.* 1.

[f] Infra diplom. 40. 41. 43. 61. 62. 63.

(g) Ludouicus noster non vni, sed pluribus regnis dominari sibi videbatur, ac proinde non regni, sed *Regnorum orientalium* Rex salutatur ab OTFRIDO, Rex quippe *totius Germaniae, Rhetiarumque et antiquae Franciae nec non Saxoniae, Thuringiae, Norici, Pannoniarum atque omnium septentrionalium nationum*, vti loquitur Monachus Sangallensis *in vita Caroli M. lib. II. cap.* 9. Hinc in chartis suis modo annos regni sui in *Boiaria*, vti infra *dipl. LVII.* modo in *Alamannia*, vti *dipl. XXXIII. et sequ.* modo in *Alsatia* vel Lotharingia, quam cum Carolo fratre creuerat, vti *dipl. I.* solet numerare. *Germaniae Regis* titulo illum vmquam vsum esse, non obseruaui, praeterquam quod in *Formulis Alsaticis num. VI. pag.* 57. *edit. Eccardi* legimus. *HL. Rex Germaniae.* Sed quum ea magis formula diplomatis, quam verum diploma videatur, neque alibi exstet vllum, in quo hic titulus occurrat: inde sane publicum huius elogii vsum fuisse, nemo temere collegerit.

LVDOVICVM nostrum fratri natu maximo, Lothario, quantumuis sibi parum aequo, Augustam tamen dignitatem, quam pater cum eo pridem communicauerat (h), numquam dubiam reddidisse. Neque enim de imperio Romano vlla inter fratres contentio fuit (i), sed de regno Francorum, quod fratres natu minores cum Lothario aequa lance diuisum volebant, Lothario eminentis istius dignitatis obtentu totam sibi hereditatem paternam, ipsumque in fratres imperium, proterue vindicante. Sane quem iam atrocissimum et plusquam ciuile bellum inter fratres exarsisset, quumque iam in procinctu essent infestae acies, nec LVDOVICVS noster, nec CAROLVS eam fratri tulerunt conditionem, vt se Augusta dignitate abdicaret, vel eamdem secum communicaret, sed, quod disertis verbis memorat NITHARDVS (k), *vt memor fraternae conditionis, sineret ecclesiam Dei et vniuersum populum Christianum pacem habere concederet illis* REGNA, *a patre*, SVO CONSENSV *concessa*, *haberet* SVA *sibi*, *non merito*, *sed sola misericordia a patre illi relicta*. Quin addit NITHARDVS, vtrumque fratrem Lothario obtulisse portionem regni sui, Ludouicum quidem ad Rhenum, Carolum vsque ad Carbonarias, quin illi optionem dedisse, vt vniuersa Francia aequa lance in tres partes descripta, ipse quamcumque liberet, portionem sibi vindicaret. Quare tantum abest, vt fratres Lothario quidquam eorum, quae iudicio patris praeceperat, ereptum vellent, vt illis partem de suo, si aequas conditiones non adspernaretur, addere cuperent. Sed et viribus Lotharii praelio illo Fontaneensi penitus prostratis, quum iam in manu esset victoribus, fratrem ad iniquissimas quasque conditiones adigere, non tamen de abrogando illi Romano imperio cogitatum, sed pactiones Virdunensi, REGINONE (l) teste constitutum est, *vt Lotharius, qui et maior natu erat, et* IMPERATOR *adpellabatur, medius inter vtrosque incedens, regnum sortiretur, quod postea ex eius vocabulo Lotharingia vocatum sit, totamque prouinciam, nec non omnia regna Italiae cum ipsa* ROMANA VRBE. Quo ergo, non dicam iure, sed colore tantum, viuo Lothario, Augustum Imperatoris nomen adfectasset LVDOVICVS, princeps iusti et aequi amantissimus, quum illud iam pridem Lothario pactione sollemnissima cessum esset? Sed et Ludouico II. Imp. cui Lotharius, factum

(h) *Annal.* Bertin. *Fuldens. Moissiacens. ad ann.* 817.

(i) Ait quidem Theganus *de gest. Ludouici Pii cap.* 21. *p.* 306. *Supradictus vero Imperator denominauit filium suum Lotharium, vt post obitum suum omnia regna, quae ei tradidit Deus per manus patris sui, susciperet, atque haberet* NOMEN *et* IMPERIVM *patris: et ob hoc ceteri filii* INDIGNATI SVNT. Sed facile patet, non Augustam dignitatem fratrum animos exacerbasse, sed praeceps patris iudicium, *vt Lotharius post obitum suum omnia eius regna susciperet.* Ipse etiam Lotharius, mortuo patre, et imminente sibi a fratribus bello, tamquam certum posuit, non esse de Augusta dignitate controuersiam, ac potius eo obtentu vius est, ad maximam regni partem fratribus extorquendam. Hinc apud Nithardum *Lib.* II. *p.* 461. fratribus iubet renunciari: *quoniam scirent illi* IMPERATORIS *nomen magna auctoritate fuisse impositum, vt considerent, quatenus eius nominis magnifice posset explere officium.*

(k) *De dissens. filior. Ludouici Pii lib.* II. *p.* 460.

(l) *Annal. ad ann.* 842.

factum religionis habitum rerum humanarum taedio sumturus. Italiam cum Augusta dignitate addixerat, numquam status controuersiam mouit LVDOVICVS noster, immo potius amicitiam cum illo perpetuo coluit, dignus ideo visus Imperatori, quem fratribus suis ferret arbitrum, quum se in regni patrii partitione laesum existimaret (m). Quamobrem nec toto illo tempore, quo Ludouicus ille II. imperauit, nostrum Augusti nomen vel sibi attribuisse, vel attributum ab aliis, admisisse, verosimile est: neque id dissimulassent, credo, eorum temporum scriptores, si id illi vmquam in mentem venisset.

§. VI.

Mortuo circa annum 875. Ludouico II. Imperatore, Lotharilque stirpe vna cum illo deficiente, Augusta dignitas iure debebatur LVDOVICO nostro, posterorum Caroli M. qui tum viuebant, natu maximo. Ita enim iam inde a Caroli M. temporibus vsu obtinuerat, vt in ea deferenda aetatis ratio haberetur, nec tanta erant Caroli Calui, fratris natu minoris merita in rem communem Christianam, vt fratri, principi optimo fortissimoque esset praeferendus. Sed Carolus ille, maiora semper, quam caperet, concupiscens, fratrem iam senio fatiscentem, nulla habita pudoris ratione, turpiter praeuerterat, susceptaque in Italiam expeditione, effecerat largitionibus, vt Romanorum Imperator a Ioanne PP. VIII. consecraretur (n). Quae iniuria quamuis esset maior, quam princeps magnanimus pati posset: tamen ne tunc quidem Augustam dignitatem ambitiosius petiit, regnum Italiae sibi suaeque familiae armis adseruisse contentus (nn), existimans, quod res erat, et fratri inutilem futuram eam dignitatem, si via in Italiam intercluderetur, et tunc aequiores Pontifices Romanos habiturum, si legiones suas signaque non procul a Tiberi explicatas conspicerent. Interim, siue vanos sine re titulos adspernatus, siue

 Pon-

(m) *Annal. Bertinian. ad ann.* 856.

(n) *Annal. Fuld. ad ann.* 875.

(nn) Hinc primum Carolum, deinde Carolomannum filios cum exercitu misit in Italiam, et vt fratrem ad illam relinquendam compelleret, ipse cum validissima manu in Galliam irrupit. Et sane auctorem habemus Annalistam Fuldensem *ad ann.* 875. Carolum Caluum, ad artes suas conuersum, *aurum, argentum gemmasque pretiosas infinitae multitudinis Carlmanno obtulisse, vt eum sibi placaret, et a paterna fidelitate segregaret: immo et iurasse, se de Italia cito exiturum, et Hludouici fratris sui iudicio* ILLVD REGNVM *disponendum seruaturum, si Karlmannus inde discederet*, eadem animi leuitate promissurus procul dubio, se Augusti nomen ieraturum, si de eo praecipue fuisset controuersia. Accedit, quod mortuo iam Ludouico nostro, Carolomannus filius Italiae quidem regnum sibi adseruit, veluti in subscriptione diplomatis monasterio S. Emmerani dati, apud Iac. Gretser. *de Diuis Bamberg. p.* 517. *sequ.* alteriusque apud Baluz. *Capitular. tomo II. p.* 1505. in quibus vtrobique *annus III. Domini Karolomanni, inuictissimi Regis, in Italia* numeratur: Add. Vghell. *Ital. S. Tomo II. p.* 184. *edit. vet. Tom. I. p.* 851. *Tomo V. p.* 591. at nullum tamen eiusdem exstat diploma, ex quo eum Imperatoris Romani titulum vel adfectasse falsum, adpareat.

Pontificis Romani fulmina saeculi more reueritus (o), numquam Augusti titulum adfectauit, neque vllum extat indubiae fidei diploma, ex quo Ludouicum nostrum sibi eum vmquam tribuisse, liquido possit demonstrari.

§. VII.

At non eadem aliorum, qui in Germania LVDOVICI filiorumque eius imperio suberant, erat modestia, quippe qui factam Principibus suis iniuriam vlturi Ludovico tum viuo adhuc, tum iam fatis functo, IMPERATORIS Romani titulum tribuere non dubitabant. Recte id obseruauit HERMANNVS CONRINGIVS (p), in eo tamen falsus, quod a saeculo demum vndecimo scriptores quosdam veluti ADAMVM BREMENSEM (q), WALDONEM (r), HELMOLDVM (s), aliosque recentiores Ludouico Imperatoris Augusti et Caesaris titulum adscripsisse existimat. Quamuis enim fatendum videatur, ab eo demum tempore, quo Ottones illam dignitatem Augustam cum Germania aeterno atque indissolubili vinculo coniunxerant, scriptores, vetustatis rerumque ciuilium ignaros, Germaniamque veterem ex suae aetatis more aestimantes, hunc errorem frequentius errasse: mihi tamen satis compertum est, de nono quidem saeculo, ac superstite adhuc Ludouico, nedum sub eiusdem filiis a titulis istis abstinuisse. Ipse sane CONRINGIVS id subscriptionibus quarumdam eius aevi chartarum probauit. Nam in TRADITIONIBVS FVLDENSIBVS apud SCHANNATVM (t) legimus: *Facta est haec traditionis chartula in monasterio Fulda, anno Dominicae Incarnationis 876. Indict. 8. anno 36.* LVDOVICI IMPERATORIS *mense Iulio, die 23. eiusdem mensis*. Et paullo post in alia charta (u): *Acta est haec chartula traditionis in monasterio Fulda. Anno Dominicae Incarnationis 876. Indict. 9. 36.* HLVDOWICI IMPERATORIS, *mense Februario, die 14. mensis eiusdem*. Nos vero hic addimus auctorem vitae Caroli M. MONACHVM SAGALLENSEM, qui se NOTKERVM BALBVLVM esse non obscuro indicio prodit (x). Is enim, quum sub Carolo Crasso scripserit, LVDOVICVM nostrum diserte vocat IMPE-

(o) Erant tum tempora, quibus Pontificum iudicio ea in re iusto plus tribuebatur. At hi iam illis temporibus ius creandi Romanos Imperatores sibi adserere coeperant: idque consilium non obscure prodidit Ioannes Papa. VIII. *Epistola XVI. ad Engilbergam, Ludouici II. Imp. viduam*, apud du Chesne *Tomo III. p.* 878. vbi ita differit: *Dilectionem vestram merito commonemus, vt spirituali filio nostro, Carolo piissimo Imperatori purae fidei ac sincerae deuotionis exhibens semper integritatem, omnes ad eius mansuetudinem attrahat, et salubribus monitis inuiolabilem ei fidem seruare demonstret. Non enim est potestas, vt Apostolus ait, nisi a Deo, et, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Nos autem, qui illum, diuinitus, vt credimus, actu* SEMEL ELEGIMVS, *perpetuo, tamquam filium carissimum omni conatu diligimus, ita, vt ipsius amicos et inimicos amicos atque inimicos nostros existimare teneamus*. Quis non videt, Pontificem hunc suam rem agi credidisse?

(p) *Cens. Dipl. Lindau. cap.* 7. *p.* 109.

(q) *Hist. eccles. cap.* 24. 27. *et* 32.

(r) *Vit. Anscharii. cap.* 45. 48. 52. *et* 57.

(s) Chron. Slau. *lib.* I. *cap.* 5.

(t) *Tradit. Fuld. p.* 209.

(u) *Ibid. p.* 209.

(x) *Lib. II. cap.* 12. *p.* 391. *edit. Hahn.*

IMPERATOREM. *Erat*, inquit (*y*), *Hl. rex vel* IMPERATOR *totius Germaniae, Rhetiarumque, et antiquae Franciae, nec non Saxonicae, Thuringiae, Norici, Pannoniarum, atque omnium septentrionalium nationum*. Quin idem auctor eum paullo post vocat CAESAREM et *vere* CAESAREM (*z*), quum id vocabulum solis Imperatoribus proprium sit. Enimuero id tum monachi faciebant eo audacius, quo magis iam pridem inoleuisset mos, reges potentiores Imperatorum titulo ornandi (*a*), quamuis nec Augustos vel Caesares salutare sustinerent, et ipsos Principes istis titulis in chartis suis non vti, satis scirent. Quae quum ita sint, non quidem illico falsis ac suppositiriis accensendae sunt tabulae, in quibus LVDOVICVS ab aliis Imperator dicitur: at merito suspecta habentur, quae ipsi LVDOVICO tribuuntur, diplomata, si CAESARIS, vel IMPERATORIS AVGVSTI titulum praeferunt (*b*), quum eo LVDOVICVM ad mortem vsque abstinuisse, tot diplomata, anno 875. et sequente, quem ipse vitae postremum habuit, scripta (*c*) satis luculenter demonstrent.

§. VIII.

Multo minus dubitandum est, quin ea diplomata omnia, in quibus REGIS ROMANORVM titulum praefert LVDOVICVS, non modo suspecta, sed manifesto falsa sint existimanda. Et exstant sane huiusmodi ta-

(y) *Lib. II. cap. 9. p. 580.*

(z) *Idem lib. II. cap. 13. p. 594.*

[a] Exstant acta concilii Narbonensis, anno Incarnationis Dominicae 788. Indict. 12. habiti, edita a Steph. Baluzio *in Addit. ad* Petrum de Marca *de Concord. sacerd. et imp. lib. VI. cap. 25. p. 925.* in quibus Carolus, non Caluus, ceu credidit Schurtzfleischius *de diuisione Imperii Carolini* §. 51. *p.* 28. sed Magnus, *gloriosissimus Dominus Imp.* vocatur 13. annis ante, quam Romae consalutatus esset Imperator. Id vero non insolitum esse, docet Baluzius in Adnotationibus, adductis exemplis Pippini, Ludouici Balbi, Otonis, Caroli simplicis, Ludouici Transmarini Lotharii et Roberti Regum, qui omnes aliquando dicti sint Imperatores ab aliis, quamuis ipsi eum titulum non adfectarent. Nec scio, an quisquam tam suffenus fuerit, praeter Carolum Caluum, qui *prauorum vsus consilio, in urbe Metensi, diadema capiti suo ab illius ciuitatis episcopo imponi, et se* IMPERATOREM *et* AVGVSTUM, *quasi duo regna possessurus, adpellari praecepit*. Annal. Fuld. *ad ann.* 869.

[b] Quo magis mireris, diploma, infra n. III. adlatum, ideo suspectum habere Miraeum *Donat. piar. p.* 33. *quod Ludouico titulus Augusti aut Imperatoris non tribuatur*. Chartam enim illam nostri esse Ludouici, vel inde patet, quod in ea mentio fit *Hemmae Reginae*, cuius nominis vxorem Ludouicus non alius, quam noster habuit: Quis vero vmquam huius vidit sincerum diploma, in quo Augusti vel Imp. titulo vsus sit? Si vero, quod suspicor, Ludouicum Balbum illud diploma scribi iussisse statuit: dupliciter errat; primum, quod illi Hemmam vxorem tribuit: deinde quod ipsum in Imperatorum Romanorum serie collocandum censet. Miraeus *Annal. Belg. ad ann.* 878. quum eum illo ordine mouendum, non modo veteres sed et ipsi Galli, veluti Iac. Sirmond. *ad Tom. II. Concil. Gall.* Baluz. *ad Petr. de Marca Lib. VI. cap.* 25. *p.* 925. et Blondell. *Praefat. Apolog. Geneal. Franc. f.* 31. * 3. fateantur.

(c) *Infra Dipl. V.*

di tabulae cum aliorum regum Carolidarum *(d)*, tum et LVDOVICI nostri, quae vtut non heri demum aut nudius tertius natae, sed re ipsa satis vetustae sint, hoc ipso tamen titulo turpiter prodant natalium suorum vitium, manusque falsarias ignarorum moris prisci hominum nimis vbique redolent. Quod vt paucis exemplis, ad LVDOVICVM nostrum pertinentibus illustremus, P. IGNATIVS GROPP, monachus Benedictinus inter acta saecularia, quae aetatem millenariam monasteriis Amoebacensis inscripsit *(e)*, edidit diploma LVDOVICI *(f)*, iam olim Germanice versum, cuius hoc initium est: *In dem Name der heyligen vngeteylten Driualtikeit Amen. Wir* LVDEVVIG *von gottlicher Gnade, Romischer Konig.* Id vero vel falsum, vel ab insulso interprete interpolatum esse, vel sola haec inscriptio probat: Numquam enim vel formulam *Dei gratia*, vel pronomen NOS vel REGIS ROMANORVM titulum Ludouicus noster adhibuit, vt iam nihil dicam de subscriptione, quae annum Dominicae incarnationis 826. praefert, ex ipsius IGNATII GROPP iudicio in annum 856. mutandum. Eiusdem commatis est alterum *(g)*, quod Lamspringenses monachi ostentant, a GE. LEVCKFELDIO *(h)* et IO. CHRISTOPHORO HARENBERGIO *(i)* editum, cuius itidem hoc exordium est: *In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis.* HLVDOVVICVS *Dei fauente clementia Romanorum Rex.* Vbi HARENBERGIVS margini adleuit, *Aduocatus potius.* Sed nec Aduocatus, nec Rex Romanorum vmquam

(d) Ipsi Carolo M. *Regis Romanorum* titulum tribui animaduertimus in lege Regia, qua S. P. Q. R. in Carolum M. ius omne imperii contulisse fertur, primum a Theoderico a Niem ex Codice Florentino eruta. Sed eius monimenti falsitatem argumentis luculentissimis demonstrauit Werlhofius *Enucl. iur. publ. cap. 2. §. 6. p. 9.* Nec melioris notae est inscriptio *constitutionis de expeditione* Romana, in qua Carolus Crassus, *Rex Francorum et Romanorum* vocatur. Quidquid enim viri docti pro adserenda constitutionis istius sinceritate laborent: eam tamen a Carolo Crasso non esse scriptam, neque ei hunc titulum quadrare, vltro fatentur. Quia tantum abest, vt inter Reges Carolingos *Reges Romanorum* quaerendi sint, vt hunc titulum ne in Saxonicorum quidem Imperatorum tabulis occurrere, operose ostenderit amicus desideratissimus, Christ. Gottfr. Hoffmannus *Diss. de Rege Roman. viuente Imperatore electo, §. 1. p. 7.* Quod ad Salicae stirpis Reges et Imperatores attinet, Henricus quidem III. in diplomate apud Meichelbeckium *Hist. Frising. p. 241.* vocatur HEINRICVS diuina fauente clementia REX ROMANORVM IMPERATOR AVGVSTVS: sed res ipsa docet, genitiuum ROMANORVM non ad praecedens vocabulum REX, sed ad sequens IMPERATOR esse referendum. Reliqua istorum Regum diplomata, in quibus ille titulus occurrit, suspicione non carere, idem demonstrauit laudatissimus Hoffmannus *ibid. p. 10. 11. 12.* simulque docuit, demum ab Henrico V. Lothario, Conrado III. et Friderico I. Regibus Germanorum, a Pontificibus Rom. corona nondum incinctis, eum titulum in diplomata illorum admissum esse. Passim enim exstare eorum tabulas, in quibus Reges Romanorum ante consecrationem Romanam adpellentur apud Vghellum *in Italia sacra Tom. III. p. 432.* Martene *Anecdot. Tom. III. p. 1175. sequ.* et Schaten. *annal. Paderb. lib. VII. p. 667.* Quibus nos addimus diploma Henrici V. editum a fratre Antiqu. Gosl. *lib. I. ad ann. 1108. p. 110.*

(e) *pag. 191.*

(f) *Infra Dipl. XXI.*

(g) *Infra Dipl. XXIII.*

(h) *Antiqu.* Gandersh. *p. 290.*

(i) *Histor.* Gandersh. *Dipl. p. 130.*

vmquam audiuit Ludouicus Germanicus, ipseque titulus adeo abhorret ab illorum temporum moribus, vt recte et ordine fecerit HARENBERGIVS, quod in supplementis operis sui (*k*), lectorem de falsitate diplomatis admonere non dubitauit. A LEVKFELDIO enim, qui artis criticae expers, id sibi negotii credidit solum dari, vt veteres chartas omnes, veras, fictas, sinceras, interpolatas corraderet, id expectari profecto non potuit. At tanto magis miror, laudatum HARENBERGIVM (*l*), rectioris iudicii virum, in vindicandis LVDOLPHI SAXONIS diplomatibus (*m*), in quibus LVDOVICVS itidem *Romanorum* REX *invictissimus* vocatur, oleum operamque perdere voluisse (*mm*). Si enim vel maxime notas chronologicas ex eius sententia refingamus: (quod tamen in diplomatibus satis calidum consilium est,) aeque tamen absurde Ludouico II. Imp. quam Ludouico Germanico ab insulso illius chartae fabricatore tribuitur *Regis Romanorum* titulus, quem sero admodum, saeculo puta XII. demum audiri coepisse obseruamus. Immo eo anno Italiae tantum, non Romanorum regnum cum Ludouico filio communicauit Lotharius, nec vllae exstant litterae ab hoc anno 844. ad ann. 849. quo in Imperii societatem cooptatus est, scriptae a Ludouico, in quibus *Rex Romanorum* adpelletur (*n*). Ex quibus

(k) *Ibid. p.* 1685.

(l) *Ibid. p.* 44. *sequ.*

(m) *Infra Diplom. VI. et sequ.*

(mm) Summa defensionis est, Ludolphum, Saxoniae Ducem Romam profectum ad Sergium Papam non anno 853. Indict. 1. qui in charta illa perperam exprimatur, sed anno 844. Ind. 7. litteras commendatitias accepisse non a Ludouico Germanico, cuius commendatio Romae et in Italia parum ponderis fuisset habitura, sed a Ludouico II. Imperatore, Lotharii filio. Quin probabile esse, Ludolphum tum in ipsius Ludouici II. a patre in Italiam missi comitatu fuisse. Sed quis non videt chartae istius auctorem sequutum esse Hrosuitam, quae in *Carmine de fundatione eccles. Gandersheim.* v. 118. id iter commemorans ita cecinit?

> *Post haec acceptis* PROPRII *scriptis* SENIORIS,
> *Scilicet almifici Regisque pii Hludouuici,*
> *Eius permissu cum non modico comitatu,*
> *Romam pergebant, sanctumque patrem visitabant.*

Ecquis vero alius fuit PROPRIVS LVdolphi Saxonis SENIOR, quam Ludouicus Germanicus? An ita Italiae Rex vocari potuit ratione Ducis Saxoniae?

(n) Anno 844. Ludouicus II. nondum Imperator sed Italiae Rex a patre creatus est: Ado Viennens. *Chron. aetate VI. p.* 809. *Non multo post Lotharius filium suum, quem in Italia Regem fecerat, vt Imperatoris nomen sortiretur per Drogonem patruum Romam misit.* Papa vero illum quidem coronauit, sed Regem Longobardiae, non Imperatorem, sicut testatur Anastas. *Vit. Sergii p.* 231. et Auctor. annal. Bertin. *ad ann.* 844. adeoque errat Ado Viennensis, qui illum eo anno Imperatorem consalutatum esse tradit. Immo ne impetrare quidem tum potuit Ludouicus, vt ei fidem iurato promitterent Romani, his interferentibus caussam; quod soli patri Imperatori iurare tenerentur. Anastas. *ibid. p.* 231. Imperii diadema ac nomen eum anno demum 849. vel insequente accepisse, diserte refert Auctor Annal. Bertin. *ad ann.* 850. nec non Ioannes de Ceccano in *Chronico Fossae nouae apud Vghell. Tomo I. Ital. S. p.* 451. qui ad annum 850. Ind. 13. *Lotharius, cum Ludouico filii imperauit annis quinque.* Vtcumque se res habeat, numquam Ludouicus II. vsus est titulo Regis Romanorum, nec annos imperii vmquam ab anno illo 834. sed ab anno 849. vel 50. numerauit, veluti in diplomate apud Vghell. *Ital. S. p.* 330. anno 851. viuo

quibus sane consequitur, vt illa Ludolphi diplomata, siue in illis Ludouico Germanico, siue alteri Imperatori tribuatur Regis Romanorum nomen, ob id ipsum non modo suspecta, sed plane falsi damnanda videantur.

§. VIIII.

Mittimus cognomina reliqua, quibus eum a scriptoribus coaeuis passim ornari animaduertimus. Quamuis enim saepissime vocetur Rex SERENISSIMVS (*o*), GLORIOSISSIMVS (*p*), PIISSIMVS (*q*), CHRISTIANISSIMVS (*r*): ea tamen cognomina illi non magis propria fuisse videntur, quam alia epitheta, quibus vsus est OTFRIDVS, veluti dum eum ita adloquitur (*s*):

Ludouuig ther SNELLO,
Thes nuisduames folle:

Ludouicus AGILIS,
Sapientiaeque plenus.

itemque EDIL FRANCKO, *uuisero githanka*, *nobilis Francus sapientum cogitationum*. Sunt tamen, qui illum PII cognomen aeque ac patrem, tulisse, obseruant, quibus omnino suffragatur MONACHVS SANGALLENSIS (*t*), dum de Ludouico nostro: *Sed*, inquit, *quum ita se obtulerit occasio, vt necessario memoria fiat gloriosissimi patris vestri* HLAGNOMINE PII, *vel bellicosissimi proataui vestri, Pippini iunioris, de quibus propter ignauiam modernorum grande silentium est, omnia intacta praeterire nefarium iudicaui*. Nec minus HEPIDANNVS (*u*), qui alias strictissima breuitate omnia persequitur: *Anno* 876. inquit *Ludouicus* PIVS, *Rex Germaniae obiit*. Quae totidem paene verbis et in CHRONICO SANGALLENSI (*x*) leguntur. Nimirum in huiusmodi agnominibus bonis principibus tribuendis non parci esse solent ciues: quamuis non statim propriorum induant indolem. Id tamen omnino laudi cedit LVDOVICO nostro, quod quum illis atque insequentibus temporibus Francorum Reges a corporis animique vitiis CALVI, CRASSI, BALBI, SIMPLICES, IGNAVI dicerentur, noster id deberet

viuo patre dato, in quo vocatur LVDOVICVS *gratia Dei Imperator Augustus, inuictissimi D. N. Lotharii filius*, et subscriptio ita se habet: *Datum decimo Kalend. Iunii imperii Domini nostri Lotharii Sereniss*. - - 32. *imperii Domini nostri Ludouici Imperat*. - - *secundo Indict*. 14.

(o) *Infra Dipl*. 1. 2. 5. 11. *seq*. 39. 41. *sequ*. 44.

(p) *Infra Diplom*. 3. 8. 9. *sequ*. 16. *sequ*. 25. 30. 41. 44. 45. 48.

[q] *Infra Dipl*. 4. 19. 35. *sequ*.

[r] Regino *Annal. ad ann*. 876. *Chronograph. Saxo ad eumd. ann*.

[s] *Praefat. euangel. ad Ludou*. v. 1. et 25.

[t] *Vit*. Caroli M. *lib*. II. *cap*. 11. *pag*. 589.

[u] In *Annal. ad ann*. 876.

[x] *Apud* Du Chesne Tomo III. *pag*. 469.

set virtuti fortunaeque suae, vt nullo elogio alio, quam quod eius pietatem, sapientiam, et fortitudinem celebraret, a scriptoribus vetustis ornaretur.

CAPVT II.

DE LVDOVICI GERMANICI MAIORIBVS ET NATALIBVS.

§. I.

Haec de LVDOVICI nostri nomine, cognominibus ac titulis dicta sufficiant. Proximum est, vt de eiusdem maioribus splendidissimisque natalibus, et tempore, quo lucis huius vsura frui coepit, quaedam commentemur. Et paterna quidem eius origo tam est in vulgus nota, vt verear, ne otii mei parum rationem habuisse videar, si enucleandae illi familiae, post fratres gemellos doctissimos, SCAEVOLAM et LVDOVICVM SAMMARTHANOS (a), et virum celeberrimum, IO. DAVIDEM KOELERVM (b), operam aliquam impenderem, quum hi aliique viri docti, vix quidquam, quod huc pertineat, indiscussum reliquisse videantur. Quare pauca, eaque selectiora, delibasse suffecerit, ne lectori rei genealogicae minus curioso plane obscura sit origo Principis potentissimi.

§. II.

Patrem noster habuit LVDOVICVM PIVM, Imperatorem et regem, non minus fatorum fortunaeque vicissitudine, quam pietate rebusque gestis memorabilem: auum CAROLVM M. qui primus Augustam dignitatem genti suae felicissimis auspiciis intulit: proauum PIPPINVM, primum Maiorem Domus, ac deinde primum ex ea familia Francorum regem: abauum CAROLVM MARTELLVM, Maiorem Domus potentissimum, et cui ad summum inter homines fastigium, praeter regium nomen nihil omnino defuit: atauum denique PIPPINVM HERISTALLIVM, Maiorem Domus, quem quidem ANSEGISI Ducis filium, S. ARNVLFI, Metensium episcopi, nepotem fuisse, inter omnes constat. Et hunc quidem S. ARNVLFVM, cuius ossa Metis in capella S. Ioannis, postea a S. Arnulfo nomen sortita quiescunt (c), anno 641. ex hac rerum humanarum caligine ad coelestem lucem euolasse comperio. Et hactenus quidem omnia certa atque extra dubitationis aleam posita sunt. Quae de maioribus S. Arnulfi referuntur ab auctoribus GENEALOGIAE S. ARNVLFI (d) et libelli DE MAIORIBVS

(a) *Dans l'histoire genealogique de la Maison de France Tom. I. liv. 6. et 7. page 193. et suiv.*

(b) *Diss. de famil. Aug. Caroling.*

(c) Meurisse *Hist. des eveques de Metz ad ann. 641.*

(d) *Apud* P. Pithoeum *in XII. Script. hist. Franc. p. 219.*

RIBVS DOMVS (e), quamuis a Caroli M. temporibus pro certis credita non perinde indubia scriptorum aequalium auctoritate nituntur. Nimirum S. ARNVLFO patrem fuisse aiunt ARNOLDVM, Ducem et Comitem anno circiter 601. rebus humanis exemtum: auum ANSBERTVM, Senatorem: proauum FERREOLVM, Senatorem et praefectum Praetorio Galliarum, postea CHLODOVAEI M. teste PAVLLO DIACONO (f), generum: Hos ARNVLFI maiores etiam laudatissimi FRATRES SAMMARTHANI hoc ordine recensent: quorum stemma si verum est, multo altius ex ipso saeculo IIII. repeti poterit Carolingorum origo. TONANTII enim FERREOLI, praefecti praetorio Galliarum circa annum 450 meminit SIDONIVS APOLLINARIS (g), quem FERREOLI istius patrem fuisse, ipsa temporum ratio ostendit. Eius porro pater, itidem FERREOLVS, praefectus praetorio Galliarum, ab eodem laudatus SIDONIO (h) vxorem habuit, FL. AFRANII POSTVMI SVAGRII, anno 381. et sequente consulis, filiam, cuius tamen ipse nomen haud expressit. Habemus ergo longam S. Arnulfi maiorum seriem, quam, quantumuis a viris doctissimis acriter adsertam (i), nos quidem

(e) *Apud eumd. p. 226.*
(f) *De Episc. Metens. sub Agiulfo.*
(g) *L. I. Epist. 7. et lib. VII. Epist. 12.*
(h) *Carm. XXIIII. v. 35. sequ. et lib. I. Epist. 7.*
(i) In adserendis istis S. Arnulphi majoribus toti sunt Bouchetus, Fratres Sammarthani, M. Ant. de Domincy in *Ansberti familia rediuiua* Iac. Chiffletius in *Adpend. ad Leg.* Salica, et alii, de quibus Io. Dau. Koelerus in prologo galeato *differt. de augusta familia Carolingorum* praemisso. Nullus tamen horum testimonia auctorum eius aeui attulit, omnes libellorum supra adlatorum *Vitae S. Gengulfi* apud *Duchesnium Tom. III. p. 456.* similiumque auctoritate nituntur. Operae pretium tamen fuerit, fabulosas istas origines hoc schemate ob oculos ponere.

FLAV. AFRANIVS SYAGRIVS Consul anno 381. et sequente.

FERREOLVS Praefectus praet. Galliae, Sidon. *Carm. XXIIII. v. 35.* — N. filia, nupta Ferreolo.

TONANTIVS FERREOLVS Praef. praet. Gall. circa ann. 450. de quo Sidon. lib. I. Epist. 7.

FERREOLVS Senator, gener Chlodouaei M. et pater Ansberti.

ANSBERTVS, Senator.	Deotricus, Episc. Arisitens.	Firminus, Ep. Vsitiensis.	Agiulfus, Episcop. Metens.	Gamardus.	Raginfredus.
ARNOALDVS Dux et comes † 601.	Ferreolus Episc. Vset.	Modericus Episcop. Arisit.	Godo	S. Goericus Episc. Metens.	Nummolus Patricius.

S. ARNVLFVS, Episcopus Metensis, demum Eremita † 641. — DODA, postremo monialis.

quidem veram praestare nolimus, fassi tamen, S. Arnulfum, ante Episcopatum summa in aula Clotharii II. regnoque Austrasiae dignitate functum (k), splendidis procul dubio natalibus atque antiquitate generis claruisse (l). Nimirum latitant plerumque, vti maximorum fluminum, capita, ita et illustrissimarum gentium origines, vt viri etiam doctissimi in eas saepenumero coniecturis magis, quam certis rerum argumentis, penetrare videantur.

§. III.

Quum vero hactenus ea omnia, quae de Carolidarum familia dici possent, iam dudum a viris doctissimis occupata sint: id nobis relictum esse animaduertimus, vt de illustrissimis, quae inter LVDOVICI nostri maiores numerantur, feminis quaedam non vbiuis obuia adiiciamus. Priorem LVDOVICI Pii vxorem, quae praeter LOTHARIVM IMP. PIPPINVM, Aquitaniae Regem, et ALPAIDEM, Begoni Parisiensium Comiti nuptam, LVDOVICVM nostrum peperit (m), ERMENGARDIM dictam, satis notum ac peruulgatum est. Eam THEGANVS (n), scriptor εὐγχρονος vocat *filiam nobilissimi ducis*, INGORAMMI (o), *qui fuerit filius fratri* RVTHGANGI, *sancti Pontificis*. Eamdem astronomus, vitae LVDOVICI Pii auctor (p), *claris ortam natalibus*, *vtpote filiam* NIGRAMMI *Comitis* fuisse, refert. Iam PAVLLVS DIACONVS (q), qui Caroli M. temporibus floruit, et non multum a Chrodogangi Metensis, Episcopi aetate absuit, eius patrem diserte vocat SIGRAMMVM, *in pago Hasbaniensi ex genere primae nobilitatis Francorum progenitum*, matrem LANDRADAM, quam SIGEBERTVS

 GEM-

(k) Paull. Diac. *in Vit. Episc. Met.* p. 201.

(l) *Vit. S. Arnulfi* apud Sur. *Tom. IIII. p.* 723.

(m) Fratres Sammarthani in *Historia genealogica Domus Francicae lib. VII. pag.* 260. *Tomo I.* eamdem enixam esse scribunt ADELHEIDEM, vxorem primum Conradi, Comitis, fratris Iudithae Imperatricis, postea Roberti Fortis, Ducis, ALPAIDEM, Begoni Comiti nuptam, simulque Abbatissam S. Petri Rhemensis, GISELAM, Eurardo Cisoniensi nuptam, et HILDEGARDIM, vxorem Theoderici comitis. Sed vti certum est, GISILAN, Eurardi Cisoniensis vxorem Iudithiam matrem habuisse, quia et Agnellus apud Muratorium *Script. rer. Italic. Tomo II. pag.* 185. eam *Iudithae Augustae filiam*, et ipsa in charta Cisoniensi apud Dacherium *Spicileg. Tomo XII. pag.* 496. Carolum Caluum *germanum suum* vocat, nec minus exploratum habemus, Alpaidem ex Hilemen-trude natam esse, quia iam anno 817. quo Bego, eius maritus, teste Annalista Hildesheimensi, ad plures abiit, eam duos filios, LETARDVM et EBERARDVM habuisse, ex Flodoardi *Hist. Remens. eccl. lib. IIII. cap.* 46. discimus: ita de HILDEGARDE et ALPAIDE [Adelheide] incertissimum Hermingardis, an Iudithae filiae fuerint. Saltim nullum adhuc veteris scriptoris testimonium occurrisse fateor, ex quo alterutrum colligi posse videatur.

(n) *De gestis Ludov. Pii cap.* 5. *pag.* 297.

(o) Ita plerumque hoc nomen scribitur. Aliquando tamen veteribus memorantur INGIRAM, veluti apud Goldastum *Script. rer. Alam. Tomo II. pag.* 102. aliquando ENGIRAM, unde transpositis litteris facile nasci potuit NIGRAMMI nomen, quo auctor vitae Ludouici vsus est.

(p) *Ad annum* 796. *p.* 345.

(q) *De Episc. Metens. p.* 59. *apud* Calmet *Hist. Loth. tom. I. in probat.*

GEMBLACENSIS (*r*) et ALBERICVS Trium fontium monachus (*s*), Caroli Martelli filiam fuisse testantur, dum Chrodogangum, Episcopum, *Pippini ex Landrada sorore nepotem* adpellitant. Patrem Ingorami CHIFLETIVS vocat SIGRAMMVM II. sed sine auctore. Porro ex CHRONICO LAVRESHAMENSI (*t*) discimus, Chrodogango fratrem fuisse GVNDELANDVM, cui ille Abbatiam illam Laureshamensem cesserit, mortuum anno circiter 879. Denique ipsius ERMENGARDIS fratrem germanum fuisse IOSVAM, Abbatem S. Vincentii ad Vulturnum, ex *Chronico* istius monasterii apud DVCHESNIVM (*u*) intelligimus. Plura de ERMENGARDIS stirpe nos quidem expiscari non potuisse, fatemur, quamuis si quid coniecturis dare liceat, vix dubitemus, quin inter eius vel fratres vel ex fratre nepotes fuerit INGORAMMVS, Comes quem veteres *Caroli Calui Camerarium et domesticissimum* vocant. Nam et nomen, cuius in studio genealogico non minimum momentum est, fauet, et vix verosimile est, eum LVDOVICI nostri, quam Caroli, Domini sui, studiosiorem fuisse futurum, illumque sollicitaturum aduersus fratrem fuisse, nisi ipsa illum necessitudo in Ludouici partes fecisset procliuiorem. Quandoquidem tamen id anno demum 875. factum esse, refert AIMONIVS (*x*): INGORAMMVM LVDOVICI nostri consobrinum potius, quam auunculum, fuisse, probabile est, nisi fratrem Ermengardi sorori sexaginta paene annis superstitem fuisse, statuere velimus (*y*).

§. IIII.

(r) *Chron. ad ann.* 743.

(s) *Chronic. ad ann.* 739.

(t) *Chron. Laurisham. p.* 96.

(u) *Script. rer. Franc. Tom. III. pag.* 681.

(x) *Lib. V. cap.* 32.

(y) Ex his ergo, quae hoc §. disseruimus, hoc stemma exsurgit

CAROLVS MARTELLVS
Maior Domus ob. 741.

PIPPINVS Rex Franc. ob. 768.	LANDRADA.		SIGRAMMVS Comes in pago Hasbaniensi.
CAROLVS M. Imp. ob. 814.	N. Comes, quem Chifflettus *Sigrammum II.* sine aucto-re certo vocat. INGORAMMVS vel NEGRAMMVS comes.	GVNDELANDVS Abbas Lauresham. † 879.	Chrodogangus, Metens. archiepiscopus.
LVDOVICVS Pius, Imperator, duxit Ermengardim anno 796.	ERMENGARDIS Imperatrix. ob. 818.	Iosua, Abbas S. Victorii ad Vulturn.	N. Ermengardis frater vel soror. Ingrammus Comes, Caroli Calui Camerarius et domesticissimus. 875.
Lotarius Imp. natus 796.	Pippinus, Rex Aquitaniae.	LVDOVICVS Germanicus.	Alpais, nupta Begoni Com. Paris.

§. IIII.

Auia paterna LVDOVICI, (maternae enim nemo veterum, quod sciam, meminit,) fuit HILDEGARDIS, quae anno 771. post nescio quamdam Francam et Sybillam Langobardicam in Caroli M. Imp. torum adscita, postquam ei praeter Ludouicum Pium eiusque fratrem gemellum Lotharium, biennio post defunctum, Carolum natu maximum, Pippinum, Italiae regem, nec non Rotrudim Bertham, Giselam, Adelheidem et Hildegardim filias peperit (z), anno 783. diem obiit supremum (a). Eam EGINARDVS (b) *praecipuae nobilitatis feminam de gente Sueuorum* fuisse, scribit. THEGANVS (c) vero eius originem paullo adcuratius his verbis describit: *Cum in iuuentute erat supradictus Imperator, sibi iunxit nobilissimi generis Sueuorum puellam nomine* HILTEGARDAM, *quae erat de cognatione* GOTHEFRIDI, *Ducis Alamannorum.* GOTHEFRIDVS *Dux genuit* HOVCHINGVM, *Houchingus genuit* NEBI, *Nebi autem genuit* IMMAM, *Imma vero peperit* HILTHEGARDAM, *beatissimam reginam.* Habemus itaque matrem Hildegardis IMMAM, eamque NEBI filiam, HOVCHINGI neptem, proneptem denique GODOFREDI, Alamannorum Ducis, cuius aetatem ex ECCARDI (d) calculo in medium saeculum septimum incidisse oportet. Ex his NEBI, Ducis, (quod ab aliis non video esse obseruatum,) meminit WALAFRIDVS STRABO, Abbas Augiensis (e). Quum enim narrasset, Waltramum quemdam Comitem, tractus illius, in quo monasterium S. Galli conditum est, dominum, Othmarum Abbatem a Victore, Curiensium comite, impetrasse: statim pergit: *Postmodum consilio cuiusdam Ducis, nomine* NEBI *persuasus ad praefatum Principem Karolum cum eodem Duce properauit, ipsique eamdem cellam proprietatis iure contradidit, et ut Othmarum presbyterum eidem loco praeficeret, exorauit.* Floruit ergo NEBI Dux, quum Othmarus Abbas coenobio S. Galli praeesse coepisset; id quod anno 720. contigisse, docet IOACH. VADIANVS (f), et quidem viuente adhuc Carolo Martello, Principe seu Maiore Domus; adeoque ante annum 741. quo hic rebus humanis excessit. Porro obseruasse mihi videor, NEBI Ducem successorem habuisse GODOFREDVM. De eo enim ERMENRICVS ELVVANGENSIS (g): *Post obitum gloriosi regis Pippini, filiis eius litigantibus, erectus est Huotilo in Ducatum Boioariorum, et* GOTEFREDVS *in regimine Alamannorum, sicque orta magna seditione inter Boioarios et Alamannos, deuastantibus et depraedantibus seu spoliantibus omnia, quae in marchis duorum regnorum consistebant, minime quiuit Theodorus, fidelis monachus S. Galli custodire locum Campidonensem, propter varias persequutiones.* Id factum oportuit anno 720. antequam Thassilo cum Carolo M. in gratiam rediret, quia insequente anno Carlomannus, eius frater, quocum illi simulta-

tes

(z) Paull. Diac. *de Episc. Metens.*
(a) *Dipl. apud* Mabillon. *de re dipl. lib. II. cap.* 26. §. 1.
(b) *Vit. Caroli cap.* 18.
(c) *De gestis Ludouici cap.* 2. *p.* 296.
(d) *Orig. Habsp. Lib. I. cap.* 5. *pag.* 23.
(e) *De Miracul. S. Galli lib. II. cap.* 11.
(f) *In Chronol. Abb. S. Galli* apud Goldast. *tom. I. pag.* 92.
(g) Apud. Goldast. *ibid. pag.* 101.

res aliquamdiu intercesserant, iam ad plures abiit. Quum vero ex LEGE ALAMANNORVM (h) pateat, eam tum fuisse Ducatus Alamannici formulam, vt filius, nisi se eo principatu rebellione indignum reddidisset, matri succederet: recte inde colligere nobis videmur, et Godofredum hunc NEBI filium, IMMAE fratrem fuisse, (id quod et nomen GOTHOFREDI, illi cum proauo commune, confirmat,) et HOVCHINGVM non minus, quam GOTHOFREDVM patrem et NEBI filium ad Ducatus fastigium peruenisse. Mirum vero est, THEGANVM solam HILDIGARDIS matrem nominasse contentum, patris, cuius tamen nomen procul dubio satis compertum habuit, ne verbo quidem meminisse. Id vero non sine iusta ac fontica caussa factum esse oportuit. Idque me mouet, vt suffragari non possim viro eruditissimo Io. BLONDELLO (i), Childebrandum suum IMMAE maritum fuisse suspicanti (k). Cur enim id dissimulasset THEGANVS? Cur ad ostendendam Hildegardis nobilitatem non potius CHILDEBRANDVM, Pippini filium, Caroli Martelli fratrem, quam IMMAM, ducis filiam protulisset? Immo ne Sueua quidem ab EGINARDO et THEGANO dici potuisset HILDEGARDIS, si patrem habuisset CHILDEBRANDVM, quippe quem in Alamannia vixisse nemo veterum memoriae prodidit. Vt ergo in re tam obscura ipse quoque diuinationem aliquam proferam: mihi equidem non est dubium, patrem HILDIGARDIS, quisquis fuerit, facinore aliquo parum laudabili effecisse, vt THEGANVS eius memoriam supprimendam esse crederet. Iam illo tempore, testibus RATPERTO (l), WALAFRIDO STRABONE (m), et ERMENRICO (n), in isto Alamanniae tractu potentia eminebant duo Comites, WARINVS ET RVTHARDVS, qui vt ait WALAFRIDVS, *tunc temporis totius Alamanniae curam administrabant*, quique captum S. Othmarum falsis criminibus oppresserant, eoque scelere non ipsi modo meruerant, vt ab ERMENRICO PESSIMI COMITES vocarentur, sed et toti posteritati suae veluti notam quamdam ac maculam perpetuam inusserant. Saltim ECHARDVS iunior S. Galli monachus (o), et de CONRADO I. Rege notat, *eius parentes fuisse, qui S. Othmarum vexarint*, et idem exprobrat PERCHTOLDO ET ERCHANGERO, Comitibus postea capitis damnatis, et WOLFHARDO Comiti eiusque filiis WOLFHARDO et HEINRICO exprobrat, eosque *carnificum illorum filios* fuisse dicit, additque, eos quotannis ob maiorum suorum facinus censum capitis ad sepulcrum S. Othmari offerre iussos. Horum ergo Comitum alterutrum NEBI Ducis filiam IMMAM duxisse, ex eaque Hildegardim filiam suscepisse, ac ob

(h) *Tit.* 35.

(i) *Praefat. Apologet. geneal. Franc.* 34. 3.

(k) Duplici enim argumento, vel coniectura potius nititur Blondellus. Primo, quod recentiores tantum non omnes patrem HILDIGARDIS vocent HILDEBRANDVM. Deinde, quod Childebrando fuerit filius NEBILVNGVS, quem ab auo, NEBI Duce id nomen obtinuisse probabile sit. Enimvero, recentiorum somniis, certo auctorum veterum testimonio destitutis, ne BLONDELLVS quidem in re tam antiqua crediderit. Nomen vero solum, si alia desint argumenta, rem non conficere, nemo negauerit.

(l) *De casibus S. Galli cap.* 2.

(m) *De vita S. Othmari cap.* 4.

(n) *Supplem. vitae S. Magni cap.* 14.

(o) *De casib. S. Galli cap.* 1.

ac ob factam S. Othmaro iniuriam THEGANO indignum visum esse, cuius inter Ludouici Pii maiores faceret mentionem, crediderim. Enimuero vti haec cuiusque iudicia submittimus: ita multo certius est, duos fuisse HILDEGARDI fratres, VDALRICVM et GEROLDVM. De priore enim monachus S. Galli, qui vitam CAROLI M. scripsit (p): *Ex certis autem caussis quibusdam plurima tribuit, vt* VDALRICO, *fratri Magnae* HILDEGARDAE, *genitricis regum et Imperatorum. De quo quum post obitum ipsius Hildegardae pro quodam commisso a Karolo viduaretur honoribus, quidam scurra in auribus misericordissimi K. proclamauit: Nunc habet Vdalricus honores perditos in oriente et occidente, defuncta sua sorore. Ad quae verba illacrymatus ille, pristinos honores statim illi fecit restitui.* De posteriore autem GEROLDO, quem veteres *Caroli M. Imperatoris consanguineum et signiferum* (q) vocant, *Hildegardis reginae germanum* fuisse, diserte adfirmant RATPERTVS (r) et WALAFRIDVS in epistola Grimoaldum Abbatem S. Galli apud GOLDASTVM. Ceterum hunc GEROLDVM Boioariae praefectum a Carolo M. anno 799. ab Hunnis circumuentum occubuisse, et postea ex S. Wettini, monachi Augiensis, visione inter martyres relatum esse, in omnibus paene eorum temporum annalibus adnotatum esse animaduertimus. Et haec sunt, quae de HILDEGARDIS familia mihi scriptores chartasque veteres non perfunctorie lustranti occurrerunt (s). Quae enim recentiores hic somniant, ne digna quidem videntur, quibus recensendis diutius immoremur.

§. V.

Vt et de reliquis LVDOVICI nostri progenitricibus pauca, quae ex antiquitatis parietinis eruere licuit, dicamus: satis quidem nota est eius proauia BERTRADA seu BERTHA, Pippini regis vxor, mater Caroli M. Carolomanni, Pippini anno 7?9. defuncti, itemque filiarum Rothaidis, Adelhaidis et Gisilae: at illustrissimae istius feminae origo multo magis, quam reliquarum omnium, obscura est. Eam enim alii HERACLII Imp. alii nescio cuius FLORI, Hungarorum Regis filiam fuisse, contendunt, ridicula, ceu omnes prudentiores fatentur, con-

(p) *Lib. I. cap. 13. pag. 544. edit. Reinnii.*

(q) *Vita S. Meinuuerci* apud Leibnit. *Script. Rer. Brunsu. tom. I. pag. 545.*

(r) *De casibus S. Galli cap. 3. pag. 2.*

(s) Ea vero omnia vt vno obtutu a lectore possint perspici, ex instituto nostro breui tabellae includimus:

GOTHOFREDVS, Dux Alamanniae medio saeculo VII.

HOVCHINGVS, Dux Alamanniae.

NEBI, Dux Alamanniae sub Carolo Martello.

IMMA ex nostra sententia siue Warino siue Rudhardo Comiti Alam. nupta. (t) — Gothofredus, Alamanniae Dux circa annum 770.

CAROLVS M. Imperator. — HILDEGARDIS Regina et Imperatrix anno 771. obiit anno 783. — Vldaricus sorori superstes. honoribus a Car. M. priuatus, mox restitutus. — Geroldus, signifer Imp. Comes et Marchio in Boioaria, occisus ab Hunnis anno 799. 14. Kal. Ian. Necrol. Hildesh. ap. Leibnit. *tom. I. pag.* 787.

Carolus † 811. — Pippinus, Rex Aquit. † 810. — LVDOVICVS Pius Imp. † 840. — Lotharius, Ludouici frater gemellus † 760. — Rotrudis. — Gisila. — Adelheid. — Hildegard.

LVDOVICVS Germanicus.

(t) Multa tamen suadere videntur, vt RVTHARDVM potius, quam WARINVM, Immam duxisse credamus. Hic enim posteros reliquit Guelphos. GILDEGARDIS videtur vnica parentum suorum filia fuisse, quippe quae luculentam hereditatem, partem puta Alamanniae haud poenitendam dotis loco Carolo M. attulit. Didicimus hoc ex fragmento *libri MSC. de reliquiis ecclesiae S. Dionysii Episcopi et martyris* apud Duchesn. *tom. III. pag.* 385. vbi auctor satis antiquus refert, Carolum M. *corpora Cucufatis et Hippolyti Martyrum Roma transferre disposuisse in partes illas Alamanniae, quas prae ceteris dilexerit, praesertim quia ipsum specialiter ex parte* VXORIS *suae* IVRE HEREDITARIO *contigerint*. Exstat quidem Ruthardi huius chartae apud Goldast. *Rer. Alam. tom. II. chart.* 42. *et* 59. *pag.* 38. et 45. in quibus infantis vel filii sui meminit: sed is potuit ad iustam aetatem non peruenisse. Ibidem hic Ruthardus patrem suum BAINONVM vocat. Nec ipsa charta rem ideo reddit ambiguam, quod Ruthardus ille vniuersa bona sua hereditaria et adquisita ea lege offert monasterio S. Galli, vt ipse et liberi de illis certum monasterio seruitium praestent. Potest enim et sub hoc seruitio saluum esse ius hereditarium.

coniectura (*u*). Ne SAMMARTHANI quidem fratres (*x*), qui nihil fecerunt reliqui, vt non nisi comperta scriberent, eius parentes peruestigare potuerunt, id vnum sibi liquere professi, BERTRADAM illam non peregrinam, sed gente Francam fuisse, quum alias STEPHANVS Papa III. (*y*) ad Carolum M. et Carolomannum fratres scribere non potuisset: *Etenim* NVLLVS *ex vestris parentibus, scilicet neque auus vester, neque proauus, sed* NEC VESTER GENITOR, *ex alio regno vel extranea natione coniugem accepit*. Certissimum ergo est, Francam fuisse hanc BERTHAM seu BERTRADAM, et mirum est, eius patrem fugere potuisse SAMMARTHANORVM diligentiam, quum AVCTOR ANNALIVM BERTINENSIVM (*z*) eum nominatim iam pridem indicarit, his verbis: *anno* 749. *Pippinus coniugem duxit* BERTRADAM, *cognomine* BERTAM, CARIBERTI *Laudinensis comitis filiam*. Cui testimonio non exiguum profecto pondus accedit ex tabulis monasterii Prumiensis, in quarum vna, scripta *d.* 13. *Aug. anno* 11. *regnante Pippino gloriosiss. rege* (*a*) Pippinus *Rex Francorum vir illustris* vna cum *coniuge sua* BERTRADA monasterio illi donat *res proprietatis suae in pago Chorosuilla tam illam portionem, quae Pipino de Carolo genitore suo aduenerit, quam et illam portionem ipsius* BERTRADAE, *quam genitor suus* HERIBERTVS *ei in alode dereliquerit*. Itaque Bertrada patrem habuit CARIBERTVM vel, quod idem nomen est, HERBERTVM, Comitem Laudunensem, qui et in Lotharingia in pago *Chorosuilla* praedia possedit. Eius vero non modo in illo Pippini diplomate fit mentio, verum etiam in alio antiquiore *d.* 23. *Iun. anno primo regni Theoderici regis* confecto (*b*), in quo etiam matrem eius BERTRADAM *seu* BERTAM, et in subscriptione BERTRADANEM dictam eruimus. Plura nos scire fatemur iuxta cum ignarissimis. Nec magis nos perspectam habemus originem abauiae et atauiae, quarum illam fuisse suspicantur CHROTRVDEM vel ROTHRVDEM (*c*), hanc ALPAIDEM dictam esse, satis constat, quamuis, iustane haec PIPPINI vxor, an pellex fuerit, inter viros doctos, et maxime inter CHIFLETIVM et BLONDELLVM acrius disputatum esse, meminerimus. Id satis nobis videmur exploratum habere, falsos esse fratres Sammarthanos, duas CAROLO MARTELLO tribuentes iustas vxores, GELTRVDEM et SVANECHILDIM, Odilonis Boioariae Ducis filiam, et ex hac posteriore omnes, quos habuit, liberos prodiisse existimantes (*d*). Nam nec GELTRVDIS nomen in scriptoribus veteribus reperit

(u) Quum enim HERACLIVM Imp. anno 641. diem obiisse supremum testetur Cedrenus *Comp. Hist. pag.* 354. *edit. Xylandri*. BERTHA vero vel BERTRADA apud Carolum M. filium consenuerit, anno demum 783. 4. Id. Iulii defuncta: Annal. Met. *ad ann.* 783. Annal. Fuld. et Reuber. *ad eumd. ann.* quis crederet, filiam 142. annis superstitem fuisse? Florum porro omnes annales eorum temporum ignorant. Nec credibile est Pippinum mulierem paganam et a pietate Christiana alienam in torum recipere voluisse,

[x] *Lib. VII. pag.* 226. *tom.* I.

[y] Du Chesne *Scrip. Rer. Franc. tom. III. pag.* 761.

(z) *ad ann.* 749.

(a) Calmet. *Hist. eccl. Lotharing. in Probat. tom. I. pag.* 277.

[b] *Ibid. pag.* 269.

[c] *Annal. Tilian. ad ann.* 625. apud Duchesn. *Tomo II. p.* 7.

[d] Scribunt SAMMARTHANI *lib. VI. p.* 213. Tomo I. *Carles Martell fut marie deux fois. La premiere auec*

GEL-

GOTHOFREDVS, Dux Alamanniae medio saeculo VII.

HOVCHINGVS, Dux Alamanniae.

NEBI, Dux Alamanniae sub Carolo Martello.

IMMA ex nostra sententia siue Warino siue Rudhardo Comiti Alam. nupta. (t)

Gothofredus, Alamanniae Dux circa annum 770.

CAROLVS M. Imperator.

HILDEGARDIS Regina et Imperatrix anno 771. obiit anno 783.

Vldaricus sorori superstes, honoribus a Car. M. priuatus, mox restitutus.

Geroldus, signifer Imp. Comes et Marchio in Boioaria, occisus ab Hunnis anno 799. 14. Kal. Ian. Necrol. Hildesh. ap. Leibnit. *tom.* I. *pag.* 787.

Carolus † 811.

Pippinus, Rex Aquit. † 810.

LVDOVICVS Pius Imp. † 840.

LVDOVICVS Germanicus.

Lotharius, Ludouici frater gemellus † 760.

Rotrudis.

Gisila.

Adelheid.

Hildegard.

(t) Multa tamen suadere videntur, vt RVTHARDVM potius, quam WARINVM, Immam duxisse credamus. Hic enim posteros reliquit Guelphes. GILDEGARDIS videtur vnica parentum suorum filia fuisse, quippe quae luculentam hereditatem, partem puta Alamanniae haud poenitendam dotis loco Carolo M. attulit. Didicimus hoc ex fragmento *libri MSC. de reliquiis ecclesiae S. Dionysii Episcopi et martyris* apud Duchesn. *tom.* III. *pag.* 385. vbi auctor satis antiquus refert, Carolum M. *corpora Cucufatis et Hippolyti Martyrum Roma transferre disposuisse in partes illas Alamanniae, quas prae ceteris dilexerit, praesertim quia ipsum specialiter ex parte* VXORIS *suae* IVRE HEREDITARIO *contigerint*. Exstat quidem Ruthardi huius chartae apud Goldast. *Rer. Alam. tom.* II. *chart.* 42. *et* 59. *pag.* 38. *et* 45. in quibus infantis vel filii sui meminit: sed is potuit ad iustam aetatem non peruenisse. Ibidem hic Ruthardus patrem suum BAINONVM vocat. Nec ipsa charta rem ideo reddit ambiguam, quod Ruthardus ille vniuersa bona sua hereditaria et adquisita ea lege offert monasterio S. Galli, vt ipse et liberi de illis certum monasterio seruitium praestent. Potest enim et sub hoc seruitio saluum esse ius hereditarium.

coniectura (*u*). Ne SAMMARTHANI quidem fratres (*x*), qui nihil fecerunt reliqui, vt non nisi comperta scriberent, eius parentes peruestigare potuerunt, id vnum sibi liquere professi, BERTRADAM illam non peregrinam, sed gente Francam fuisse, quum alias STEPHANVS Papa III. (*y*) ad Carolum M. et Carolomannum fratres scribere non potuisset: *Etenim* NVLLVS *ex vestris parentibus*, *scilicet neque auus vester*, *neque proauus*, *sed* NEC VESTER GENITOR, *ex alio regno vel extranea natione coniugem accepit*. Certissimum ergo est, Francam fuisse hanc BERTHAM seu BERTRADAM, et mirum est, eius patrem fugere potuisse SAMMARTHANORVM diligentiam, quum AVCTOR ANNALIVM BERTINENSIVM (*z*) eum nominatim iam pridem indicarit, his verbis: *anno* 749. *Pippinus coniugem duxit* BERTRADAM, *cognomine* BERTAM, CARIBERTI *Laudinensis comitis filiam*. Cui testimonio non exiguum profecto pondus accedit ex tabulis monasterii Prumiensis, in quarum vna, scripta *d.* 13. *Aug. anno* II. *regnante Pippino gloriosiss. rege* (*a*) Pippinus *Rex Francorum vir illustris* vna cum *coniuge sua* BERTRADA monasterio illi donat *res proprietatis suae in pago Chorosuilla tam illam portionem*, *quae Pipino de Carolo genitore suo aduenerit*, *quam et illam portionem ipsius* BERTRADAE, *quam genitor suus* HERIBERTVS *ei in alode dereliquerit*. Itaque Bertrada patrem habuit CARIBERTVM vel, quod idem nomen est, HERBERTVM, Comitem Laudunensem, qui et in Lotharingia in pago *Chorosuilla* praedia possedit. Eius vero non modo in illo Pippini diplomate fit mentio, verum etiam in alio antiquiore *d.* 23. *Iun. anno primo regni Theoderici regis* confecto (*b*), in quo etiam matrem eius BERTRADAM *seu* BERTAM, et in subscriptione BERTRADANEM dictam eruimus. Plura nos scire fatemur iuxta cum ignarissimis. Nec magis nos perspectam habemus originem abauiae et atauiae, quarum illam fuisse suspicantur CHROTRVDEM vel ROTHRVDEM (*c*), hanc ALPAIDEM dictam esse, satis constat, quamuis, iustane haec PIPPINI vxor, an pellex fuerit, inter viros doctos, et maxime inter CHIFLETIVM et BLONDELLVM acrius disputatum esse, meminerimus. Id satis nobis videmur exploratum habere, falsos esse fratres Sammarthanos, duas CAROLO MARTELLO tribuentes iustas vxores, GELTRVDEM et SVANECHILDEM, Odilonis Boioariae Ducis filiam, et ex hac posteriore omnes, quos habuit, liberos prodiisse existimantes (*d*). Nam nec GELTRVDIS nomen in scriptoribus veteribus repe-

 rit

(*u*) Quum enim HERACLIVM Imp. anno 641. diem obiisse supremum testetur Cedrenus *Comp. Hist. pag.* 354. *edit. Xylandri*. BERTHA vero vel BERTRADA apud Carolum M. filium consenuerit, anno demum 783. 4. Id. Iulii defuncta: Annal. Met. *ad ann.* 783. Annal. Fuld. et Reuber. *ad eumd. ann.* quis crederet, filiam 142. annis superstitem fuisse? Florum porro omnes annales eorum temporum ignorant. Nec credibile est Pippinum mulierem paganam et a pietate Christiana alienam in torum recipere voluisse.

[x] *Lib. VII. pag.* 226. *tom.* I.

[y] Du Chesne *Scrip. Rer. Frat. tom. III. pag.* 761.

(z) *ad ann.* 749.

(a) Calmet. *Hist. eccl. Lotharing. in Probat. tom.* I. *pag.* 277.

[b] *Ibid. pag.* 269.

[c] *Annal. Tilian. ad ann.* 625. apud Duchesn. *Tomo* II. *p.* 7.

[d] Scribunt SAMMARTHANI *lib. VI. p.* 213. Tomo I. *Carles Martell fut marie deux fois. La premiere auec*

GEL-

rit praesidium, nec Suanechildis iusta CAROLI MARTELLI vxor, nec ODILONIS Baioariae Ducis filia, nec vllius filii, quam GRIFONIS mater exstitit. ALPAIDEM etiam a PIPPINO Heristallio in torum receptam, fratrem DODONEM, S. Lamberti, Leodiensium Episcopi, percussorem habuisse (e), nec humili genere ortam esse (f), satis certum est. At celeberrima omnium totius Carolingicae Domus progenitrix S. BEGGA, Anchisae vxor, nurus S. Arnulfi, ex ea prognata gente, cui id diuinitus fuerat datum, vt tot viros feminasque sanctitatis laude illustres, quot homines produceret. Patrem enim habuit S. PIPPINVM Landensem, maiorem Domus, mortuum anno *646*. matrem S. ITTAM, duodecimo ab excessu mariti anno, qui aetatis erat sexagesimus, defunctam (g), sororem S. GERTRVDEM Niuellensem Abbatissam, quae anno *664*. die 17. Martii iuuenis, sed incredibili sanctitatis fama decessit: fratrem GRIMOALDVM, maiorem Domus, quem impotens dominandi libido, prauumque consilium, imperium CHILDEBERTO filio vindicandi pessumdedit (h): denique cognatos cognatasque quam plurimos, quos Ecclesia Romana tantum non omnes, in caelitum numerum relatos, religiose colit. Ipsa quoque BEGGA, marito orba, velum more saeculi sumsit; et tantam sibi sanctimoniae opinionem peperit, vt ipsa quoque caelitibus adscriberetur. Vere ergo hanc gentem quoddam caelitum veluti seminarium dixeris, quorum vberrimum prouentum in tabula sistere operae pretium fuerit (i). Et hae quidem sunt illustrissimae matronae, quae inter LVDOVICI nostri maiores numerantur. De sancti enim ARNVLFI vxore, DODA, nihil memoriae proditum reperio, quam

GELTRVDE, *qui n'est autrement designee par l'histoire. La seconde auec* SVANECHILDE *de Bauiere, laquelle fut sa femme legitime, et non pas concubine, ainsi qu'aucuns se sont persuades. Elle estoit fille d'Odilon Duc de Bauiere.* At primae vxoris nomen ignoratur, nec quisquam, quod norim, eam Geltrudim dixit, quamuis sint, qui huc trahant verba Annalium Tilianorum: *Quando Karolus primum fuit in Bauarios, et* CHROTRVDIS *moritur*, et Annalium Nazariorum *pag.* 3. HROTRVDIS *mortua*. Deinde reliqui, quos notauimus, Sammarthanorum lapsus omnes in oculos incurrent, si paullo accuratius expenderis illa Eginardi *in Annal. ad ann. 741. Hoc anno Carolus, maior Domus, diem obiit tres filios heredes relinquens,* CAROLOMANNVM *scilicet,* PIPINVM *atque* GRIFONEM, *quorum Grifo, qui ceteris minor natu erat, matrem habuit, nomine* SVANIHILDEM, NEPTIM *Odilonis, Ducis Boioariorum*. Nec non locum ex Annal. Metens. *ad ann. 741. Carolus adhuc viuens quum inter filios suos Carlomannum et Pippinum principatum suum diuideret, tertio filio suo* GRIPPONI, *quem ex* SONIHILDE, *quam de Bauaria captiuam adduxerat, habuit, suadente eadem* CONCVBINA *sua, partem ei in medio principatus sui tribuit, partem videlicet aliquam Neustriae, partemque Austrasiae et Burgundiae*: Rem omnem confecit V. C. IO. Dan. Koelerus in *Dissertatione de Augusta familia Carolingorum p. 19. sequ.*

(e) Sigeb. Gemblac. *ad ann. 698.*

(f) Contin. Fredegar. *cap.* 103.

(g) Vita S. Gertrudis *Niuell.* apud Surium *d.* 17. *Mart. pag.* 302. *sequ.*

(h) Fredegar. *cap.* 83. Aimon. *lib.* IIII. *cap.* 37. *et* 42.

(i) Iam pridem de hoc stemmate PIPPINI Landensis bene meritus est Aubert. Miraeus *Notit. Eccles. Belg. cap. 8. p. 640. edit. Foppenii*. Nos vero illam ex ipsis Sanctorum vitis de nouo confecimus suppleuimusque.

CARO-

CAROLOMANNVS Princeps,
VX: ERMEGARDIS. Vit. Pippini d. 21. Febr. p. 1059. At in vita S. Ermelindis d. 29. Oct. p. 1078. Pippini pater vocatur Ermenoldus, mater Ermelindis.

- **S. PIPPINVS** Laudensis, maior Domus † 646. Vxor **S. ITTA**. Vita S. Gertrud. d. 17. Mart. p. 302. † 658.
  - GRIMOALDVS, maior Domus, ob consilium filium Regem creandi periit. Fredegar. et Aimon.
    - CHILDERERTVS iure adoptionis Rex, exauctoratus occubuit.
  - S. GERTRVDIS, Niuellensis, S. Beggae soror, Geneal. S. Arnulfi p. 220. † 664. Vita apud Sur. d. 17. Mart.
  - S. BEGGA, nupta ANCHISAE vel ANSEGISO, demum monialis ob. 698. Vita S. Gertrud. p. 306.
    - **PIPPINVS** Heristallius Carolidarum prosator.
- **AMALBERGA**, nupta **WALBERTO**.
  - **WALBERTVS** VX. **BERTILIA**. Vit. S. Theodorati p. 188.
    - S. WALTETRVDIS, VX. S. VINCENTII Sonegiensis † 670. Vit. Gudulae p. 168.
      - S. LANDERICVS, Episcopus Meld.
      - S. DENTLINVS.
      - S. ALTETRVDIS S. Adelgundi successit in Abbatia Melbod.
      - S. MADELBERTA.
    - S. ADELGVNDIS Abbatissa Melbodiensis. † 664. d. 30. Ian. Vita S. Gudulae p. 168.
    - S. EMEBERTVS. Episcopus Cameracensis, Vit. S. Gudulae p. 167.
  - S. AMALBERGA, nupta VITGERO, Comiti. Vit. S. Gertrud. p. 367.
    - S. REILDIS. S. RHAILDIS. Vit. S. Gudal. p. 167.
    - ERMELINDIS. Eius vita apud Surium d. 29. Octobr.
    - S. GVDVLA, Bruxellensium patrona. Eius vita apud Sur. † 712.

quam quod gente Sueua fuerit, ac demum, exemplum sequuta mariti, ipsa quoque Treueris inter sanctimoniales consenuerit (*k*), mater trium filiorum, et filiae vnius, quos omnes infra in breui tabula repraesentauimus (*l*).

§. VI.

Tam splendido genere, tamque illustribus maioribus ortus est LVDOVICVS Germanicus, eumque ERMENGARDIS, regina vt diximus ex LVDOVICO Pio tertio partu enixa est. Diem mensemque natalem nusquam notatum reperio, immo ne annum quidem, quo lucis huius vsura frui primum coepit: vt adeo id solum diligentiae meae relictum videatur, vt in re obscurissima, quid valeat ingenium, experiar. Primum ergo id certum exploratumque est, LVDOVICVM tertium ERMENGARDAE, Ludouico Pio anno *796.* nuptae (*m*), filium, viuo adhuc CAROLO M. in lucem editum fuisse. Id enim hoc testimonio suo firmat THEGANVS (*n*): *Supradicta vero virgo Irmingarta vocabatur, quam consilio et consensu patris reginam constituit, atque ex ea tres filios habuit, adhuc* PATRE VIVENTE, *quorum vnus vocabatur* LOTHARIVS, *alter* PIPPINVS *tertius aequiuocus eius*, LVDOVICVS. Natum ergo LVDOVICVM esse oportuit ante annum 814. quo Carolus M. diem obiit supremum, et post annum *799.* ante quem Ermengarda, anno *796.* nupta, tres filios habere vix potuit. Deinde SAN-

(k) Vita S. Clodulphi inter acta SS. Antuerp. *Tom. II. mens. Iun. p.* 127.

(l) Sequimur V. C. Io. Dan. Koelerum *Diss. de augusta famil. Caroling. p.* 1. *sequ.* qui S. Arnulfi et Dodae liberos ita repraesentat:

S. ARNVLFVS Ep. Metensis, antea maior Domus Austriae † d. 16. Aug. *640.*

BODA vxor, postea monialis Treverensis.

ANCHISES vel ANSEGISVS, itemque ANCHISVS, maior Domus a. *639.* ob. *685.* inde reges et impp. CAROLINGI.	WALGISVS, Alberic. ad ann. *644.*	S. CLODVLPHVS, Episc. Metensis *654.* † d. 8. Maii *694.*	N. filia, nupta Comiti Virdunensi.
	S. Wandregisilus Com. Palatii, postea clericus, † d. 21. Iul. *668.* Vita eius apud Sur.		S. GODO, conditor monasterii Oyensis in dioecesi Trecensi. Alberic. ad ann. *644.* et *677.*

(m) *Astronom. Auct. vit.* Ludou. Pii *Pag.* 345.

(n) *de gest.* Ludouici Pii *Imp. cap.* 3. *pag.* 207.

Sangallensis, *vitae Caroli M.* auctor (o), narrat, Lvdovicvm nostrum a patre ad Carolum M. adductum esse sexto a natiuitate anno, et alibi (p) eumdem ad septuagesimum aetatis annum peruenisse, testatur. Quum ergo V. Kal. Sept. anni erae Dionysiacae 876. vitam cum morte commutarit, nec tamen adeo certum sit, proximusne septuagenario fuerit, an eumdem superarit (q): subtractis eo numero annis 70. res ipsa docebit, eum anno vel 806. vel proxime siue antecedente, siue consequente, mortalibus interesse coepisse. Res ergo omnis eo demum redit, vt quem horum trium annorum natalem habuerit, dispiciamus paullo adcuratius. At ne id quidem nos ignorare patitur bonus ille S. Galli Monachvs. Ludouicus enim Pius per multos annos in Aquitania haerens ab anno 806. ad annum 813. patrem non vidit. Illo vero demum anno Carolus M. quum se ad extremam vitae lineam peruenisse vidisset, teste Astronomo, vitae Lvdovici Pii auctore (r), *misit ad filium, eumque ab Aquitania euocauit. Quem venientem clementer suscepit, tota aestate secum retinuit, de his, quibus eum indigere putauit, instruxit, qualiter videlicet sibi viuendum, regnandum, regnum ordinandum, et ordinatum tenendum foret, monuit, et tandem imperiali eum diademate coronauit, et rerum summam penes eum futuram esse, Christo fauente innotuit, et hoc peracto negotio reditum ad propria concessit. Qui mense Nouembri a parte regrediens, Aquitaniam repetiit.* Non alio ergo, quam 813. anno, contingere potuit, quod de Lvdovico nostro memoriae prodidit Monachvs Sangallensis (s): *quum natus et sex annis in domo patris cautissime nutritus sexagenariis hominibus sapientior haud immerito videretur, genitor indulgentissimus, qui hoc vix aegre exspectaret, vt ad conspectum aui eum perducere potuisset, adsumens puerum, a matre delicatissime curatum, coepit instruere, quam serie, et quam timorate ante imperatorem se ageret, aut forte interrogatus ei responderet, nec non et sibi deferre deberet, et sic eum ad palatium produxit.* Si ergo annus ille 813. fuit sextus Lvdovici: euidentissimum est, natalem ei fuisse annum 807. Et hinc facile patet, cur idem Astronomvs (t) ad annum 814. scribat: *eodem etiam anno duorum suorum filiorum* Lotharivm *in Baioariam.* Pippinvm *vero in Aquitaniam misit, tertium vero* Lvdovicvm, *adhuc* pverilibvs *consistentem in* annis, *secum tenuit.* Vere enim Lvdovicvs tum fuit septennis, adeoque nondum infantiae annos egressus (u).

§. VII.

(o) *Lib. II. cap. 8. pag. 578.*

(p) *Ibid. cap. 12. pag. 594.*

[q] *Annal. Bertin. ad a. 876.*

[r] *Ad a. 813. pag. 358.*

(s) *Ibid. pag. 578.*

(t) *Vit. Ludouici Pii pag. 362.*

(u) Haud paullo ergo minor aetate fuit LOTHARIO et PIPPINO. Priorem enim primo statim a LVDOVICI et ERMENGARDIS nuptiis anno, id est, anno 797. natum esse patet ex eius epitaphio apud Browerum *Annal. Trev. tom. I. lib. VIII. n. 117.*

Nam bis tricenos monachum sit attigit annos,
Ac se mutauit, ac bene post obiit.

Quum vero obierit III. Kal. Octobr. anno 855. sexagenario propior, natum eum esse oportet anno 797. X. annis natu maiorem Ludouico. Quod adcuratius demonstrarunt Brouuer. *Annal. Trev. lib. VIII. n. 117.* et Ant. Pagi *Critic. Baron. ad ann.* 855. *n.* 12. PIPPINVM vero iam anno 822. ducentem uxorem, testibus Annal. Fuld. et reliquis *ad a.* 822. Lothario fratre anno 821. nuptias celebrante, non multo minorem fuisse probabile est.

§. VII.

Ex quibus temporum characteribus facile etiam patria LVDOVICI, vel, quae eius incunabula vidit, prouincia, intelligitur. Toto enim illo anno in Aquitania haesit LVDOVICVS PIVS, et nec bello Hispanico, vti superiore anno 806. interfuisse, nec ad patrem profectus legitur. Cuius rei hanc rationem reddit VITAE AVCTOR (x): *sequenti vero tempore iterum rex Ludouicus expeditionem in Hispaniam parauit. Sed pater, ne per semetipsum illuc pergeret, eum impediuit. Praeceperat namque tunc temporis fabricari naues contra Nordomannicas incursiones, in omnibus fluminibus, quae mari influebant. Quam curam etiam filio iniunxit super Rhodanum et Garonnam et Silidam. Attamen misit ei missum suum Ingobertum, qui filii praesentiam praeferret, et vice amborum contra hostes exercitum duceret. Rege autem* IN AQVITANIA MANENTE *ob supradictam caussam, exercitus eius itinere prospero Barcinonam venit.* Quum ergo toto illo anno in Aquitania substiterit LVDOVICVS pater, nec eum ERMENGARDIM vterum gerentem a se segregasse, verosimile sit: dubitari profecto nequit, quin LVDOVICVS noster apud Aquitanos primum lucem viderit, et quidem in Cassagnolano similique palatio, in quo eum vernum illius anni tempus exegisse, ex diplomate, quod STEPH. BALVZIVS (y) edidit, intelligimus.

CAPVT III.

DE LVDOVICI PVERITIA ET EDVCATIONE AD ANNVM DCCCXVII.

§. I.

HVnc filium sibi natum faustisque nutritum sub penetralibus quin parentes magna cura ad honestatem, pietatem, dignosque fortuna sua mores incredibili cura instituerint, dubitare nos non patiuntur LVDOVICI et ERMENGARDIS pietas. Erat vero tum educationis principum iuuentutis ea ratio, vt eos raro secum in palatio haberent, ne luxu palatino corrupti otio ac voluptatibus ab ipsis incunabulis diffluere discerent: sed eos plerumque aliquo mittebant, simul ac nutricibus essent subducti, iisque nobilem aliquem atque expertae virtutis virum praeficerent, qui tum BAIVLVS solebat adpellari (a). Mos

(x) Idem *pag.* 351.

(y) *Capitular. reg. Franc. tom. II. p.* 1407.

(a) De *Baiulis* illis fusius agunt Carolus du Fresne in *Glossar. med. et infim. Latin. tom. I.* Videtur hic mos ex ipsa aula Constantinopolitana, cuius instituta vel maxime sibi ad imitandum proponebant Francorum reges, dimanasse. Nam et ibi inter dignitates pala-

Mos ille iam ipsis Merouingorum temporibus inoleuerat, eiusdemque seruantissimus Carolus M. Ludouicum Pium, *regem regnaturum in Aquitaniam misit, praeponens illi baiulum Arnoldum, aliosque ministros, ordinabiliter decenterque constituens, tutelae puerili congruos* (b). Id quod iam anno 781. Ludouico adhuc in cunis vagiente, contigisse, idem LVDOVICI Pii encomiastes obseruat. Idem ergo institutum in filio Ludouico educando seruasse, verosimile est: quamuis quem illi rectorem eius iuuentae praefecerit, nemo veterum, quod meminerim, memoriae prodiderit. Baiulis istis adiungi solebant e sacro ordine viri docti, moribusque conspicui, qui filios regum adhuc pueros ad doctrinam pietatemque formarent. Erant etiam, qui principes adolescentes equum inscendere, armis vti, telaque vibrare docerent. Cui generi exercitationum etiam LVDOVICVS Pius, pater, tam mature adsuefactus est, vt anno 785. euocatus ex Aquitania a Carolo M. teste auctore vitae eius (c), iam *bene equitaret*, quum esset septem annorum puer. Eamdem ergo rationem in educando filio procul dubio sequutus est Ludouicus Pius, idque non vllo alio argumento luculentius potest demonstrari, quam quod in litteris aeque, ac reliquis pacis bellique artibus, vti paullo post erit dicendi locus, adeo postea excelluit, vt pares paucissimos, neminem superiorem per omnem vitam haberet.

§. II.

Et sane ad illam in quouis artium genere scientiam, eo facilius sibi viam expediuit, quo preclarior in eo indoles ab ipsa infantia enituit. Erat enim in eo adhuc puero prudentia grauitasque senilis, par tantae fortunae animus, ingenium capacissimum, et ad quaeuis, quae tempus exigere videretur, reperienda a natura factum. Quae omnia exemplo notabili illustrauit MONACHVS SANGALLENSIS (d), quod eius verbis describere, paucisque pro instituti ratione illustrare iuuabit: *et quia ita se obtulit occasio, vt de indicibili patre vestro incideret honoranda*

palatinas erat *μέγας* Βάιυλος, cui liberorum imp. cura erat demandata, ceu ex Codino discimus. Quin iam Sophoclis scholiastes, eodem teste Fresneo, *βάιυλον* vocat παιδαγωγὸν καὶ παιδοτρίβην. Hinc *Gregorii, baiuli imperialis Graecorum* mentio fit in *Chronico S. Vincentii Vulturn. lib. III.* et apud Ioann. Papam VIII. *epist.* 168. *169.* et 178. Hunc morem et reges Francorum primae stirpis imitabantur, quorum temporibus passim meminerunt Fredegar. *Chron. cap.* 86. Auctor *Gestor. Dagoberti cap.* 2. Aimon. *lib. IIII. cap.* 38. et alii. Eumdem postea et Carolingi retinuerunt, apud quos ea dignitas BAIVLATIO adpellabatur. Ea vero non modo proximus ad majores dignitates gradus erat, sed et cum tanta auctoritate coniuncta, ut principes baiulos, a quibus erant educati, plerumque parentum loco haberent, et hinc CAROLVS, rex Burgundiae, Lutharii I. imp. filius, GIRARDVM Comitem *suum parentem ac nutritorem* vocet in charta a. 857. apud Dacherium. *Spicil. Tom. XII. pag.* 120. Hinc et vix aliis, quam qui in palatio primo loco erant, haec cura demandabatur. Nithard. *lib. I. de dissens. filior. Ludou. Pii imp. pag.* 436. *ad quod* BERNARDVM *quemdam ducem Septimaniae pater in supplementum sibi sument, camerarium constituit,* KAROLVMque *eidem commendauit, ac secundum a se in imperio praefecit.*

(b) *Vita Ludouici pag.* 241.

(c) *Ibid. pag.* 341.

(d) *Vit. Caroli M. lib. II. cap.* 8, *pag.* 578.

randa mentio, libet commemorare elogium, quod de illo sapientissimum constat protulisse KAROLVM M. *Nam quum natus et 6. annis in domo patris cautissime nutritus*, SEXAGENARIIS *hominibus* SAPIENTIOR *haud immerito videretur: genitor indulgentissimus, qui hoc vix aegre exspectaret, vt ad conspectum aui eum perducere potuisset, adsumens puerum, a matre delicatissime curatum, coepit instruere, quam serie, vel quam timorate ante Imperatorem se agere, aut forte interrogatus ei respondere, nec non et sibi deferre deberet: et sic eum ad palatium produxit. Quumque prima die vel secunda inter reliquos statores eum imperator curiosioribus oculis intueretur: dixit ad filium: cuius est ille puerulus? Illo respondente: quia meus et vester, si dignamini: postulabat eum, dicens: da illum mihi. Quod quum factum esset, deosculatum serenissimus Augustus pusionem remisit ad stationem pristinam. Ille mox dignitatem suam cognoscens, et cuiquam post imperatorem secundus remanere dispiciens, collectis animis, et membris compositissime collocatis, aequato gradu stetit iuxta patrem suum. Quod prouidentissimus adspectans* KAROLVS, *vocato ad se filio* HLVDOVICO *praecepit, vt interrogaret cognominem suum, cur ita faceret? vel qua fiducia se patri adaequare praesumeret? Ille vero ratione subnixum reddidit responsum: quando, inquiens, vester eram vasallus, post vos, vt oportuit, inter commilitones meos steteram: nunc autem vester socius et commilito non immerito me vobis coaequo. Quod quum* HLVDOVICVS *imperatori retulisset, ille huiusmodi sententiam promulgauit: Si vixerit puerulus*, ALIQVID MAGNI ERIT. *Quae verba ideo de Ambrosio mutuati sumus, quia*, KAROLVS *quae dixit, non possunt ex amussi in Latinum conuerti.* Hactenus monachus Sangallensis, cuius verba, tametsi prolixiora, integra attulimus, vt ea paucis interpretaremur. Quo anno haec contigerint, iam superiore capite vidimus, puta octingentesimo decimo tertio, quo eius pater arcessitus ex Aquitania Carolum M. postremum vidit, et imperii socius ab illo est adoptatus. In illa ergo pompa palatina splendidissimaque panegyri etiam filium suum natu minimum patri stitit, eumque pulchre ornatum, instructumque inter reliquos STATORES, qui paullo post etiam a LVDOVICO nostro *commilitones* vocantur, adstare iussit, experturus procul dubio, an eum obseruaturus sit auus, eumque inter reliquos agniturus. STATORES vero hi, seu COMMILITONES non alii erant, quam pueri palatini, qui ex more Francorum cum regum filiis in eorum palatio educabantur (e), de quibus HADR. VALESIVS (f): *notare conuenit, morem fuisse iam tum proce-*

(e) STATVS veteribus dicebatur tota principum curia, vel, vti Romani ei vocabant *comitatus*. Iac. de Vitriaco *apud* Bongarf. *lib. III. pag.* 1126. *primo die recepit eos in prima scala de Cayron, vbi semper est* STATVS *eius*. Quo sensu et hodie comitatum principum dicimus *den Hoff-Stat*, non, vti vulgus loquitur, *die Hoff-Stadt*. Pueri ergo statarii sunt, qui in aula ministrant principi, quos hodie *Pagen* adpellitant. Horum erat stare in curia principis sui, eiusque solium cingere, vnde et STATORES dicti, ceu non modo hoc monachi Sangallensis, sed et alio Orderici Vitalis *lib. XII. pag.* 856. probauit Car. du Fresne *Gloss. med. et inf. Latin. tom. III. pag.* 952. Superest et hodie vocabulum in vernacula nostra, in qua saepe ministeria palatina dicuntur a statione, veluti *Tafel steher, Thur-steher*, cetera.

(f) *Rer. Francic. lib. XV. ad a.* 591.

proceribus Francorum, adultos liberos, praesertim indolis rarae formaque et ingenio excellentes Regibus ad ministeria tradere in palatio omnibus liberalibus artibus, sed praecipue militaribus excolendos: quos GREGORIVS *aulicos palatinos, et pueros aulicos, quidam scholares adpellant. Hinc apud scriptores rerum nostrarum saepissime inuenio, pueros nobiles in aulam regiam a parentibus perductos, regibus oblatos, traditos, commendatos, in palatio enutritos, in aula regia educatos, a principe nutritos. Hos reges nostri optimatium erga se fidei obsides habebant: his pignoribus proceres in officio continebant, haud facile libenterque res nouas molituros, quamdiu ipsorum filii in regia alerentur.* Quod alibi (g) variis adlatis exemplis, veluti Patrocli Mummioni, Transobadi, S. Arnulfi, Chrodogangi, probauit, et vtroque loco obseruauit, fuisse haec maximorum virorum rudimenta ac viam processus expeditissimam, et ex palatio, tamquam e ludo plurimos abbates et episcopos sanctitate vitae eminentes, comites stabuli, thesaurarios, referendarios, comites palatii, consiliarios, duces, patritios, comites exiisse, nec aliunde fere, quam ex illa regia puerorum cohorte, delectos esse, qui post data virtutis et fidei experimenta ad magna et honorata ministeria, sublimesque potestates fuerint profecti. Huic ergo regiorum puerorum cohorti, quam procul dubio Ludouicus Pius secum ex Aquitania, tamquam fidei parentum pignora Aquisgranum traxerat, iussu patris sese immiscuerat LVDOVICVS puer, quum ille, more Francorum, qui pereleganter in vetere tabella ex codice quodam Euangeliorum Carolo Caluo a monachis S. Martini Metensibus oblato per STEPH. BALVZIVM (h) eruta patet, proxime throno vel eius supremo gradui adstaret, vel adsideret (i), maxime quum iam et rex Aquitaniae esset, et in eo ipso placito augustae dignitatis particeps redderetur. Obseruauit demum CAROLVS puerum: miratusque indolem et grauitatem,

in

(g) *Lib. VIIII. ad n. 565.*

(h) *Capitul. tom. II. pag. 1276.*

(i) In effigie illa Baluziana Carolus Caluus solus throno insidet coronatus, imminente superne manu, quae et in aliis monimentis cernitur, vt veluti *Θεόστεπτος*, id est, a Deo coronatus, videretur. Car. du Fresne *Gloss. Lat. voce: Armiger.* Filii vero Caroli, Ludouicus Balbus et Carolus; vtrimque stantes, thronum paternum veluti manu fulciunt, S. Deipara coronas super eorum capitibus caelitus tenente. Quod et in Byzantinorum nummis monimentisque aliquando obseruauit idem eruditissimus. Cangius *Diss. de impp. Constantinop. inferior. aeui num.* §. 30. *pag.* 24. At ipsos saepe proceres in placitis maioribus ad thronum hinc inde non stetisse, sed adsedisse; testis est Ermold. Nigell. *lib. II. v. 3.* dum canit:

Namque senex Carolus Caesar, venerabilis vbi,
Concilium reuocat ad sua tecta nouum,
Aurato residens solo, sic coepit ab alto
Electi circum quem RESIDENT *comites.*

Quum vero ipsi comites ac proceres in publicis placitis aliquando sederent, vti id hodienum in comitiis gentium originis Germanicae obseruatur: dubitare sane nefas esset, quin et regum filii, qui interessent illi panegyri, maxime si ipsi regia dignitate fulgerent, patri nonnumquam adsederint, saltim de plano, vel in inferiore gradu, ne patribus viuis aequiparari viderentur. At quia tamen monachus Sangallensis Ludouicum nostrum *iuxta patrem stetisse*, et *patri se adaequiasse*, scribat: probabilius esse fatemur, Ludouicum etiam Pium tum patris solio adstitisse.

in tantilla aetate incredibilem, ex filio, cuium adduxerit hunc puerum, quaesiuit. Quumque hic, laetus laetitiis omnibus, suum ac imperatoris esse, responderet: accepit CAROLVS gratissimum munus, et adductum ad se nepotem, exceptumque gremio, deosculatus eum in priorem locum redire passus est. At iam altiora spirabat magnanimus puer, ex quo se ab imperatore veluti in clientelam susceptum esse intellexerat. Nec iam amplius loco illo inter commilitones, Ludouici patris clientes, stare sustinebat, sed adscendens in gradum superiorem patris latus claudebat, interrogatusque iussu CAROLI, cur id faceret, se iam imperatori donatum acceptumque, non amplius patris, sed aui, clientem, et eatenus patri aequatum esse, fidenter ac magnifice respondit. Ex quo simul intelligimus, imperatorum regumque filios, ad regiam dignitatem viuis parentibus euectos, non ad solutam omni nexu potestatem adspirasse, sed patrum veluti clientes ac vasallos fuisse. Hinc in charta diuisionis vel testamento a CAROLO M. condito apud PITHOEVM (k) diserte caueri animadertimus: *haec autem omnia ita disposuimus, atque ex ordine firmare decreuimus, vt, quamdiu diuinae maiestati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, potestas nostra sit super a Deo consecratum regnum, atque imperium istud, sicut hactenus fuit in regimine atque ordinatione, atque omni dominatu regali atque imperiali, et vt* OBEDIENTES *habeamus praedictos dilectos* FILIOS NOSTROS, (quorum alter iam Italiae, alter Aquitaniae cum regio imperio et potestate praeerat), *atque Deo amabilem populum nostrum cum omni subiectione, quae patri a filiis, et imperatori ac regi a suis populis exhibetur.* Quae postea et LVDOVICVS Pius in charta diuisionis apud eumdem PITHOEVM (l) repetit. Denique, vt ad rem redeamus, admiratus hanc pueri responsionem CAROLVS M. eum, si aduixerit, magnum futurum, fretus tanta indole, praedixit, talibus in lingua Theotisca vsus verbis, quae Latine exprimi commode non possint (m). Vnde monachus illa eloqui maluit iis verbis, quibus olim simile de S. AMBROSIO augurium expressum esse, memoriae proditum est (n), et ne

(k) *Script. hist. Franc. XII. pag.* 288.

(l) *Cap.* 13. *pag.* 335.

(m) Haec qualia fuerint verba, vtinam expressisset monachus. Apud Otfridum *Euang. lib. I. cap.* 3. *v.* 65. verba Euangelistae: *erit magnus coram Domino* ita exprimuntur:

Guati so ist er bober,
Iob Gote filu liuber.

Bonitate est maior,
Et Deo multo carior.

Et *lib. I. cap.* 9. *v.* 77. verba: *quid puer iste erit?* ita vertuntur: *sie sprachun filu balde: waz uuanisto waz er uuerde? Dixerunt admodum audenter: quid putas, quod futurus sit?* Sed haec similiaque non ita comparata sunt, vt non Latine, totidem paene verbis exprimi commode queant. Oportet ergo, quidquid dixerit imperator, παροιμιῶδές τι fuisse, quippe quales loquutiones prouerbiales in aliam linguam non facile transferuntur.

(n) Rem referemus verbis Paullini presbyteri in *Vita S. Ambrosii* apud Surium *d. IIII. Apr. pag.* 526. *Igitur posito in administratione praefecturae Galliarum patre eius Ambrosio, natus est Ambrosius: qui infans in area praetorii in cunabulis positus, quum dormiret aperto ore, subito examen apum adueniens faciem eius atque ora compleuit, ita, vt ingrediendi in os egrediendique fre-*

et no magnis componere parua videretur, subdidit verba (o): *nec immerito prophetiam de sancto* AMBROSIO *magno adcommodauerim* HLVDOVICO, *cui exceptis eis rebus et negociis, quibus* (oo) *res publica terrena non subsistit, coniugio videlicet vsuque armorum, per omnia simillimus, immo etiam quantum potentia regni, tantum religionis studio, si dici liceat, quodammodo maior exstiterit* AMBROSIO, *fide scilicet catholicus, Dei cultor eximius, seruorum Christi socius, tutor et defensor indefessus.* Virum profecto sanctum ac religiosissimum fuisse oportet LVDOVICVM nostrum, quem monachus viro tanta sanctitatis fama illustri non aequiparandum modo, sed et praeferendum quodammodo existimauit.

§. III.

LVDOVICVS Pius anno isto 813. cum CAROLO M. patre Aquisgrani vixit ad Nouembrem vsque mensem, quo a patre digressus Aquitaniam repetiit (p). Neque dubitamus, quin et LVDOVICVM puerum comitem habuerit. Paullo post ante diem V. Kalendas Februarias vitam cum morte commutauit CAROLVS M. isque casus confestim sedibus suis exciuit LVDOVICVM Pium, qui, accepto nuncio, veritus, ne quid se absente turbetur, in Franciam orientalem reuolauit, et die, ex quo ex Aquitania proficisci coeperat, trigesimo Aquisgranum venit (q). Familia Ludouicum tum vel comitata, vel e vestigio sequuta est. Eodem enim anno 814. filiorum triga Aquisgrani cum patre aliquamdiu fuisse legitur: quamuis LVDOVICVS pater, testantibus eorum temporum annalibus (r), ex instituto maiorum mox alium alio, LOTHARIVM in Italiam, PIPPINVM in Aquitaniam dimiserit, solo LVDOVICO puero apud se retento, non alio procul dubio consilio, quam ut tanto felicius sub patris cura adolesceret, tantoque rectius procederet eius educatio. Quamuis vero, qualis cura impensa sit formando pueri ingenio, suo more fere dissimulent eorum temporum scriptores; tamen quemadmodum ex fructuum praestantia, messisque vbertate de adhibita cultura rectissime iudicatur, ita ex praeclaris, quibus LVDOVICVS excelluit, artibus, quam diligenter atque adcurate fuerit a parentibus et magistris suis institutus, coniecturam recte capi posse existimamus. Eas vero ita describunt REGINO (s) et ANNALIVM METENSIVM auctor (t): *fuit autem ille princeps Christianissimus, fide catholicus, non solum saecularibus, verum etiam ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructus.*

frequentarent vices. Quae pater, qui prope cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quae curam nutriendi infantis susceperat, prohibens, (sollicita enim erat, ne infanti nocerent), exspectabat patrio adfectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illae post aliquamdiu euolantes, in tantam aeris altitudinem euectae sunt, vt humanis oculos minime viderentur. Quo facto territus pater ait: si vixerit infantulus iste, ALIQVID MAGNI ERIT. Quem locum ob oculos fuisse monacho nostro, nemo non intelligit.

(o) *Ibid. pag.* 579.

(oo) Legerim: *sine quibus.*

(p) *Vita Ludov. Pii pag.* 358.

(q) *Idem pag.* 359.

(r) *Annal. Bertin. ad a.* 814. *Vita Ludov. pag.* 362.

(s) Regino *ad a.* 867.

(t) *Annal. Met. ad eumd. annum.*

ctus. *Quae religionis sunt, quae pacis quae iustitiae, ardentissimus exsequutor. Ingenio callidissimus, consilio prouidentissimus, in dandis siue subtrahendis publicis dignitatibus discretionis moderamine temperatus. In praeliis victoriosissimus, armorum, quam conuiuiorum, adparatibus studiosior, cui maximae opes erant instrumenta bellica. Plus diligens ferri rigorem, quam auri fulgorem. Apud quem nemo inutilis valuit. In cuius oculis perraro vtilis displicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit. Apud quem nemo per pecuniam ecclesiasticam, siue mundanam dignitatem obtinuit: sed magis ecclesiasticam probis moribus et sancta conuersatione: mundanam deuoto seruitio et sincera fidelitate.* In quo insigni elogio, et quadam veluti boni ac incomparabilis principis imagine quinque potissimum LVDOVICI virtutes, quae sine adcurata institutione raro comparantur, viuis coloribus expressas animaduertimus; PIETATEM et religionis studium, DOCTRINAM sacram ac profanam, PRVDENTIAM ciuilem ac regnatricem, ARTES MILITARES et ANIMVM sordibus vacuum, omnibusque corruptionibus superiorem. Quae quum sint praecipua boni principis decora, ad eaque in instituendis tantae fortunae adolescentibus omnia referenda videantur: de singulis quaedam ex eorum temporum monimentis delibare nobis licebit.

§. IIII.

Quantum in eo fuerit pietatis studium, vel inde patet, quod non minus PII, quam LVDOVICI nomine nosceretur. Id cognomen saltim ei non minus, quam patri, haesisse, iam supra incorruptis veterum testimoniis demonstrauimus (u). Neque ergo dubitandum videtur, quin et sacrae scripturae lectioni vacarit, et doctrinae Christianae elementa bona fide imbiberit. Libris sane legendis eum non parum temporis impendisse, testem denuo habemus MONACHVM SANGALLENSEM (x), qui *eum sapientiam singularem, acutissimo fretum ingenio* SCRIPTVRARVM *adsiduitate cumulatiorem reddere non cessasse*, scribit. Id quod illum eo libentius fecisse credibile est, quo non modo ipse Latinae linguae peritior, sed et saeculum interpretationum Theotiscarum, libellorumque ea lingua scriptorum feracius fuit (y), non-

(u) *Lib. I. cap. 3. §. 6.*

(x) *Libro II. cap. 9. pag. 580.*

(y) Linguae patriae studium permagni iam fecit *Carolus M.* ipse, in eo elaborans, vt eius cultum pro virili proueheret, ceu testatus est Eginard. *in Vit. Caroli M.* At non multum profecisse videtur princeps optimus. Idem institutum Ludouicus Pius vrsit, adeo, vt et de versione Bibliorum Teutonica cogitaret, idque negotium viro cuidam docto, gente Saxoni, daret, qui et vetus nouumque Testamentum Germanica poesi illustrauit, ceu docet praefatio apud Andr. du Chesne *Script. Franc. tom. II. pag.* 320. Et exstant huius modi versiones passim, de quibus differunt Io. Frikius *Praefat. ad Schilt. Thesaur. antiqu. Teut. pag. 7. sequ.* et Eckard. *Not. ad vit. Hathmodae, abbatissae Gandersheim. pag. 30. sequ.* At numquam magis id studium, quam sub Ludouico Germanico ferbuit, sub quo OTFRIDVS WEISSENBVRGENSIS insignem istam Euangeliorum paraphrasin, ipsi Ludouico nostro nuncupatam, scripsit, RHABANVS MAVRVS de homiliis Theotiscis populo praelegendis cogitauit, Serrar. *Rer. Mogunt. lib. I. cap.* 11. variae denique prodierunt

nondum periculum aliquod ex huius modi versionibus metuentibus ecclesiae doctoribus, nec laicis, quos vocabant, earum lectione, tamquam aqua et igne interdicentibus. Magna ergo pro eorum temporum conditione fuit, quam LVDOVICVS sibi comparauerat, rerum sacrarum notitia, eaque in re ex ipso clericorum ordine, fatente eodem *monacho Sangallensi* (z), permultos adeo superauit, vt in iis parum versati in eius conspectum venire formidarent. *Nullus*, inquit, *clericus, nisi legere doctus et canere, non solum cum eo manere, sed ne in conspectum eius venire praesumsit.* Sed multo maior illa laus optimi principis, quod, quae didicisset, omnia ipsa vita exprimeret, iustus, mitis, in victu totoque adparatu palatino parcus, in elargienda pauperibus stipe, condendisque templis et monasteriis paene profusus, in orationibus, ieiuniis, cultuque diuino adsiduus, adeo vt eius vita censura esse posset, et exemplum, ad quod ciues omnes vitam componerent absolutissimum. Quod iterum in eo admiratus MONACHVS SANGALLENSIS (a): *ad orationis*, inquit, *studium et deuotionem ieiuniorum, curamque seruitii diuini supra omnes homines ita erat intentus, vt exemplo sancti Martini, quidquid aliud ageret, semper quasi praesenti domino supplicare videretur. Carne et cibis lautioribus certis diebus abstinuit. Tempore vero litaniarum de palatio discalceatis pedibus vsque ad ecclesiam pastoralem vel ad sanctum Hemmeranium, siquidem esset Reganesburg, crucem sequi solitus erat. In aliis vero locis communentium consuetudinem non abnuebat. Oratoria noua - - admirabili opere construxit.* Et exstant sane tot tabulae ac diplomata, tam sanctae profusionis monimenta, vt vel sola rem conficere videantur. Adde, quod et in imperio a truculentia sanguinisque effusione (b), et in matrimonio ab omni pellicatu abstinuit, solus fortassis inter Francorum reges, qui vna contentus vxore, praeter liberos e legitimo toro natos, nullos alios nothos, oneri rei publicae futuros, reliquit (c).

Sunt

sunt versiones Psalmorum, de quibus idem Frickius *praef. versioni Notkeri Labeonis praemissa pag.* 4. variae catecheses; similesque libelli, digni omnino, qui hodie omni cura conquirantur.

(z) *Lib. II. cap. 9. pag.* 581.

(a) *Ibid. pag.* 581.

(b) *Idem pag.* 580.

(c) Vt enim iam nihil dicamus de regibus Merouingicis, quos tantum non omnes inter concubinarum ac pellicum greges vixisse constat: nec de Caroli M. maioribus multa addamus, inter Caroli M. concubinas fuere HIMILTRVDIS, Paull. Diacon. in *Chron. episcop. Metens. pag.* 58. MATHELGARDIS, GERSVINDA, REGINA, ADELLVIDA, aliaque; cuius de nomine non constat, apud Eginardum *Vit. Caroli M. cap.* 18. ex quibus praeter filias Rothaildem, Adaltrudem, Rothaidem, PIPPINVM gibbosum, DROGONEM, HVGONEM, et THEVDERICHVM genuit. Eginard. *ibid. cap.* 20. *et* Io. Dau. Knelerus in *Diss. de domo aug. Caroling. pag.* 50. *sequ.* Ne LVDOVICVS quidem Pius, quantacumque sanctitatis fama super aethera notus, a furtiuis amoribus abstinuit. Testis est auctor *Chronici Moissiacensis ad a.* 817. *pag.* 148. *quartum vero filium habuit ex* CONCVBINA, *nomine* ARNVLPHVM, *cui pater Senonas ciuicatem in comitatum dedit.* Nec fratres Ludouici nostri et reliqui agnati sanctius vixerunt. LOTHARIVS enim I. imp. ex DODA duarum concubinarum una, CAROLOMANNVM filium genuerat. *Annal. Bertin. ad a.* 853. CAROLVS Caluus, RICHILDEM vxorem, antequam tabulas cum ea signaret, concubinam habuerat, *Annal. Bertinia-*

Sunt inter actiones LVDOVICI quaedam, quae tantae sanctitatis famae officiunt, in primis bella, quae exsuta naturali pietate, patri intulit. Erunt etiam, qui purioribus sacris refragari dicent opinionem de merito operum, quam in omnibus paene prodit diplomatibus *(d)*, caelum pecunia, quasi soluto pretio emi, certo persuasus. Nec minus in eo plerique reprehendent fiduciam in caelitum ope ac suffragiis positam, pretium, quod monachatui statuit, nimium cultum reliquiarum, similiaque, quibus plus superstitionis, quam solidae pietatis, inesse palam est. Enimuero vti, quae aduersus patrem molitus est, detestanda omnino esse nemo negauerit: ita infra intelligemus, quam nefandis exagitatus iniuriis arma expediuerit, iustissimum profecto bellum, modo alium, quam patrem, hostem habuisset, gesturus. Reliqua temporum, quibus vixit, infelicitati tribuimus, vtrosque naeuos reliquis eius virtutibus, ac sincerae, quam tota vita expressit, pietati merito condonamus; multo excusatiores die illo decretorio futuros hos principes persuasi, qui religionis amantissimi aliquando superstitionem pro pietate habuerint, quam qui hodie ipsam pietatem pro superstitione habere non verentur.

§. V.

Deinde et doctrinam sacram ac profanam haud mediocrem LVDOVICO nostro tribuunt veteres. Quamuis enim iis viueret temporibus, quibus

tiniani ad a. 866. et 870. Quas tragoedias excitarit LOTHARIVS II. ob Waldradam concubinam, matrem Hugonis, ducis Alsatiae, Giselae, et Berthae, nemo ignorat. Sed ex filiis Ludouici nostri CAROLOMANNVS ex concubina LVDSWIRIDA, cuius nomen in diplomate apud Gewoldum *in Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 504. exstat, ARNVLFVM postea imp. hic ex ELLINRAT, cuius meminit Hund. *in Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 566. ZVENTEBOLDVM, Lotharingiae regem, et Ratoldum; *Annal. Fuld. ad a.* 889. alter Ludouici nostri filius LVDOVICVS iunior ex muliere, nescio qua, HVGONEM, qui anno 879. in proelio cum Normannis inito occubuit, Regino *ad a.* 870. denique CAROLVS Crassus BERNARDVM, nothum, teste annalista Lambeciano *ad a.* 885. susceperunt: vt adeo ex tot Caroli M. posteris solus ferme Ludouicus Germanicus caste vixerit.

[d] Talia sunt, quibus diplomata tantum non omnia auspicatur: *Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis aliquid conferimus beneficii, et necessitates ecclesiae Dei per petitiones religiosarum personarum nostro releuamus munimine, et imperiose tuemur (?) itamine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter peragendam et ad aeternam feliciter adipiscendam profuturum esse, liquido confidimus.* Vid. infra *diplom.* 1. 9. 10. *sequ.* Et auctor est monachus Sangallensis *Vit. Caroli M. lib. II. cap.* 13. Ludouicum conspecto ex militibus aliquo, qui aurum argentumque secum ferret, vel eo ornatus in procinctu staret, dicere solitum: *miser et infelix. Non tibi sufficit, vt tu solus vel forte belli intereas, quin etiam et res, quibus* ANIMA TVA REDIMI *valeret, in manus hostium tradas, vt de eis simulacra gentium adornentur.* Nimirum erat illa tum communis omnium persuasio, quo quisque plus auri argentique in ecclesias expenderet; eo certiorem illum de abolitione peccatorum, ipsaque beatitudine sempiterna spem concipere posse. Hinc dicta scripturae in eorum temporum chartis frequentissima: *pretium animae viri diuitiae eius.* Infra *dipl.* 6. *date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, qui vos recipiant in aeterna tabernacula, dipl. Einardi* apud Toeln. *Cod. dipl. Palatin. n.* 6. *pag.* 6. et similia; e quibus huic persuasioni praesidium accedere posse existimabant.

quibus nondum ita enitescerent apud Francos bonae litterae, vt eorum doctrina cum hodierna vlla ex parte comparanda videatur: tulit tamen id saeculum plures, qui aliquid operae purioris Latinitatis cultui tribuerent, qui facerent versiculos, qui et artium liberalium, quas vocant, stadium decurrerent, et astrorum disciplinam excolerent, et conderent legerentque annales, et veterum lectione magnopere delectarentur. In his omnibus quantum profecerint, qui tum vix alios magistros, quam monachos habere poterant, eorum lucubrationes, quas ex eo saeculo habemus superstites, satis ostendunt: neque adeo dubitare licet, quin iisdem fere limitibus circumscripta fuerit LVDOVICI eruditio. Tribuuntur illi a IOANNE MABILLONIO (e) versiculi quidam, non quidem illis, quos Hadrianus Imp. fudit, multo meliores, at nec deteriores illis, quos et suauissimi eorum temporum poetae solebant edolare (f). Scripti illi sunt ad BALDONEM, nescio quem: at, quisquis fuerit, eum regi nostro satis familiarem fuisse, et libellis a se compositis saepius eum donasse oportet. Quin quum rex illi versibus egerit gratias, seque in illius libris non omnia adsequi, profiteatur, ipsum quoque BALDONEM poemata scripsisse verosimile est. Addimus, BALDVM illum in ipso regis palatio videri vixisse, quod hic eum rogat, vt sibi aenigmata illa soluere, sensumque eorum, quae non intelligat, pandere velit. Ex quibus characteribus ego suspicor, Baldonem hunc non alium esse, quam BALDERICVM abbatem et LVDOVICI nostri archicapellanum, quem circa annum 853. in eius palatio militasse constat (g). Sacram porro eruditionem tum scripturae sacrae

(e) *Analect. tom. IIII. pag.* 531.

(f) Praeferunt hi versiculi rubricam: HL REX, eosque Mabillonius in *adnotationibus* insequentibus *pag.* 532. diserte Ludouico tribuit. Sunt vero tales:

Immensas grates volumus tibi dicere, BALDO.
Quod tua magna fides sic inconcussa moratur,
Nobiscum dictis firmasti vt tempore prisco.
Namque animum nostrum pia laetificant tua scripta.
Quae nobis saepe mittis, hortaris, et optime nobis,
Et bonitate tua pandis in amore benigno,
Quae tua sic nobis mittit sollertia magna.
Nunc vero nuper misisti talia scripta,
Non potuit totum noster quod noscere sensus;
Est quia per totum contextum in aenigmate firme.
Conscius ipse tuis, quid opus addiscere verbis?
Hoc tamen oramus, vt nobis pandas aperte.

Sunt hi versiculi omnino mali, vtpote in quibus nec prosodicae, nec syntacticae regulae obseruantur: sed meliores non sunt, quos eo saeculo Ermoldus Nigellus, Rabanus Maurus, Florus, Theodulfus, aliique fecerunt, in quibus itidem nec quantitatis syllabarum, nec elisionum ratio habetur. Et quis, quaeso, Virgilii grauitatem, vel suauitatem Ouidii in saeculi noni principe requireret? et in eo quidem principe, quem dira necessitas plus sanguinis, quam atramenti, fundere iussit.

(g) Eo anno in diplomatibus Corbeiensibus reperimus subscriptionem: *Hadelbertus subdiaconus ad vicem* BALDRICI, *abbatis, recognoui*. Schaten. *Annal. Paderb. lib. II. pag.* 141. Talis subscriptio etiam biennio post occurrit apud eumdem *ibid. pag.* 143. et anno 858. apud Schannat. *Hist. Wormat. in Codice probationum n. 7. pag. 7. Godebertus, subdiaconus ad vicem* BALDRICI, *abbatis, recognoui*. Eumdem ex Kleinlorgii *Annalibus* eruit Mallinkrot.

ſacrae, tum patrum et canonum eccleſiaſticorum cognitio abſoluebat. Hinc MABILLONIVS (*h*) editis verſibus, quibus S. Auguſtini de doctrina Chriſtiana libros Ludouico, Caroli Calui filio, nuncupauit, Angilbertus, Corbeienſium abbas, hanc ſubiicit adnotationem: *vbi obſeruare conuenit, lectionem ſacram priſcis Francorum regibus aliquando familiarem fuiſſe. Hinc Adalbero Laudunenſis Epiſcopus Rotbertum regem hortatur ad legendos Auguſtini, Dionyſii dicti Areopagitae et Gregorii Magni libros.* Sacrorum autem canonum ſtudium tanto regibus magis neceſſarium videbatur, quanto propius illud attingebat eccleſiae regimen, quantoque magis intererat regum, fines illius a ſacri ordinis hominibus non vlterius, quam par eſſet, proferri. Et hoc ipſum canonum ſtudium in LVDOVICO noſtro celebraſſe videntur REGINO (*i*) et *Annalium Metenſium* auctor (*k*), dum eum *etiam eccleſiaſticis diſciplinis ſufficienter inſtructum fuiſſe*, ſcribunt.

§. VI.

Quum porro praecipuum principi praeſidium in ciuili illa ac regnatrice prudentia poſitum ſit: ad eam quoque non addiſcendam, ſed toto imperio, omnibuſque actionibus ſuis exprimendam, animum ab ipſa adoleſcentia impulit. Non ſane tum erant tempora, quibus illa pars ciuilis ſapientiae, certis concluſa regulis, et in artis formam redacta, in cathedris tradebatur. Ipſo rerum vſu atque experientia illa erat addiſcenda, eaque in re eo facilius celeriuſque profecit LVDOVICVS noſter, quo excellentiore ingenio erat a natura praeditus, et quo citius rebus gerendis a patre adplicabatur. Iam ſupra obſeruauimus, ei ſex annorum puero ſenilem prudentiam tribuiſſe SANGALLENSEM MONACHVM (*l*). Eumdem (*m*) in illo iam viro laudare vidimus *ſapientiam ſingularem, quam acutiſſimo fretus ingenio ſcripturarum adſiduitate cumulatiorem reddere non ceſſarit*. REGINONI (*n*), eſt *ingenio callidiſſimus, conſilio prouidentiſſimus*. Denique OTFRIDVS (*o*), qui in eo laudando totus eſt, nihil tamen in eo magis, quam ingenii per-

krot. *de archicanc. et cancell. imp. pag.* 26. Atqui idem nomen eſt BALDO et BALDERICVS quemadmodum HEIMO et HENRICVS, ALTO et ALTIRICH, ALBI, et ALBARICH, ALLO et ALWICH, LIBO, et LIBERICH, et ſimilia apud Goldaſtum. In eadem tamen LVDOVICI noſtri curia anno 859. vixit WALTO ſubdiaconus, quem illo anno diploma Paderbornenſe *vice Witgarii cancellarii recognouiſſe*, patet. Schaten. *ibid. pag.* 149. Conring. *Cenſur. diplom. Lindau. pag.* 27. Quum ergo ipſe MABILLONIVS idem eſſe agnoſcat BALDONIS et WALDONIS nomen: alteruter probabiliter fuit, quocum poeticum iſtud litterarum commercium inſtituit Ludouicus Germanicus. WALDONEM poſtea cancellarii munere functum eſſe apud Carolomannum anno 876. et Carolum Craſſum, anno 882. et ſequ. et demum Friſingenſium Epiſcopum fuiſſe, docuit Mallinkrot *ibid. pag.* 21. 29. Vbi ſimul, idem eſſe WALDONIS et BALDONIS nomen, incorrupto ipſius hominis teſtimonio diſcimus.

(h) *Analect. tom. II. pag.* 660.

(i) *Ad a.* 867.

(k) *Ad a. eumdem.*

(l) *Lib. II. cap.* 8. *pag.* 578.

(m) *Ibid. cap.* 9. *pag.* 580.

(n) *Ad a.* 875.

(o) *Praef. ad Ludou. v.* 1. 2. 26. 27. 33. 135.

perspicaciam et sapientiam plane inusitatam, admiratur. Hinc eum vocat *then snello*, *agilem*, non tam corpore, quam ingenio, *thes wisduames sollo*, *sapientia plenum*, *wisero githanko*, *wisera redinu*, *sapientum cogitationum sapientumque verborum*, *cleinero githanko subtilium cogitationum*, *quekes muorte*, *viui et alacris animi* principem, et quae sunt huius generis elogia alia. Si vero ad naturam tam eximiam atque illustrem accedit vsus quidam, atque in rebus gerendis exercitatio: tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet existere. Ex hoc vero numero fuit LVDOVICVS noster, qui non solum domestico patris exemplo, et perpetua cum viris prudentissimis consuetudine a puero ad solidam quamdam ac masculam prudentiam formatus est, sed et non multorum annorum adolescens, Boioariis praeesse iussus, eo, quae didicerat, in vsu habere coepit. Hinc ea omnia, in quibus praecipue consistit regnatrix illa prudentia, in LVDOVICO nostro mirantur veteres. Bene ac sapienter veterum non nemo cecinit.

Principis est virtus maxima nosse suos.

Ea virtus in LVDOVICO summa atque eximia fuit. Hinc REGINO (p), cum fatetur *in dandis siue subtrahendis publicis dignitatibus discretionis moderamine fuisse temperatum*, additque, *apud eum neminem inutilem valuisse: in eiusque oculis perraro vtilem displicuisse*. Quumque prudentis sit, et de instantibus verissime iudicare, et de futuris callide conicere, in iure dicundo recte et ordine versari, omnia pericula, omnesque inimicorum insidias primum videre, deinde ea, qua opus est, sollertia euitare: ea quoque laude LVDOVICVS noster in primis excelluit, quippe MONACHI SANGALLENSIS (q) iudicio, *ad anticipandas vel superandas omnes inimicorum insidias et subiectorum litigia terminanda, fidelibusque suis vniuersa commoda prouidenda incomparabili viuacitate pollens* et, vt addit REGINO (r), *eorum, quae religionis essent, quae pacis, quae iustitiae, ardentissimus exsequutor*. Non facile ergo quisquam LVDOVICVM decipiebat, nemo illum opprimebat incautum, vt non tela, priusquam vibrarentur, praeuideret, dolosque et consilia hostium persentisceret ante, quam satis perpolita essent. Ea sane prudentia filiorum insidias feliciter effugit: eadem sibi fratres, scelus anhelantes, pestemque sibi nefarie molientes consilio non minus, quam armis, oppressit. Eadem denique Hungaros, Slauos, Normannos, toti Germaniae ferrum flammasque minitantes, ita repressit cohibuitque, vt eo viuo nihil patriae detrimenti inferre possent, quum hi Galliam, Lotharingiam, immo et Hispaniam vna veluti ruina inuoluerent, tamque essent vbique formidabiles, vt bene secum actum crederent, qui quantacumque rerum iactura cum iis transigere possent. Denique adeo facile illi subolebat prauum quorumcumque consilium, vt scribere non vereatur MONACHVS SANGALLENSIS (s): *quod si quid forte sinistrum vel ineptum in eius conspectu subito*

(p) *Ibid.*
(q) *Vit. Carol. lib. II. cap. 9. pag. 580.*
(r) *Ad a. 876.*
(s) *Lib. II. cap. 9. pag. 581.*

subito fieret, vel eum aliunde comperisse contingeret; sola oculorum animaduersione sic omnia correxit, vt quod de aeterno interneque iudice scriptum est; rex, qui sedet in solio regni sui, intuitu vultus sui dissipat omne malum, supra fas, mortalibus concessum, in illo non ambigeretur inceptum. Quae quidem testimonia de LVDOVICI prudentia tam sunt omni exceptione maiora, vt plura accumulare nolui; id tantum obseruare contentus, LVDOVICVM, quod ad eam virtutem ac consiliorum promtitudinem attinet, vtrumque fratrem suum, quamuis eadem cura omnes procul dubio instituti formatique fuerint, longo post se interuallo reliquisse.

§. VII.

Quemadmodum porro Francorum reges filios suos ad artes militares mature instituebant: ita nec LVDOVICVM nostrum huius expertem scientiae esse passus est pater. Hinc non modo eum adhuc vix adolescentem in castris habuit, sed et ducere ordines, explicare aciem, castra opportuno loco ponere, hostem adgredi, signaque rite conferre docuit. Notum est, anno 824. Brittones Armoricos adgressum Ludouicum Pium, et praeclara potitum victoria, omnia longe lateque ferro et igne deuastasse (t). Tum quidem in tres partes diuiso exercitu, vnam Pippino filio, iam Aquitanorum regi, alteram LVDOVICO nostro, Boioariae regi, tradidit, tertiam ipse in hostem duxit. Qua de re vetus annalium auctor (u): *imperator vero iter, quod in Britanniam parauerat, propter famem, quae adhuc praeualida erat, vsque ad initium auctumni adgredi distulit. Tum demum adunatis vndique omnibus copiis Redonas ciuitatem, terminis Britanniae contiguam venit, et inde, diuiso in tres partes exercitu, duabusque partibus filiis suis Pippino et* HLVDOVICO *traditis, tertiaque secum retenta, totam ferro et igne deuastauit: consumtisque in hac expeditione quadraginta, vel eo amplius diebus, acceptis, quos perfido Brittonum populo imperauerat, obsidibus Rothomagum ciuitatem, vbi coniugem se opperire iusserat, ad XV. kal. Decembris reuersus est.* Haec breuiter, vt solent annalium scriptores, qui rerum euentus paucissimis verbis signare magis, quam narrare, instituunt. At rem omnem multo luculentius retulit ERMOLDVS NIGELLVS (x), testis, si quis alius, idoneus, quippe qui ipse tum illi expeditioni interfuit (y). Is vero primum narrat, aduen-

(t) *Annal. Fuld. ad a.* 824.

(u) *Bertin. annal. ad eumd. annum.*

(x) *De reb. Ludouici Pii lib. IIII. pag.* 937.

(y) ERMOLDVS ille NIGELLVS abbas fuit, monasterii, vti Lud. Ant. Muratorius in praefatione suspicatur, Anianensis. Quum ergo pleraque tum monasteria *dona et militiam facere* tenerentur regibus, quorum notitiam debemus Stephano Baluzio *tomo I. Capitular.* nihil frequentius fiebat, quam vt abbates aeque, ac episcopi, bellis interessent, suosque adducerent milites. Thomassin. *de discipl. eccles. part. III. lib. I. cap.* 40. Quum ergo ad bellum istud Britannicum omnes vndique copias exciuisset imperator, dum

Francia cuncta ruit, veniunt gentesque subactae

inter Pippini copias Aquitanicas suos adduxit etiam Ermoldus, poeta, quam miles, melior, quemque armis indutum, Pippinus, rex Aquitaniae, sua-ter

uentantem ex Gallia nuncium, Britones omnes, excussuros Ludouici imp. imperium in armis esse. Decreuisse Caesarem expeditionem, vndique exciuisse copias, armaque diligenter parasse. Contractis copiis Ludouicum trifariam partitum exercitum, parti eius ipsum praefuisse, alteri praefecisse Ludouicum, tertiae Pippinum, et vtrique viro fortissimos, LVDOVICO quidem MATFRIDVM; Pippino Hellisacharem adiunxisse.

Diuisit populum ternis sub partibus omnem
Ductoresque dedit, ordinat et proceres.
Partem unam aequiuoco belli committit, et vna
MATFRIDVM sociat, millia multa simul.
Pippino regi huic Helisacharque potentes
iunguntur, numero cetera turba caret.
Agmen ouans Caesar medium sibi vendicat ipse
Belliger, et sapiens ordine bella gerit.

Deinde, quam cladem tum passi sint Brittones, quae facta sit totius prouinciae, quam opulentam praedam, quantam captiuorum turbam abduxerint, refert, et in primis LVDOVICI nostri virtutem laudat:

Hos Lantpertus agit, hos ducit in agmina MATFRIED,
Et, HLVDOVICE *puer*, *bella paterna geris*.

Puerum vocat septendecim annorum adolescentem, more Germanorum, quibus iam POMPONIVS MELA (z) *longam pueritiam* tribuit. Eius vero legati, LANTPERTVS et MATFRIDVS, in Francorum annalibus passim celebrantur, eorumque alterum Namnetensium, alterum Aurelianensium comitem (a) fuisse constat. Quantum ergo belli artibus valuerit LVDOVICVS, si nullo alio argumento, vel eo saltim constaret, quod inter arma, vti olim Hannibal, et adoleuerit, et postea perpetuis hostium iniuriis lacessitus consenuerit. Quum vero satis intelligeret, quantumuis exercitum, quamquam bene instructum, nisi adcurata disciplina in officio contineatur, tamquam magnam aliquam molem, nec facile moueri, et sibi ipsi impedimento esse: nihil ipse prius, nihilque antiquius habuit, quam vt probe armatos, et mori-

geros

ter risit. Ita enim ipse *lib. IIII. v. 135.*

Huc eponiet scutum humeris ensemque reuinctum
Gessi, sed nemo, me feriente, dolet.
Pippin hoc adspiciens risit, miratur, et infit:
Cede armis, frater, litteram amato magis.

Eo certius itaque, quidquid tum gestum est, memoriae prodere potuit, quo propius adcuratiusque omnia coram adspexit.

(z) *De sit. orb. lib. III. cap. 3.*

(a) Est hic ipse MATFRIDVS, qui postea male meritus de Ludouico Pio Lotharium aduersus patrem sollicitauit. Vnde eum *maximum malorum omnium incentorem* vocat Theganus *de gest. Ludouici Pii cap. 55.* qui addit, eum supplicem factum Ludouico Pio, impetrata a principe magnanimo venia, statim mortuum esse, eumque postea et reliquos eius in criminis socios breui esse sequutos. Quod et auctor *Vitae Ludouici* obseruat *pag. 312.*

geros haberet milites, eosque ad omnem belli casum paratos exercitatosque haberet. Hinc REGINO (*b*) eum vocat *in praeliis victoriosissimum, armorum, quam conuiuiorum adparatibus studiosiorem, cui maximae opes fuerint instrumenta bellica, plus diligentem ferri rigorem* (*c*) *quam auri fulgorem*. Et MONACHVS SANGALLENSIS (*d*) laudata Caroli M. disciplina militari, statim subiicit: *quod exemplum religiosissimus pater vester* (LVDOVICVS) *non semel, sed per totam vitam suam ita imitatus est, vt nullus, qui eius agnitione et doctrina dignus videbatur, aliquid in exercitu contra hostem, nisi tantum arma militiae et lanea vestimenta cum lineis portare praesumeret. Quod si quisquam inferiorum disciplinae illius ignarus aliquid de serico, auro vel argento circa se habens, eum forte incurrisset, his verbis increpatus et melioratus, immo sapientior effectus abscessit: o te bis aureum, eccum, o te argenteum, o te totum coccineum!* Adeo LVDOVICO idem placuit, quod olim Alexandro M. (*e*), torua et inculta acies, clypeis hastisque immobiles cunei, conferta virorum robora, milites, quibus fatigatis humus cubile sit, quos cibus, quem occupent, satiet, quibus denique tempora somni arctiora sint, quam noctis, non ignarus, aurum, argentum, purpuram, et emollire animos, et hostibus fere in praedam circumferri. Sed et in eo Alexandrum imitatus est noster, quod exemplo potius, quam seueritate, disciplinam militarem tueretur, nihil exigens a milite, nisi, quod fieri posse, ipse prius suo facto ostendisset. Eum in finem ipse insignem sibi armorum scientiam, corporisque et brachiorum admirabile robur adsidua exercitatione pepererat, quod et deuexa aetate integrum atque illibatum retinuit, adeo, vt nemo illo scitius arcum tenderet, saggittis iacularetur, gladium vibraret,

(b) *Ad a.* 876.

(c) Mos enim erat non modo Francorum regibus, sed et reliquis militibus, totum fere corpus ferro armare. De Carolo sane M. monachus Sangallensis refert in *Vita Caroli M. lib. II. cap.* 12. *pag.* 59. suscepta a Carolo M. expeditione Langobardica, Desiderio rerum suarum anxio dixisse Otkerum: *quando videris segetem campis inhorrescere ferream, Padumque et Ticinum marinis fluctibus ferro nigrantibus muros ciuitatis inundantes, tunc est spes Karoli venientis. His necdum finitis, primum ad occasum Circio vel borea coepit adparere, quasi nubes tenebrosa, quae diem clarissimum horrentes vertit in vmbras. Sed propiante imperatore, paullulum ex armorum splendore dies omni nocte tenebrosior oborta est inclusis. Tunc visus est ipse ferreus Karolus, ferrea galea cristatus, ferreis manicis armillatus, ferreo thorace ferreum pectus humerosque platonicos tutatus, hasta ferrea in altum subrecta sinistram impletus, nam dextra ad inuictum chalybem semper erat extenta. Coxarum interiora, quae propter faciliorem adscensum in altis solent lorica nudari, in eo ferreis ambiebantur bracteolis. De ocreis quid dicam? quae et toti exercitui solebant ferreae esse semper vsui. In clypeo nihil adparuit, nisi ferrum. Caballus quoque illius animo et colore ferrum renitebat. Quem habitum cuncti praecedentes, vniuersi ex lateribus ambientes, omnesque sequentes, et totus in commune adparatus iuxta possibilitatem erat imitatus. Ferrum campos et plateas replebat: solis radii reuerberabantur acie ferri: frigido ferro honor a frigidiori deferebatur populo: splendidissimum ferrum horror expalluit cloacarum. O ferrum, heu ferrum, clamor confusus insonuit ciuium.* Habes exercitum Francorum tantum non totum ferreum.

(d) *Lib. II. cap.* 12. *pag.* 593.

(e) Curt. *lib. III. cap.* 2.

ret, et eductum vagina ad capulum vſque retorqueret. Cuius rei ſpecimen, quod Nordmannorum legatos in ſtuporem atque admirationem rapuit, anno aetatis ſeptuageſimo datum, idem deſcribit monachus Sangallenſis *(f)*. Siquidem neglecto auro deponſcens gladios, quos legati inter reliqua munera aduexerant, vnum ſenili manu confregit, alterius aciem ad capulum vſque, mirantibus omnibus, deflexit *(g)*, omnium, quae diceret ageretque, arte quadam oſtentator, ceu de Muciano CORNELIVS TACITVS praedicat.

§. VIII.

Poſtremo quum nihil ſit, quod magis deceat ornetque bonum principem, quam animi magnitudo, omnibus omino ſordibus et corruptionibus ſuperior: hanc quoque virtutem ab ipſa adoleſcentia ita expreſſit, vt teſte REGINONE *(i)*, *nemo muneribus corrumpere, nemo ab illo pecunia aliquam dignitatem ſiue eccleſiaſticam, ſiue mundanam poſſet obtinere*, ſed illam *probis moribus et ſanctae conuerſationi*, hanc *deuoto ſeruitio et ſincerae fidelitati* donaret. Quam vile illi aurum fuerit, iam ex MONACHO SANGALLENSI vidimus. Quod huius virtutis ſpecimen, quamuis ad extremam eius aetatem pertineat, argumento tamen eſt luculentiſſimo, iam prima aetate eum ab omnibus ſordibus, omnique habendi cupiditate fuiſſe alieniſſimum. Solet enim illud vitium non decreſcere ac minui per aetatem, ſed cum ipſis annis magis magiſque amplificari, vt numquam de viatico magis, quam quando illo non opus eſt amplius, laborare videantur. Nec minorem in eo animi magnitudinem oſtendit, quod victorias ſuas clementia temperaret, nihil adpeteret alieni, quin ab ipſis victoriis, cum multorum Chriſtianorum clade coniunctis, abhorreret. Sane, profligato Lotharii fratris exercitu, eo adduci non potuit, vt cruenta victoria frueretur, et fugientium hoſtium perſequeretur reliquias (k). Idem quum Carolo Caluo

[f] *Lib. II. cap. 13. pag. 594.*

[g] En ipſa eius verba: *quum reges Nordmannorum ſinguli pro deuotione ſua aurum illi et argentum, et. pro ſempiterna ſubiectione vel deditione, gladios ſuos ipſi dirigerent: praecepit rex, vt pecunia quidem in pauimentum proiiceretur, et a nullo, niſi indignanter adſpiceretur, ſed potius ab omnibus, velut lutum, conculcaretur, gladios vero, in ſublimi ſolio reſidens ſibi attentandos iuſſit adferri. Porro legati metuentes, ne quid ſiniſtrae ſuſpicionis contra eos poſſet oriri, eo modo, quo ſolent miniſtri dominis ſuis cultellos de ſummis oris praebere, ita ſpatas imperatori cum ſui periculo porrigebant. Quarum ille quum vnam de capulo acceptam, et ab extremitate vltima ad ſummam curuare niteretur, inter fortiores ferro manus diſrupta eſt. Tunc vnus de miſſis ſuum de vagina protrahens, miniſtrantiumque more ad ipſius obſequiam protendens: domine, inquit, vt credo, et flexibilis et rigida inuenietur iſta ſpata ad votum victorioſiſſimae dextrae veſtrae. Qua Caeſar accepta, et vere Caeſar, iuxta vaticinium Iſaiae: attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, deuota Germaniae populoſitate ſingularis diuinitatis opificio in antiquos hominum artus et animos adſurgens, ab ora vltima capulo tenus in modum viminis contraxit, et ſenſim ad ſtatum priſtinum redire permiſit. Tunc legati ſemet adſpectantes, et ad alterutrum obſtupeſcentes: o, inquiunt, principibus noſtris tam vile videtur aurum, et ferrum tam pretioſum!*

(i) *Ad a. 876*

(k) Nithard. *lib. III. pag. 463.*

ctus. Quae religionis sunt, quae pacis quae iustitiae, ardentissimus exsequutor. Ingenio callidissimus, consilio prouidentissimus, in dandis siue subtrahendis publicis dignitatibus discretionis moderamine temperatus. In praeliis victoriosissimus, armorum, quam conuiuiorum, adparatibus studiosior; cui maximae opes erant instrumenta bellica. Plus diligens ferri rigorem, quam auri fulgorem. Apud quem nemo inutilis valuit. In cuius oculis perraro vtilis displicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit: Apud quem nemo per pecuniam ecclesiasticam, siue mundanam dignitatem obtinuit: sed magis ecclesiasticam probis moribus et sancta conuersatione: mundanam deuoto seruitio et sincera fidelitate. In quo insigni elogio, et quadam veluti boni ac incomparabilis principis imagine quinque potissimum LVDOVICI virtutes, quae sine adcurata institutione raro comparantur, viuis coloribus expressas animaduertimus; PIETATEM et religionis studium, DOCTRINAM sacram ac profanam, PRVDENTIAM ciuilem ac regnatricem, ARTES MILITARES et ANIMVM sordibus vacuum, omnibusque corruptionibus superiorem. Quae quum sint praecipua boni principis decora, ad eaque in instituendis tantae fortunae adolescentibus omnia referenda videantur: de singulis quaedam ex eorum temporum monimentis delibare nobis licebit.

§. IIII.

Quantum in eo fuerit pietatis studium, vel inde patet, quod non minus PII, quam LVDOVICI nomine nosceretur. Id cognomen saltim ei non minus, quam patri, haesisse, iam supra incorruptis veterum testimoniis demonstrauimus (u). Neque ergo dubitandum videtur, quin et sacrae scripturae lectioni vacarit, et doctrinae Christianae elementa bona fide imbiberit. Libris sane legendis eum non parum temporis impendisse, testem denuo habemus MONACHVM SANGALLENSEM (x), qui *eum sapientiam singularem, acutissimo fretum ingenio* SCRIPTVRARVM *adsiduitate cumulatiorem reddere non cessasse*, scribit. Id quod illum eo libentius fecisse credibile est, quo non modo ipse Latinae linguae peritior, sed et saeculum interpretationum Theotiscarum, libellorumque ea lingua scriptorum feracius fuit (y), non-

(u) *Lib. I. cap. 3. §. 6.*
[x] *Libro II. cap. 9. pag. 580.*
(y) Linguae patriae studium permagni iam fecit *Carolus M.* ipse, in eo elaborans, vt eius cultum pro virili proueheret, ceu testatus est Eginard. *in Vit. Caroli M.* At non multum profecisse videtur princeps optimus. Idem instituturo Ludouicus Pius vrsit, adeo, vt et de versione Bibliorum Teutonica cogitaret, idque negotium viro cuidam docto, gente Saxoni, daret, qui et vetus nouumque Testamentum Germanica poesi illustrauit, ceu docet praefatio apud Andr. du Chesne *Script. Franc. tom. II. pag. 210.* Et exstant huius modi versiones passim, de quibus differunt Io. Frikius *Praefat. ad Schilt. Thesaur. antiqu. Teut. pag. 7. sequ.* et Eckard. *Not. ad vit. Hathmodae, abbatissae Gandersheim. pag. 30. sequ.* At numquam magis id studium, quam sub Ludouico Germanico ferbuit, sub quo OTFRIDVS WEISSENBVRGENSIS insignem istam Euangeliorum paraphrasin, ipsi Ludouico nostro nuncupatam, scripsit, RHABANVS MAVRVS de homiliis Theotiscis populo praelegendis cogitauit, Serrar. *Rer. Mogunt. lib. I. cap. 11.* variae denique prodierunt

nondum periculum aliquod ex huius modi versionibus metuentibus ecclesiae doctoribus, nec laicis, quos vocabant, earum lectione, tamquam aqua et igne interdicentibus. Magna ergo pro eorum temporum conditione fuit, quam LVDOVICVS sibi compatauerat, rerum sacrarum notitia, eaque in re ex ipso clericorum ordine, fatente eodem *monacho Sangallensi* (z), permultos adeo superauit, vt in iis parum versati in eius conspectum venire formidarent. *Nullus*, inquit, *clericus, nisi legere doctus et canere, non solum cum eo manere, sed ne in conspectum eius venire praesumsit*. Sed multo maior illa laus optimi principis, quod, quae didicisset, omnia ipsa vita exprimeret, iustus, mitis, in victu totoque adparatu palatino parcus, in elargienda pauperibus stipe, condendisque templis et monasteriis paene profusus, in orationibus, ieiuniis, cultuque diuino adsiduus, adeo vt eius vita censura esse posset, et exemplum, ad quod ciues omnes vitam componerent absolutissimum. Quod iterum in eo admiratus MONACHVS SANGALLENSIS (a): *ad orationis*, inquit, *studium et deuotionem ieiuniorum, curamque seruitii diuini supra omnes homines ita erat intentus, vt exemplo sancti Martini, quidquid aliud ageret, semper quasi praesenti domino supplicare videretur. Carne et cibis lautioribus certis diebus abstinuit. Tempore vero litaniarum de palatio discalceatis pedibus vsque ad ecclesiam pastoralem vel ad sanctum Hemmeranium, siquidem esset Reganesburg, crucem sequi solitus erat. In aliis vero locis communentium consuetudinem non abnuebat. Oratoria noua - - admirabili opere construxit*. Et exstant sane tot fabulae ac diplomata, tam sanctae profusionis monimenta, vt vel sola rem conficere videantur. Adde, quod et in imperio a truculentia sanguinisque effusione (b), et in matrimonio ab omni pellicatu abstinuit, solus fortassis inter Francorum reges, qui vna contentus vxore, praeter liberos e legitimo toro natos, nullos alios nothos, oneri rei publicae futuros, reliquit (c).

Sunt-

sunt versiones Psalmorum, de quibus idem Frickius *praef. versioni Notkeri Labeonis praemissa pag.* 4. variae catecheses, similesque libelli, digni omnino, qui hodie omni cura conquirantur.

[z] *Lib. II. cap. 9. pag.* 581.

[a] *Ibid. pag.* 581.

[b] *Idem pag.* 580.

[c] Vt enim iam nihil dicamus de regibus Merouingicis, quos tantum non omnes inter concubinarum ac pellicum greges vixisse constat; nec de Caroli M. maioribus multa addamus, inter Caroli M. concubinas fuere HIMILTRVDIS, Paull. Diacon. in *Chron. episcop. Metens. pag.* 58. MATHELGARDIS, GERSVINDA, REGINA, ADELLVIDA, aliaque; cuius de nomine non constat, apud Eginardum *Vit. Caroli M. cap.* 18. ex quibus praeter filias Rothaildem, Adaltrudem, Rothaidem, PIPPINVM gibbosum, DROGONEM, HVGONEM, et THEVDERICHVM genuit. Eginard. *ibid. cap.* 20. et Io. Dau. Koelerus in *Diss. de domo aug. Caroling. pag.* 50. *sequ.* Ne LVDOVICVS quidem Pius, quantacumque sanctitatis fama super aethera notus, a furtiuis amoribus abstinuit. Testis est auctor *Chronici Moissiacensis ad a.* 817. *pag.* 148. *quartum vero filium habuit ex* CONCVBINA, *nomine* ARNVLPHVM, *cui pater Senonas ciuitatem in comitatum dedit*. Nec fratres Ludouici nostri et reliqui agnati sanctius vixerunt. LOTHARIVS enim I. imp. ex DODA duarum concubinarum una, CAROLOMANNVM filium genuerat. *Annal. Bertin. ad a.* 853. CAROLVS Caluus, RICHILDEM vxorem, antequam tabulas cum ea signaret, concubinam habuerat, *Annal. Bertinia-*

Sunt inter actiones LVDOVICI quaedam, quae tantae sanctitatis famae officiunt, in primis bella, quae exsuta naturali pietate, patri intulit. Erunt etiam, qui purioribus sacris refragari dicent opinionem de merito operum, quam in omnibus paene prodit diplomatibus *(d)*, caelum pecunia, quasi soluto pretio emi, certo persuasus. Nec minus in eo plerique reprehendent fiduciam in caelitum ope ac suffragiis positam, pretium, quod monachatui statuit, nimium cultum reliquiarum, similiaque, quibus plus superstitionis, quam solidae pietatis, inesse palam est. Enimuero vti, quae aduersus patrem molitus est, detestanda omnino esse nemo negauerit; ita infra intelligemus, quam nefandis exagitatus iniuriis arma expediuerit, iustissimum profecto bellum, modo alium, quam patrem, hostem habuisset, gesturus. Reliqua temporum, quibus vixit, infelicitati tribuimus, vtrosque naeuos reliquis eius virtutibus, ac sincerae, quam tota vita expressit, pietati merito condonamus, multo excusatiores die illo decretorio futuros hos principes persuasi, qui religionis amantissimi aliquando superstitionem pro pietate habuerint, quam qui hodie ipsam pietatem pro superstitione habere non verentur.

§. V.

Deinde et doctrinam sacram ac profanam haud mediocrem LVDOVICO nostro tribuunt veteres. Quamuis enim iis viueret temporibus, quibus

tiniani ad a. 866, et 870. Quas tragoedias excitarit LOTHARIVS II. ob Waldradam concubinam, matrem Hugonis, ducis Alsatiae, Giselae, et Berthae, nemo ignorat. Sed ex filiis Ludouici nostri CAROLOMANNVS ex concubina LVDSWIRIDA, cuius nomen in diplomate apud Gewoldum *in Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 504. exstat, ARNVLFVM postea imp. hic ex ELLINRAT, cuius meminit Hund. *in Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 566. ZVENTEBOLDVM, Lotharingiae regem, et Ratoldum; *Annal, Fuld. ad a.* 889. alter Ludouici nostri filius LVDOVICVS iunior ex muliere, nescio qua, HVGONEM, qui anno 879. in proelio cum Normannis inito occubuit, Regino *ad a.* 870. denique CAROLVS Crassus BERNARDVM, nothum, teste annalista Lambeciano *ad a.* 885. susceperunt: vt adeo ex tot Caroli M. posteris solus ferme Ludouicus Germanicus caste vixerit.

[d] Talia sunt, quibus diplomata tantum non omnia auspicatur: *Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis aliquid conferimus beneficii, et necessitates ecclesiae Dei per petitiones religiosarum personarum nostro releuamus munimine, et imperioso tuemur iugamine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter peragendam et ad aeternam feliciter adipiscendam profuturum esse, liquido confidimus.* Vid. infra *diplom.* 1. 9. 10. *sequ.* Et auctor est monachus Sangallensis *Vit. Caroli M. lib. II. cap.* 12. Ludouicum conspecto ex militibus aliquo, qui aurum argentumque secum ferret, vel eo ornatus in procinctu staret, dicere solitum: *miser et infelix. Non tibi sufficit, vt tu solus vel forte belli intereas, quin etiam et res, quibus* ANIMA TVA REDIMI *valeres, in manus hostium tradas, vt de eis simulacra gentium adornentur.* Nimirum erat illa tum communis omnium persuasio, quo quisque plus auri argentiue in ecclesias expenderet; eo certiorem illum de abolitione peccatorum, ipsaque beatitudine sempiterna spem concipere posse. Hinc dicta scripturae in eorum temporum chartis frequentissima: *pretium animae viri diuitiae eius.* Infra *dipl.* 6. *date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, qui vos recipiant in aeterna tabernacula, dipl. Einardi* apud Toeln. *Cod. dipl. Palatin. n.* 6. *pag.* 6. et similia, e quibus huic persuasioni praesidium accedere posse existimabant.

quibus nondum ita enitescerent apud Francos bonae litterae, vt eorum doctrina cum hodierna vlla ex parte comparanda videatur: tulit tamen id saeculum plures, qui aliquid operae puriorls Latinitatis cultui tribuerent, qui facerent versiculos, qui et artium liberalium, quas vocant, stadium decurrerent, et astrorum disciplinam excolerent, et conderent legerentque annales, et veterum lectione magnopere delectarentur. In his omnibus quantum profecerint, qui tum vix alios magistros, quam monachos habere poterant, eorum lucubrationes, quas ex eo saeculo habemus superstites, satis ostendunt: neque adeo dubitare licet, quin iisdem fere limitibus circumscripta fuerit LVDOVICI eruditio. Tribuuntur illi a IOANNE MABILLONIO (e) versiculi quidam, non quidem illis, quos Hadrianus imp. fudit, multo meliores, at nec deteriores illis, quos et suauissimi eorum temporum poetae solebant edolare (f). Scripti illi sunt ad BALDONEM, nescio quem: at, quisquis fuerit, eum regi nostro satis familiarem fuisse, et libellis a se compositis saepius eum donasse oportet. Quin quum rex illi versibus egerit gratias, seque in illius libris non omnia adsequi, profiteatur, ipsum quoque BALDONEM poemata scripsisse verosimile est. Addimus, BALDVM illum in ipso regis palatio videri vixisse, quod hic eum rogat, vt sibi aenigmata illa soluere, sensumque eorum, quae non intelligat, pandere velit. Ex quibus characteribus ego suspicor, Baldonem hunc non alium esse, quam BALDERICVM abbatem et LVDOVICI nostri archicapellanum, quem circa annum 853. in eius palatio militasse constat (g). Sacram porro eruditionem tum scripturae sacrae

(e) *Analect. tom. IIII. pag. 531.*

(f) Praeferunt hi versiculi rubricam: HL REX, eosque Mabillonius in *adnotationibus* insequentibus *pag.* 532. diserte Ludouico tribuit. Sunt vero tales:

Immensas grates volumus tibi dicere, BALDO.
Quod tua magna fides sic inconcussa moratur,
Nobiscum dictis firmasti vt tempore prisco.
Namque animum nostrum pia laetificant tua scripta.
Quae nobis saepe mittis, hortaris, et optime nobis,
Et bonitate tua pandis in amore benigno,
Quae tua sic nobis mittit sollertia magna.
Nunc vero nuper misisti talia scripta,
Non potuit totum noster quod noscere sensus;
Est quia per totum contextum in aenigmate firme.
Conscius ipse tuis, quid opus addiscere verbis?
Hoc tamen oramus, vt nobis pandas aperte.

Sunt hi versiculi omnino mali, vtpote in quibus nec prosodicae, nec syntacticae regulae obseruantur: sed meliores non sunt, quos eo saeculo Ermoldus Nigellus, Rabanus Maurus, Florus, Theodulfus, aliique fecerunt, in quibus itidem nec quantitatis syllabarum, nec elisionum ratio habetur. Et quis, quaeso, Virgilii grauitatem, vel suauitatem Ouidii in saeculi noni principe requireret? et in eo quidem principe, quem dira necessitas plus sanguinis, quam atramenti, fundere iussit?

(g) Eo anno in diplomatibus Corbeiensibus reperimus subscriptionem: *Hadelbertus subdiaconus ad vicem* BALDRICI, *abbatis, recognoui*. Schaten. *Annal. Paderb. lib. II. pag.* 141. Talis subscriptio etiam biennio post occurrit apud eumdem *ibid. pag.* 143. et anno 858. apud Schannat. *Hist. Wormat. in Codice probationum n. 7. pag. 7. Gedebertus, subdiaconus ad vicem* BALDRICI, *abbatis, recognoui*. Eumdem ex Kleinsorgii *Annalibus* eruit Mallinkrot.

sacrae, tum patrum et canonum ecclesiasticorum cognitio absoluebat. Hinc MABILLONIVS (*h*) editis versibus, quibus S. Augustini de doctrina Christiana libros Ludouico, Caroli Calui filio, nuncupauit, Angilbertus, Corbeiensium abbas, hanc subiicit adnotationem: *vbi obseruare conuenit, lectionem sacram priscis Francorum regibus aliquando familiarem fuisse. Hinc Adalbero Laudunensis Episcopus Rotbertum regem hortatur ad legendos Augustini, Dionysii dicti Areopagitae et Gregorii Magni libros.* Sacrorum autem canonum studium tanto regibus magis necessarium videbatur, quanto propius illud attingebat ecclesiae regimen, quantoque magis intererat regum, fines illius a sacri ordinis hominibus non vlterius, quam par esset, proferri. Et hoc ipsum canonum studium in LVDOVICO nostro celebrasse videntur REGINO (*i*) et *Annalium Metensium* auctor (*k*), dum eum *etiam ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructum fuisse*, scribunt.

§. VI.

Quum porro praecipuum principi praesidium in ciuili illa ac regnatrice prudentia positum sit: ad eam quoque non addiscendam, sed toto imperio, omnibusque actionibus suis exprimendam, animum ab ipsa adolescentia impulit. Non sane tum erant tempora, quibus illa pars ciuilis sapientiae, certis conclusa regulis, et in artis formam redacta, in cathedris tradebatur. Ipso rerum vsu atque experientia illa erat addiscenda, eaque in re eo facilius celeriusque profecit LVDOVICVS noster, quo excellentiore ingenio erat a natura praeditus, et quo citius rebus gerendis a patre adplicabatur. Iam supra obseruauimus, ei sex annorum puero senilem prudentiam tribuisse SANGALLENSEM MONACHVM (*l*). Eumdem (*m*) in illo jam viro laudare vidimus *sapientiam singularem, quam acutissimo fretus ingenio scripturarum adsiduitate cumulatiorem reddere non cessarit*. REGINONI (*n*), est *ingenio callidissimus, consilio prouidentissimus*. Denique OTFRIDVS (*o*), qui in eo laudando totus est, nihil tamen in eo magis, quam ingenii per-

krot. *de archicanc. et cancell. imp. pag.* 26. Atqui idem nomen est BALDO et BALDERICVS quemadmodum HEIMO et HENRICVS, ALTO et ALTIRICH, ALBI, et ALBARICH, ALLO et ALWICH, LIBO, et LIBERICH, et similia apud Goldastum. In eadem tamen LVDOVICI nostri curia anno 859. vixit WALTO subdiaconus, quem illo anno diploma Paderbornense *vice Witgarii cancellarii recognouisse*, patet. Schaten. *ibid. pag.* 149. Conring. *Censur. diplom. Lindau. pag.* 27. Quum ergo ipse MABILLONIVS idem esse agnoscat BALDONIS et WALDONIS nomen: alteruter probabiliter fuit, quocum poeticum istud litterarum commercium instituit Ludouicus Germanicus. WALDONEM postea cancellarii munere functum esse apud Carolomannum anno 876. et Carolum Crassum, anno 882. et sequ. et demum Frisingensium Episcopum fuisse, docuit Mallinkrot *ibid. pag.* 21. 29. Vbi simul, idem esse WALDONIS et BALDONIS nomen, incorrupto ipsius hominis testimonio discimus.

(h) *Analect. tom. II. pag.* 660.

(i) *Ad a.* 867.

(k) *Ad a. eumdem.*

(l) *Lib. II. cap. 8. pag.* 578.

(m) *Ibid. cap. 9. pag.* 580.

(n) *Ad a.* 875.

(o) *Praef. ad Ludou. v.* 1. 2. 26. 27. 33. 135.

perſpicaciam et ſapientiam plane inuſitatam, admiratur. Hinc eum vocat *then ſnello*, *agilem*, non tam corpore, quam ingenio, *thes wiſduames follo*, *ſapientia plenum*, *wiſero githanko*, *wiſera redinu*, *ſapientum cogitationum ſapientumque verborum*, *cleinero githanko ſubtilium cogitationum*, *quekes muorte*, *viui et alacris animi*. principem, et quae ſunt huius generis elogia alia. Si vero ad naturam tam eximiam atque illuſtrem accedit vſus quidam, atque in rebus gerendis exercitatio: tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolet exiſtere. Ex hoc vero numero fuit LVDOVICVS noſter, qui non ſolum domeſtico patris exemplo, et perpetua cum viris prudentiſſimis conſuetudine a puero ad ſolidam quamdam ac maſculam prudentiam formatus eſt, ſed et non multorum annorum adoleſcens, Boioariis praeeſſe iuſſus, eo, quae didicerat, in vſu habere coepit. Hinc ea omnia, in quibus praecipue conſiſtit regnatrix illa prudentia, in LVDOVICO noſtro mirantur veteres. Bene ac ſapienter veterum non nemo cecinit.

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Ea virtus in LVDOVICO ſumma atque eximia fuit. Hinc REGINO (p), eum fatetur *in dandis ſiue ſubtrahendis publicis dignitatibus diſcretionis moderamine fuiſſe temperatum*, additque, *apud eum neminem inutilem valuiſſe: in eiuſque oculis perraro vtilem diſplicuiſſe*. Quumque prudentis ſit, et de inſtantibus veriſſime iudicare, et de futuris callide conticere, in iure dicundo recte et ordine verſari, omnia pericula, omneſque inimicorum inſidias primum videre, deinde ea, qua opus eſt, ſollertia euitare: ea quoque laude LVDOVICVS noſter in primis excelluit, quippe MONACHI SANGALLENSIS (q) iudicio, *ad anticipandas vel ſuperandas omnes inimicorum inſidias et ſubiectorum litigia terminanda, fidelibuſque ſuis vniuerſa commoda prouidenda incomparabili viuacitate pollens* et, vt addit REGINO (r), *eorum, quae religionis eſſent, quae pacis, quae iuſtitiae, ardentiſſimus exſequutor*. Non facile ergo quiſquam LVDOVICVM decipiebat, nemo illum opprimebat incautum, vt non tela, priuſquam vibrarentur, praeuideret, doloſque et conſilia hoſtium perſentiſceret ante, quam ſatis perpolita eſſent. Ea ſane prudentia filiorum inſidias feliciter effugit: eadem ſibi fratres, ſcelus anhelantes, peſtemque ſibi nefarie molientes conſilio non minus, quam armis, oppreſſit. Eadem denique Hungaros, Slauos, Normannos, toti Germaniae ferrum flammaſque minitantes, ita repreſſit cohibuitque, vt eo viuo nihil patriae detrimenti inferre poſſent, quum hi Galliam, Lotharingiam, immo et Hiſpaniam vna veluti ruina inuoluerent, tamque eſſent vbique formidabiles, vt bene ſecum actum crederent, qui quantacumque rerum iactura cum iis tranſigere poſſent. Denique adeo facile illi ſubolebat prauum quorumcumque conſilium, vt ſcribere non vereatur MONACHVS SANGALLENSIS (s): *quod ſi quid forte ſiniſtrum vel ineptum in eius conſpectu ſubito*

(p) *Ibid.*
(q) *Vit. Carol. lib. II. cap. 9. pag. 580.*
(r) *Ad a. 876.*
(s) *Lib. II. cap. 9. pag. 581.*

subito fieret, vel eum aliunde comperisse contingeret; sola oculorum animaduersione se omnia correxit, vt quod de aeterno internoque iudice scriptum est; rex, qui sedet in solio regni sui, intuitu vultus sui dissipat omne malum, supra fas, mortalibus concessum, in illo non ambigeretur incoeptum. Quae quidem testimonia de LVDOVICI prudentia tam sunt omni exceptione maiora, vt plura accumulare nolim, id tantum obseruare contentus, LVDOVICVM, quod ad eam virtutem ac consiliorum promtitudinem attinet, vtrumque fratrem suum, quamuis eadem cura omnes procul dubio instituti formatique fuerint, longo post se interuallo reliquisse.

§. VII.

Quemadmodum porro Francorum reges filios suos ad artes militares mature instituebant: ita nec LVDOVICVM nostrum huius expertem scientiae esse passus est pater. Hinc non modo eum adhuc vix adolescentem in castris habuit, sed et ducere ordines, explicare aciem, castra opportuno loco ponere, hostem adgredi, signaque rite conferre docuit. Notum est, anno 824. Brittones Armoricos adgressum Ludouicum Pium, et praeclara potitum victoria, omnia longe lateque ferro et igne deuastasse (t). Tum quidem in tres partes diuiso exercitu, vnam Pippino filio, iam Aquitanorum regi, alteram LVDOVICO nostro, Boioariae regi, tradidit, tertiam ipse in hostem duxit. Qua de re vetus annalium auctor (u): *imperator vero iter, quod in Britanniam parauerat, propter famem, quae adhuc praeualida erat, vsque ad initium auctumni adgredi distulit. Tunc demum adunatis vndique omnibus copiis Redonas ciuitatem, terminis Britanniae contiguam venit, et inde, diuiso in tres partes exercitu, duabusque partibus filiis suis Pippino et* HLVDOVICO *traditis, tertiaque secum retenta, totam ferro et igne deuastauit: consumtisque in hac expeditione quadraginta vel eo amplius diebus, acceptis, quos perfido Brittonum populo imperauerat, obsidibus Rothomagum ciuitatem, vbi coniugem se opperire iusserat, ad XV. kal. Decembris reuersus est.* Haec breuiter, vt solent annalium scriptores, qui rerum euentus paucissimis verbis signare magis, quam narrare, instituunt. At rem omnem multo luculentius retulit ERMOLDVS NIGELLVS (x), testis, si quis alius, idoneus, quippe qui ipse tum illi expeditioni interfuit (y). Is vero primum narrat, aduen-

(t) *Annal. Fuld. ad a.* 824.

(u) *Bertin. annal. ad eumd. annum.*

(x) *De reb. Ludouici Pii lib. IIII. pag.* 937.

(y) ERMOLDVS ille NIGELLVS abbas fuit, monasterii, vti Lud. Ant. Muratorius in praefatione suspicatur, Anianensis. Quum ergo pleraque tum monasteria *dona et militiam facere* tenerentur regibus, quorum notitiam debemus Stephano Baluzio *tomo I. Capitular.* nihil frequentius fiebat, quam vt abbates aeque, ac episcopi, bellis interessent, suosque adducerent milites. Thomassin. *de discipl. eccles. part. III. lib. I. cap.* 40. Quum ergo ad bellum istud Britannicum omnes vndique copias exciuisset imperator, dum

Francia cuncta ruit, veniunt gentesque subactae

inter Pippini copias Aquitanicas suos adduxit etiam Ermoldus, poeta, quam miles, melior, quemque armis indutum, Pippinus, rex Aquitaniae, suaui-

tet

uentantem ex Gallia nuncium, Britones omnes, excussuros Ludouici imp. imperium in armis esse. Decreuisse Caesarem expeditionem, vndique exciuisse copias, armaque diligenter parasse. Contractis copiis Ludouicum trifariam partitum exercitum, parti eius ipsum praefuisse, alteri praefecisse Ludouicum, tertiae Pippinum, et vtrique viro fortissimos, LVDOVICO quidem MATFRIDVM; Pippino Helisacharem adiunxisse.

Diuisit populum ternis sub partibus omnem
Ductoresque dedit, ordinat et proceres.
Partem unam aequiuoco belli committit, et vna
MATFRIDVM sociat, millia multa simul.
Pippino regi huic Helisacharque potentes
iunguntur, numero cetera turba caret.
Agmen ouans Caesar medium sibi vendicat ipse
Belliger, et sapiens ordine bella gerit.

Deinde, quam cladem tum passi sint Brittones, quae facta sit totius prouinciae, quam opulentam praedam, quantam captiuorum turbam abduxerint, refert, et in primis LVDOVICI nostri virtutem laudat:

Hos Lampertus agit, hos ducit in agmina MATFRIED,
Et, HLVDOVICE *puer, bella paterna geris.*

Puerum vocat septendecim annorum adolescentem, more Germanorum, quibus iam POMPONIVS MELA (z) *longam pueritiam* tribuit. Eius vero legati, LANTPERTVS et MATFRIDVS, in Francorum annalibus passim celebrantur, eorumque alterum Namnetensium, alterum Aurelianensium comitem (a) fuisse constat. Quantum ergo belli artibus valuerit LVDOVICVS, si nullo alio argumento, vel eo saltim constaret, quod inter arma, vti olim Hannibal, et adoleuerit, et postea perpetuis hostium iniuriis lacessitus consenuerit. Quum vero satis intelligeret, quantumuis exercitum, quamquam bene instructum, nisi adcurata disciplina in officio contineatur, tamquam magnam aliquam molem, nec facile moueri, et sibi ipsi impedimento esse: nihil ipse prius, nihilque antiquius habuit, quam vt probe armatos, et mori-

geros

ter risit. Ita enim ipse *lib. IIII. v. 135.*

Huc ceonict scutum humeris ensemque reuinctum
Gessi, sed nemo, me feriente, dolet.
Pippin hoc aspiciens risit, miratur, et infit:
Cede armis, frater, litteram amato magis.

Eo certius itaque, quidquid tum gestum est, memoriae prodere potuit, quo propius adcuratiusque omnia coram adspexit.

(z) *De sit. orb. lib. III. cap. 3.*

(a) Est hic ipse MATFRIDVS, qui postea male meritus de Ludouico Pio Lotharium aduersus patrem sollicitauit. Vnde eum *maximum malorum omnium incentorem* vocat Theganus *de gest. Ludouici Pii cap. 55.* qui addit, eum supplicem factum Ludouico Pio, impetrata a principe magnanimo venia, statim mortuum esse, eumque postea et reliquos eius in criminis socios breui esse sequutos. Quod et auctor *Vitae Ludouici* obseruat *pag. 412.*

ret, et eductum vagina ad capulum vſque retorqueret. Cuius rei ſpecimen, quod Nordmannorum legatos in ſtuporem atque admirationem rapuit, anno aetatis ſeptuageſimo datum, idem deſcribit monachus Sangallenſis *(f)*. Siquidem neglecto auro depoſcens gladios, quos legati inter reliqua munera aduexerant, vnum ſenili manu confregit, alterius aciem ad capulum vſque, mirantibus omnibus, deflexit *(g)*, omnium, quae diceret ageretque, arte quadam oſtentator, ceu de Muciano CORNELIVS TACITVS praedicat.

§. VIII.

Poſtremo quum nihil ſit, quod magis deceat ornetque bonum principem, quam animi magnitudo, omnibus omino ſordibus et corruptionibus ſuperior: hanc quoque virtutem ab ipſa adoleſcentia ita expreſſit, vt teſte REGINONE (i), *nemo muneribus corrumpere, nemo ab illo pecunia aliquam dignitatem ſiue eccleſiaſticam, ſiue mundanam poſſet obtinere*, ſed illam *probis moribus et ſanctae conuerſationi*, hanc *deuoto ſeruitio et ſincerae fidelitati* donaret. Quam vile illi aurum fuerit, iam ex MONACHO SANGALLENSI vidimus. Quod huius virtutis ſpecimen, quamuis ad extremam eius aetatem pertineat, argumento tamen eſt luculentiſſimo, iam prima aetate eum ab omnibus ſordibus, omnique habendi cupiditate fuiſſe alieniſſimum. Solet enim illud vitium non decreſcere ac minui per aetatem, ſed cum ipſis annis magis magiſque amplificari, vt numquam de viatico magis, quam quando illo non opus eſt amplius, laborare videantur. Nec minorem in eo animi magnitudinem oſtendit, quod victorias ſuas clementia temperaret, nihil adpeteret alieni, quin ab ipſis victoriis, cum multorum Chriſtianorum clade coniunctis, abhorreret. Sane, profligato Lotharii fratris exercitu, eo adduci non potuit, vt cruenta victoria frueretur, et fugientium hoſtium perſequeretur reliquias (k). Idem quum Carolo Caluo

[f] *Lib. II. cap. 13. pag. 594.*

[g] En ipſa eius verba: *quum reges Nordmannorum ſinguli pro deuotione ſua aurum illi et argentum, et pro ſempiterna ſubiectione vel deditione, gladios ſuos ipſi dirigerent: praecepit rex, vt pecunia quidem in pauimentum proiiceretur, et a nullo, niſi indignanter adſpiceretur, ſed potius ab omnibus, velut lutum, conculcaretur, gladios vero, in ſublimi ſolio reſidens ſibi attentandos iuſſit adferri. Porro legati metuentes, ne quid ſiniſtrae ſuſpicionis contra eos poſſet oriri, eo modo, quo ſolent miniſtri dominis ſuis cultellos de ſummis oris praebere, ita ſpatas imperatori cum ſui periculo porrigebant. Quorum ille quum vnam de capulo acceptam, et ab extremitate vltima ad ſummam curuare niteretur, inter fortiores ferro manus diſrupta eſt. Tunc vnus de miſſis ſuum de vagina protrahens, miniſtrantiumque more ad ipſius obſequelam protendens: domine, inquit, vt credo, et flexibilis et rigida inuenietur iſta ſpata ad votum victorioſiſſimae dextrae veſtrae. Qua Caeſar accepta, et vere Caeſar, iuxta vaticinium Iſaiae: attendite ad petram, unde exciſi eſtis, deuota Germaniae populoſitate ſingularis diuinitatis opificio in antiquos hominum artus et animos adſurgens, ab ora vltima capulo tenus in modum viminis contraxit, et ſenſim ad ſtatum priſtinum redire permiſit. Tunc legati ſemet adſpectantes, et ad alterutrum obſtupeſcentes: o, inquiunt, principibus noſtris tam vile videtur aurum, et ferrum tam pretioſum!*

(i) *Ad a. 876*

(k) Nithard. *lib. III. pag. 463.*

Caluo fratri regni Lotharingici partem mortuo Lothario extorsisset, religioni sibi duxit illam, viuo Ludouico II. imperatore, sibi retinere, sed inusitato abstinentiae exemplo eam vero domino vltro restituit, bonitate naturae suae ad id adactus, ad quod armis adigi a Ludouico numquam potuisset (l). Anno enim 882. *cum Ingelberga*, LVDOVICI II. *imp. vxore colloquutus apud Tridentum, partem regni Lotharii, quam contra Carolum acceperat, clam reddidit*, non minus gloriosum sibi ducens, restituere regnum vero domino, quam illud armis armorumue metu iniusto inuasori extorquere (m). Denique breui ante mortem, quum, Carolo Caluo Italiae regnum, ipsamque augustam dignitatem praeter ius et fas adfectante, in Galliam suscepisset expeditionem, et in summa spe esset rei bene gerendae, *misericordia motus, multorumque precibus exoratus, ne Galliae regionem propter Karoli stultitiam perderet, in regnum suum, mense Ianuario rediit* (n), omnibusque victoriis ac triumphis pulchriorem de se ipso victoriam retulit. Illud porro quis satis miretur, LVDOVICVM, tot suorum iniuriis irritatum, a caedibus ac suppliciis adeo abhorruisse, vt ne sontium quidem et in facinoribus deprehensorum sanguine dolori suo parentare sustinuerit? Id vero de eo diserte testatur MONACHVS SANGALLENSIS (o), cuius verba, quia nescio quid ἀνιγματῶδες continent, integra hic adscribere visum est. *Cunctis*, inquit, *gentilibus, circumque vniuersis anterioribus suis magis magisque terrificus subinde perseuerabat, et merito, quippe qui numquam linguam suam aut manus suas effusione sanguinis Christiani commacularet, praeter vltimam necessitatem. Quam prius enarrare non audeo, quam aliquem paruum Ludouiculum aut Carolastrum vobis astantem video* (p). *Postquam tamen ad caedem nullo*

(l) *Annal. Bertin. ad a.* 872. *Contin. Aimonii, lib. III. cap.* 28.

(m) Reprehensionem annalistae Bertiniani et Aimonii ideo incurrit Ludouicus noster, quod id fecerit *neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu ac conscientia hominum quondam Lotharii, qui se illi commendauerint, adeoque inter Ludouicum et Ingelbergam noua sacramenta, prioribus sacramentis, quae cum fratre suo pepigerit, diuersa et aduersa sint facta*. Sed mira religio, sacramenta vrgere, et alienas res iniuste vero domino retinere. Carolo procul dubio iurauerat Ludouicus, se parte illa contentum nihil amplius a fratre exigere velle. An id sacramentum ei obstare potuit, vt partem suam redderet vero domino? At id fecit inscius Lotharingici regni proceribus, qui ei fidem iurarant. Num vero ei non licuit, illis gratiam facere iurisiurandi ea lege, vt vero suo domino se, prout par esset, subiicerent? Sicine quocumque iureiurando quisquam mortalium impeditur, quo minus faciat, quod ius et aequum exigit, puta vt ablatum restituat, efficiatque, quantum in se est, vt res ad verum dominum redeat? Sic periit frons de rebus.

(n) *Annal. Fuld. ad a.* 876.

(o) *Lib. II. cap.* 9. *pag.* 580.

(p) Quaenam vero illa extrema necessitas, quae Ludouicum, clementissimum principem, exemplum facere coegit, quamque non prius enarrare audet, quam Carolo Crasso Ludouicum vel Carolum filium adstantem viderit? Eadem formula et alibi vtitur, *lib. II. cap.* 10. *pag.* 585. vbi obseruans, Pippinum, Caroli M. nothum, ob coniurationem in monasterium S. Galli deportatum, a patre demum optionem accepisse, vt locum sibi, in quo degere vellet, ipse eligeret, statim addit: *qui optione concessa, optauit locum in quodam monasterio; tunc nobi-*

nullo modo compelli potuit, vt quemquam condemnaret ad mortem. Sed tamen hac districtione infidelitatis vel insidiarum insimulatos coercere solebat, vt honoribus priuatos nulla vmquam occasione vel temporis longitudine ad pristinum gradum adscendere pateretur. Tot ergo virtutes, quibus LVDOVICVS excelluit, si quis naturae tantum bonitati tribuat: nae is ipsam hominis naturam parum perspectam habere videtur. Experientia enim ipsa satis ostendit, ingenia etiam excellentissima, tamquam arbores, facile siluescere, nec ad frugem peruenire, nisi adcurata cura ac cultura, qua coerceantur, accedat. Quod et LVDOVICO, nisi ea, qua par est, cura formatus institutusque, esset a parentibus, tanto facilius procul dubio euenisset, quo facilius tanta fortuna erectiora ingenia corrumpit.

§. VIIII.

Ceterum in puerilem illam LVDOVICI aetatem nihil aliud praeterea incidit, quam prima fratrum natu maiorum LOTHARII et PIPPINI honorum auspicia. Obseruant enim eorum temporum annales (q), LVDOVICVM Pium imp. anno 814. Lotharium in Boioariam. Pippinum in Aquitaniam misisse. Non satis exprimunt, quo titulo hos filios pater ornarit, quantumque fuerit, quod in prouinciis illis gesserint, imperium. At vix dubitandum videtur, quin regum vocabulo donati prouincias illas vice patris eiusque auspiciis rexerint, praesides potius, quam veri reges, et ob adolescentiam, (Lotharius enim tum

nobilissimo, nunc autem, non incertum, de qua caussa, destructo: quam antea non absoluam, quam Bernardulum vestrum spata femur accinctum conspiciam. Et posterius quidem facilius intelligitur. Monasterium, quod sibi elegit Pippinus, fuit Pruimense. Id monasterium destructum est a Nordmannis, ab Hugone, Lotharii II. Lotharingiae regis, notho, regnum patrium sibi vindicaturo sollicitatis, *Annal. Met. ad a.* 883. et quidem anno 891. *Annal. iid. a.* 892. Hac ergo de re apertius loqui non audet monachus, ne de Hugonis nothi prauo consilio Lotharingiam sibi vindicandi differens, praeiudicium facturus videretur Caroli Crassi BERNARDVLO, quem pater liberis legitimis destitutus sibi successorem destinauerat. Si ergo Bernardulum illum ense sollemniter accinctum viderit, eoque deprehenderit argumento, illum non clericatui, sed regimini destinatum esse, tum vero se illam tragoediam, quam tum dederit Hugo, pluribus eloquuturum pollicetur. At tanto difficilior est prioris aenigmatis solutio. Ego me saltim hic Dauum, non Oedipum esse, profiteor. Neque enim ex historia satis constat, quae necessitas extrema LVDOVICVM eo adegerit, vt praeter institutum suum a quibusdam supplicium sumeret. Multo minus idonea excogitari posse videtur ratio, cur eam rem non prius enarrandam sibi crediderit, quam Carolo Caluo Ludouiculum aliquem aut Carolastrum adstantem viderit. Certum tamen est, monachum illum, qui se *lib. II. cap. 12. pag. 501. balbum et edentulum* vocat, non alium fuisse, quam NOTKERVM BALBVLVM, virum non modo doctum pro saeculo suo, sed et prudentissimum, adeoque sub illa narratione aliquid latitare, quod, quale fuerit, hodie nescimus, magnum aliquid, et ad familiae regiae controuersias pertinens, fuisse, satis animaduertimus. Quimobrem aliis me acutioribus, et maiore fortassis rerum adparatu instructis hoc, quidquid est, diuinandum relinquo.

(q) *Annal. Bert.* et *Metens. ad a.* 814.

tum decimum septimum, Pippinus decimum quintum vel sextum aetatis annum attigerat), virorum quorumdam grauium ac prudentum curae crediti. Prius enim satis patet ex CHRONICO MOISSIACENSI (r), cuius auctor ad annum non 714. sed insequentem: *et III. Kal. Aug.* inquit, *habuit, consilium magnum in Aquis, et constituit duos filios suos* REGES, *Pippinum* (s) *et Clotharium super Bagoaria.* Posterius vero non alio argumento luculentius probatur, quam quod anno 814. et sequentibus, diplomata ad Boioariam et Aquitaniam pertinentia, quorum permulta ex monasteriorum tabulariis eruerunt HVNDIVS et GEWOLDVS (t), et STEPH BALVZIVS (u), non Lotharii vel Pippini, sed Ludouici Pii nomine scripta sunt, isque adeo in filiorum regnis et benificia, et priuilegia suo arbitrio elargitus est, et reliqua omnia suo lubitu disposuit. Interea LVDOVICVS noster adhuc puer septennis, teste auctore *Vitae Ludouici Pii* (x), adhuc in parentum amplexibus haesit priuatus et anno 816. eos in Galliam ad excipiendum STEPHANVM Papam V. proficiscentes comitatus est. Quum enim ERMENGARDIS Ludouicum Pium eo comitata sit, corona imperiali a Pontifice cingenda (y): non sane probabile est, LVDOVICVM auelli se passum a parentum amplexibus. Immo res certa est, ex ERMOLDI NIGELLI (z) testimonio, qui toto illo imperatoris et pontificis maximi congressu mira facundia descripto, demum de muneribus ab hoc distributis addit:

Multaque praeterea cumulauit munera praesul,
Aurum seu vestes, quae sibi Roma dedit.
Dona dat Augusto, Augustae, SOBOLIQVE VENVSTAE,
Et famulis tribuit ordine dona suo.

Atqui Lothario paullo ante in Boioariam, Pippino in Aquitaniam missis, nullus filiorum Ludouicum Pium tum comitatus videtur, praeter LVDOVICVM nostrum, cui et VENVSTI elogium, tamquam nouenni puero, omnium maxime conuenit. Et haec quidem de eius pueritia et educatione ex coaeuis monimentis eruere licuit: proximum est, ut ad alia digniora notatu progrediamur.

CAPVT

[r] Apud du Chesne *tom. III. pag.* 247.

[s] Ita apud Chesneum legitur: quamuis procul dubio aliquot verba textu exciderint, legendumque omnino videatur: *et constituit duos filios in* REGES, *Pippinum in Aquitania, et Clotharium in Bagoaria.* Talia multa occurrunt in pretiosa illa ANDR. DVCHESNII collectione, ex quibus colligas, illius editioni parum curae adhibitum.

[t] Gewold. *Metrop. Salisburg. pag.* 86.

[u] *Capitul. tom. II. pag.* 1405. *sequ.*

[x] *Ad a.* 814. *pag.* 362.

[y] Theganus *de gest. Ludou. Pii cap.* 17.

[z] *Lib. II. v.* 457.

CAPVT IIII.

DE LVDOVICI REGNO BAVARICO VSQVE AD TVRBAS EX IMPERII DIVISIONE ORTAS,

§. I.

At annus demum 817. nouum quid et memorabile aduexit. Eo enim anno consilium cepit Ludouicus Pius diuidendi prouincias, filiosque suos, quorum tres eum habuisse diximus, ad fastigium regium euehendi. Quod profecto consilium et praeceps, et rei publicae, ipsique Ludouico imp. perniciosissimum fuisse, euentus postea docuit. Equidem excusari quodammodo posset regni diuisio, quippe quae ab ipsa regni origine ad illa tempora vsque, veluti in mores iuerat, adeo vt regum filii eam veluti suo quodam iure exigere posse viderentur (*a*). Nec ei vitio verti potuisset successoris in Augusta dignitate regnoque designatio, quum et id Caroli patris auique Pippini exemplo faceret (*b*), inter quorum facta et hoc in primis tamquam

[a] Reges Merouingicos in tot partes diuisisse regnum, quot filii regis essent superstites, adeo in vulgus notum est, vt probatione non indigeat, idque vel inde patet, quod ab anno 481. quo regnare coepit CHLODOVAEVS, ad annum 752. quo CHILDERICVS, eius stirpis postremus, in monasterium detrusus est, non nisi CHLOTHARIVS I. CHLOTHARIVS II. et pauci aliquot successores, corrigente hominum errorem fortuna, toti Francorum imperio praefuerant, et ne illegitimi quidem et ex damnatis amplexibus nati regum filii successionis exsortes haberentur, ceu testatur Gregorius Turon. *lib. V. cap.* 21. et exemplis Theodorici I. apud Auct. *gest. Franc. epitom. cap.* 4. Theodebaldi apud Gregor. Turon. *lib. III. cap.* 27. Sigeberti et Chilperici apud eumdem *lib. IIII. cap.* 3. docuimus in *Elementis iuris Germ. lib. I.* §. 147. *pag.* 68. Quin tantum abest, ut Chlodovaeus demum, vel eius liberi, de diuidundo regno cogitarint, vt iam Chlodouaeus non omnibus Francis initio imperarit, sed socios imperii habuerit RAGINARIVM Cameracensem, et SIGEBERTVM Coloniensem, ab ipso demum Chlodovaeo nefarie obtruncatos. Greg. Turon. *lib. II. cap.* 40. et 42. Sed et in altera familia res non aliter se habuit. PIPPINVM enim regnum inter CAROLVM M. et CAROLOMANNVM filios diuisisse, nemo ignorat. Hermann. contract. *ad a.* 768. Sed et CAROLVS M. regnum inter CAROLVM, PIPPINVM, et LVDOVICVM PIVM diuiserat, exstatque eam in rem eius testamentum circa annum 806. scriptum apud Petr. Pithoeum *Script. XII. hist. Franc. pag.* 283. Et quamuis postea vtroque casu, praemortuis fratribus indiuisum maneret imperium: illud tamen semper diuidi et potuisse et debuisse inter filios, certissimum est: adeoque calculum non recte ponere, qui Ludouicum ob ipsam factam diuisionem reprehendunt.

(b) CAROLVM M. breui ante mortem anno 813. imperii regnique participem fecisse LVDOVICVM Pium, qui ex filiis suis solus erat superstes, testantur omnes eorum temporum annales,

quam eximium prudentiae ciuilis argumentum celebratur, quod in nouo regno mature fuccefforem fibi defignandum exiftimarint, ne properantibus fatis extincti variis tumultibus res publica concuteretur. Enimuero id omnino perniciofi ad pofteros exempli fuit, quod Ludouicus Pius et praecipitauit hoc confilium, quum effet annorum quadraginta, et non contentus filios fucceffores defignaffe, eos in ampliffimarum prouinciarum poffeffionem mittere, regiifque condecorare ornamentis non dubitauit. Eo ipfo enim non modo liberos diuifionem, ob filium poftea natum emendaturus a fe imprudenter alienauit, fed et iifdem arma, quibus adverfus illum impie abuterentur, ftolide fuppeditauit. Quare vt ipfam diuifionem in fe parum laudabilem effe fateamur, quippe qua imperium potentiffimum, quod vno regnante fteterat, maxime concuffum, et tantum non euerfum eft (c): eam tamen magis moribus paternis, quam Ludouici Pii imprudentiae, tribuimus. At quod id nulla exigente neceffitate iuuenis adhuc facere inftituit, quodque filios regiae dignitatis ipfiufque imperii participes fe viuo effe voluit: id vero imperatori foli imputandum effe, nemo inficias iuerit. Et inde demum eft illa malorum Ilias, quae et familiam auguftam, excelfe adhuc florentem, quam ipfum regnum potentiffimum paullatim mifere confecit.

§. II.

Confilium hoc LVDOVICVS pater primum cepit eo ipfo anno 814. quo ipfe CAROLO M. patri fuccefferat, quippe quo tempore illum LOTHARIVM in Boioariam, PIPPINVM in Aquitaniam mififfe diximus (d). Quamuis vero vtrumque tunc regium nomen ferre vellet: ceu ex vetuftis monafterii MOISSIACENSIS *annalibus* (e) oftendimus, monuimus tamen fimul, non tam regium imperium, quam nomen tum adhuc permiffum effe adolefcentibus, eofque patris aufpiciis, et fub manu aliorum, quos illis adiungere patri placuerat, quidquid agerent, egiffe. At anno erae Chriftianae 817. fuccrefcente iam LVDOVICO, ne et hic exfors effet regni paterni: nouam partitionem fecit, quae

nales, et *Vitae Ludouici* auctor *ad a.* 813. *pag.* 357. Idem vero et PIPPINVS fecit, qui quum fatis animadverteret, fibi, non optimo titulo regi, et nouae potentiae primo in familia fua auctori maiore auctoritate opus effe, non fatis habuit, quod anno 752. a S. Bonifacio vnctus coronatufque effet, *Annal. Fuld. ad a.* 752. fed adfcito Stephano Papa anno 754. non ipfe modo idem decus ex eius manibus accepit, fed et filios CAROLVM et CAROLOMANNVM, tamquam fucceffores defignatos, coronis incingi voluit. *Annal. Metenf. ad a.* 754. *Stephanus Papa, quod iam diu per confilium abfens Pippino principibufque Francorum mandauerat, praefens expleuit, ordinauitque fecundum morem maiorum vnctione facra* PIPPINVM *piiffimum principem Francis in regem et patricium Romanorum, et* FILIOS *eius duos* FELICI SVCCESSIONE *Karolum et Karlomannum eodem coronauit honore.* Add. *Annal. Fuld. ad a.* 753. In nouo enim imperio permultum intereffe folet primi adquirentis, ne dubia fit filiorum fucceffio.

(c) Schurzfleifch. *diff. de diuif. regni Carol.* §. 1. *feqq.*

(d) *Lib. I. cap.* 3. §. 9.

(e) *Ad a.* 815.

qua LVDOVICO Boioariam, antea LOTHARIO destinatam; PIPPINO adsignatam iam pridem Aquitaniam; LOTHARIO reliquam Franciam cum dignitate augusta attribuit. Testes huius diuisionis habemus scriptores annalium, qui haec tempora attigerunt, tantum non omnes (*f*) sed in his duos potissimum, qui, quid tum actum sit, paullo diligentius prodiderunt memoriae, AGOBARDVM (*g*), et auctorem vitae LVDOVICI PII astronomum (*h*), ex quibus adeo rem omnem enarrare iuuat. Obseruant chronographi paene omnes, quadragesimali huius anni tempore fere exacto, vltimae hebdomadis die quinta, qua institutae sacrosanctae eucharistiae memoriam recolit ecclesia, imperatore Compendii a templo domum se recepturo porticum ligneam, per quam esset eundum, subito collapsam, incredibilem comitatui metum incussisse: verentibus omnibus, ne imperatorem ruina oppresserit: hunc tamen diuinitus procul dubio seruatum sine magna laesione feliciter euasisse. Nam *quum viginti, vel eo amplius comitum*, vti ait ASTRONOMVS (*i*), *cum eo ad terram vsque deciderint, variisque incurrerint calamitates: ille nil tristioris incurrit iacturae, praeter imi pectoris locum, cui illisus est capulus ensis, vltimaque auris cutis paullulum exspoliata, sed et crus illius iuxta inguina cuidam ligno impactum; cui tamen citissime est subuentum. Adhibito enim medicorum studio quam breui pristinae saluti est restitutus?* Quae eadem omnia et ANNALIVM BERTINIANORVM auctor (*k*) memoriae prodidit. Solent huius modi casus mirifice percellere animum, eumque admonere communis mortalitatis, et, quam incertae fluxaeque sint res mortalium, hominibus etiam sui oblitis in memoriam reuocare. Id et LVDOVICO Pio contigit, qui eo defunctus periculo, vti pietatis erat studiosissimus, ab eo tempore animum ad aeternitatem componere, et de imperii rebus, si quid sibi humani contigerit, quam primum constituendis serio cogitare coepit. Accessit et alia caussa, quae imperatorem mouisse videtur ad maturandum vel praecipitandum illud consilium, quod cum maxima rei publicae clade coniunctum fore, praeuidere, si mens non laeua fuisset, facillime poterat. Videbat trigam filiorum, acerrimi animi potentiaeque auidissimorum iuuenum. Animaduertebat procul dubio, Lotharium natu maiorem iam eius esse aetatis, vt non videretur aequo animo vel priuatus esse, vel Boioariae finibus circumscribi velle. LVDOVICVM quoque nostrum, adhuc exsortem paternorum regnorum, procedente aetate res nouas moliturum, suspicabatur, nisi et ipse in tributum veniret. Denique, si dicendum, quod res est, imperator sensisse videtur imperii molem, et vix paris tanto oneri animi sibi probe conscius nulla de re magis cogitasse, quam de signo recepturi quam primum dando, imperiique insignibus cum cuculla ali-

 quan-

(f) *Annal. Fuld. Hildes. Bertin. Moissiac. Lauresham. ad a.* 817. Nithard. *lib. I. pag.* 435. Thegan. *cap.* 12.

(g) *Epist. ad Ludouicum n.* 4.

(h) *Ad a.* 817. *pag.* 368. *sequ.*

(i) *Vit. Ludouici Pii ibid. pag.* 369.

(k) *Ad a.* 817.

quando commutandis (*l*). Ad quod eligendum vitae inſtitutum ſe eo expeditiorem futurum ſperabat, ſi non modo de futura filiorum ſuorum ſucceſſione certum quid ſtatuiſſet, ſed et viuus ac ſpirans cuique regni partem adſignaſſet, vt et certa eſſet cuiuſque poſſeſſio, et haberent ſinguli, in quo regnatricis prudentiae, ſe rerum ſummam moderante, caperent experimentum. Sed haec omnia, ſummum numen aliter, quam imperator ſperauerat, euenire paſſus eſt, vt quod firmiſſimum concordiae cariſſimique fraternae vinculum futurum, animoſque filiorum ſibi perpetuo obnoxios redditurum crediderat, id ipſum a patre liberos, fratres a fratribus quam maxime abalienaret, regnique Francorum tum florentiſſimi opes innumeris cladibus exhauriret. Quam ſequuturam paullo poſt malorum Iliadem cometam, eius anni initio aonis Februarius fulgentem in ſigno ſaggittarii (*m*), gladiique figuram cauda referentem (*n*), minaci vultu praenunciaſſe, ſiue vulgata inter homi-

(l) Fateor equidem, me hic aequalis cuiuſdam auctoris teſtimonio deſtitui. At coniecturae huius meae rationes mihi habere videor plures, eaſque grauiſſimas: Nam primo adeo pietati vacabat Ludouicus Pius, vt inde cognomen Pii tulerit. Erant vero tum tempora, quibus ſoli paene monachi id, quod ea in virtute ſummum eſt, aſſequi poſſe videbantur. Deinde huius modi caſus, qualem hoc ipſo paragrapho deſcripſimus, tum plerumque hominibus ad fugiendum hominum conſortium, et monaſterium aliquod, tamquam in portum, petendum incitamento fuiſſe animaduertimus. Cuius rei exemplum, vti alia innumera praetermittam, eſt in *Excerpto vitae S. Benedicti Anian.* apud Du Cheſne *tom. III. pag.* 389. Praeterea non ſemel multo ante haec tempora conſilium iſtud Carlomanni propatrui veſtigia premendi prodiderat LVDOVICVS noſter, id iam pridem exſequuturus, niſi ei patris obſtitiſſet auctoritas. Qua de re Aſtronomus in eius *Vita ad a.* 811. *pag.* 355. *nam antequam Aquitania ſub eo regnaretur, collapſus erat in ea huius modi ordo: at ſub eo adeo conualuit, vt etiam ipſe fraternum aui Carlomanni imitari geſtiens memorabile exemplum, ipſe quoque theoricae vitae culmina niteretur comprehendere. Sed huius voti ne compos fieret, obicem ſe praebuit refragatio patris, vel potius diuinae voluntatis nutus, qui tantae pietatis virum noluit ſub cura ſuae ſolius ſalutis delitеſcere, ſed potius per eum, et ſub eo, multorum ſalutem adoleſcere.* Denique quod Lotharius filius, enorta non multo poſt dira illa patris filiorumque diſſenſione, tam impudenter poſtulauit, vt pater comam poneret, et in monaſterio aliquo in poſterum deliteſceret, eius rei non aliam cauſſam habuiſſe videtur filius, quam quod conſilium iſtud iam ante IVDITHAE amplexus non ſemel prodidiſſet. Id enim filius pro voto quam primum ſoluendo habuiſſe videtur. Quin eo ipſo tempore totus erat Ludouicus imp. in emendando inſtituto monaſtico, et nobiliſſimis iſtis condendis Capitularibus, quae ad hunc annum retulit Steph. Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 579. *ſeqq.* condendoque non procul ab Aquiſgrano monaſterio Indenſi, eo inter alia conſilio, vt

Illuc conuerſi caperent mox munera Chriſti:
Atque VOLENS *placitum* CONSILIVM *acciperet*,

id eſt, vt et alii rerum humanarum pertaeſi monaſticum inſtitutum ibi eligerent, et ipſe, ſi ita videretur, conſilium illud ſuum vitam illam ſolitariam regni faſcibus praeferendi tanto facilius eo loco, a palatio imperii non adeo remoto, exſequeretur. Ita Ermoldus Nigell. *de rebus Ludou. Pii, lib. II. v.* 580. Qui et paullo poſt miram Ludouici Pii in ornando illo monaſterio induſtriam celebrat, eumque ibi ſimul regis, ſimul veluti abbatis officio functum eſſe refert.

(m) *Annal. Bertin. et Metenſ. ad a.* 817. *Vita Ludouici pag.* 566.

(n) *Annal. Fuld. ad a.* 817.

homines opinione, siue communi mortalium ea omnia, quae non quotidie contingunt, in futuri praesagium rapientium, errore, creditum est.

§. III.

Simul ac conualuerat LVDOVICVS PIVS imp. vicesimo die, postquam porticus ruinis paene fuerat oppressus, Nouiomagum venatum petiit, atque inde Aquisgranum, vbi frequentissima comitia in mensem Iulium indixerat, digressus est (o). Eo in conuentu non modo res imperii prudenter constituit, leges emendauit, nouasque, quas e re publica fore credebat, condidit, verum etiam de communi episcoporum atque abbatum sententia sacerdotum monachorumque mores per totum imperium in melius formare instituit, scripto ea de re libro, *in quo totius illius ordinis perfectio contineretur*, eoque per legatos seu missos suos vbique per imperium suum diuulgato (p), *vt omnes tam viri, quam sanctimoniales, sub hoc ordine Christo seruientes, nullis praepediti necessitatibus libera seruitute domino omnium militare meminissent* (q). Qui liber et in ipso Casinensi monasterio, tantam postea auctoritatem consequutus est, vt, teste LEONE OSTIENSI (r), non minus, quam ipsius sancti Benedicti regula religiose obseruaretur. Quae quamuis pro solita pietate sua faceret imperator, bonique omnes incredibilem inde caperent voluptatem (s), episcopos tamen ac abbates quosdam, vitae laxiori adsuetos, pristinaeque licentiae tenaces, grauiter offendit (t), idque odium veluti obrutus cinere ignis in turbis illis, quas filii dabant, in flammas erupit, maximeque eius rebus incommodauit. Adeo plures semper, qui morbum, quam qui remedium ferant, reperias. Peracto hoc negotio, tum demum *episcopis, abbatibus, natuque maioribus Francorum, manifestauit mysterium consilii sui, quod cogitauerit, vt vnum de filiis suis constitueret imperatorem* (u). Quod

(o) *Annal. Bertin. Metens. Fuld. Vita Ludou. Pii ad a.* 817.

(p) *Vita Ludouici ad a.* 817. *pag.* 368.

(q) Liber iste non differre videtur ab LXXX. vel, vti Leo Ostiens. *lib.* I. *Chron. Casin. cap.* 16. numerat, septuaginta duobus capitulis, quae post Centuriatores Magdeb. *Cent.* VIIII. *cap.* 6. *pag.* 150. et Angelum de Nuce in *Adpend. Chron. Casin. pag.* 5. edidit Step. Baluz. *Capitul. tom.* I. *pag.* 579. quorumque praecipuum auctorem fuisse BENEDICTVM, Anianensem abbatem, ex eius vita ab Ardone scripta apud Duchesnium *tom.* III. *pag.* 392. *sequ.* discimus. Vocantur alias *Capitula Hludouuici imperatoris de regula sancti Benedicti*, publicataque sunt Aquisgrani *VI. Id. Iul. anni* 817.

(r) *Chron. Casin. lib.* I. *cap.* 16.

(s) *Vita Ludouici Pii ibid. pag.* 368.

(t) Obseruauit hoc *Vitae Ludouici Pii* Auctor prudentissimus, qui *pag.* 369. ita scribit: *at vero non tulit hanc sanctam, deoque dignam imperatoris deuotionem humani generis inimicus, vndique se impetentem, et ab omnibus ecclesiae ordinibus sibimet bella indicentem, sed coepit totis virium copiis se expugnantem oppugnare, et per membra sua Christi fortissimum bellatorem vi et astu, quo potuit, lacessere.* Atque inde est, quod Gerardus, Silvae maioris abbas, in *Vita S. Adelardi*, *cap.* 5. illum ROBOAMVM, et *cap.* 6. TARQVINIVM vocat, *qui non sequutus sit viam patris, sed senserit cum Roboam, filio Salomonis, et quidquid pater amasset, odio habuerit, quidquid illi placuisset, sibi displicere*, reipsa ostenderit.

[u] *Chronic. Moissiac. ad a.* 817. *pag.* 147.

Quod, quo ordine factum sit, eleganter memoriae prodidit AGOBARDVS (x). Primum enim Ludouicum imp. proposuisse ait quaestionem, de eaque in medium consulere iussisse: *quod ad stabilimentum regni pertineat et ad robur regiminis, debeatne homo differre, an non?* Adclamantibus cunctis, quod reipublicae salutare factuque sit necessarium, accelerandum potius, quam differendum videri, consilii sui, cum paucissimis adhuc communicati participes fecisse omnes, eumque se vitae humanae fragilis fluxaeque memorem, ne a morte praeuentus destinata perficere impediretur, vnum filiorum suorum imperii socium adsciscere constituisse, professum, perhibet. Quod vt felix, faustum, reique publicae salutare esse iuberet summum Numen, Ludouicum imp. indixisse omnibus triduanam inediam (y), supplicationesque et sacrificia, immo et stipem in egenos largius conferendam, vt Deus O. M. his motus piis operibus, non modo imperatori, sed et optimatibus omnibus id, quod e republica futurum sit, inspirare dignaretur. Peractis his sacris, imperator Lotharium dixit imperii socium (z), in eamque patris sententiam tanto consensu itum est ab optimatibus, vt ipse in charta diuisionis imperii apud STEPH. BALVZIVM (a), id omnipotentis Dei nutu euenisse, his verbis testetur: *quibus rite per triduum celebratis, nutu omnipotentis Dei, vt credimus, actum est, vt et nostra, et totius populi nostri in dilecti primogeniti nostri* HLOTHARII *electione vota concurrerent. Itaque taliter diuina dispensatione manifestatum placuit et nobis et omni populo nostro, more sollemni imperiali diademate coronatum, nobis et consortem et successorem imperii, si Dominus voluerit, communi voto constitui.* Quin et reli-

[x] *Epist. flebili ad Ludouicum n. 4.*

[y] Confirmant hoc et reliqui scriptores σύγχρονοι et in his *Chronici Moissiacensis* auctor *ad a.* 817. *pag.* 147. Tunc omni populo placuit, vt ipse se viuente constitueret *unum ex filiis suis imperare, sicut Karolus pater eius fecerat ipsum. Tunc tribus diebus ieiunatum est ab omni populo. ac letaniae factae.* Immo ipse imperator in charta diuisionis imperii apud Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 574. *idcirco*, inquit, *necessarium duximus, vt ieiuniis, et orationibus, et eleemosynarum largitionibus apud illum obtineremus, quid nostra infirmitas non praesumebat. Quibus rite per triduum celebratis*, c. t. Quomodo vero celebrari coeperit triduanum ieiunium, ex epistola episcopi ad archipresbyterum non multo post haec tempora scripta, quae in *Formulis Alsaticis cap.* 18. occurrit, satis intelligitur. Ceterum inde patet, ad antiquissimos Germanorum mores referendam esse illam a cibo et potu, praeter panem et aquam, abstinentiam, quam principibus electoribus, difficilius procedente electionis imperatoris negotio, post diem tricesimum indixit *Aurea Bulla, titulo* 2. §. 5. *quod si facere distulerint infra triginta dies a die praestiti iuramenti praefati continue numerandos: ex tunc exactis eisdem triginta diebus a modo panem manducent, et aquam bibant, et nullatenus ciuitatem exeant antedictam: nisi prius per ipsos, vel maiorem partem ipsorum rector seu temporale caput fidelium electum fuerit, vt praefertur.* Eam enim abstinentiam non tam ad poenam, quam electoribus, nondum electo imperatore nemo irrogare posset, sed ad supplicationes et ieiunia Dei propitiandi caussa subeunda referendas esse, recte atque acute suspicatur illustris collega, Io. Petrus a Ludewig in *Commentar. ad Aur. Bullam ibid. tom. I. pag.* 3?9.

(z) *Chron. Moissiacense, Bertin. ad a.* 817.

(a) *Capitular. tom. I. pag.* 574.

reliquorum, qui adfuerint, neminem, quin id Dei O. M. ope ac consilio euenerit, dubitasse, ait AGOBARDVS *(b)*. Et sane laeta fuerunt imperii istius inauspicatissimi auspicia, collaudantibus omnibus hoc Caesaris consilium, et bene ominantibus vniuerso Francorum populo, quin illico confluentibus ad templum, vbi sollemni ritu diademate imperiali incinctus LOTHARIVS faustas tum imperatoris, tum totius populi adclamationes laetissimas audiuit, de quibus iterum CHRONICI MOISSIACENSIS auctor *(c)*: *posthaec*, inquit, *iam dictus imperator* CLOTHARIVM, *qui erat maior natu imperatorem elegit, ac per coronam auream ei tradidit imperium, populis adclamantibus, et dicentibus*: VIVAT IMPERATOR CLOTHARIVS. *Facta est autem laetitia magna in populo die illo. Et ipse imperator benedixit dominum, dicens: benedictus es Dominus Deus noster, qui dedisti hodie ex semine meo, considentem in solio meo, videntibus oculis meis (d)*. Seriane ac solida fuerit haec omnium laetitia, an eam vulgus magis, ad haec spectacula insaniens, quam viri cordati et rei publicae amantes, persenserint, non facile dixerim. Saltim non ea erat LOTHARII, noui imperatoris, indoles, quae adeo magnam saeculo felicitatem polliceretur. Erat enim princeps ferocioris ingenii, maiorisque audaciae, quam prudentiae ac virtutis, opum ac potentiae cupidissimus, et cui regnandi caussa diuina humanaque iura violare nulla erat religio. Quin ipsum patrem suspectum habuisse Lotharii ingenium. EGINARDVS *(e)* testatur, scribens, Ludouicum, quum Lotharii in societatem nominis et regni totius populi sui consensu adsumsisset, sibi praecepisse, *vt Lotharii curam gereret, ac illum de moribus corrigendis et honestis atque vtilibus sectandis sedulo commoneret*. At dare id aetatis praerogatiuae placuit, vt Lotharius fratribus natu minoribus anteferretur: nec iam antiquius quidquam habuit imperator, quam vt stabile esset Lotharii imperium. Quo consilio omnes Francorum proceres, teste AGOBARDO *(f)*, in verba eius adegit, et iureiurando sanctissimo, ne quem alium imperii consortem successoremque in augusta dignitate venerarentur, obstrinxit.

§IIII.

(b) *Ibid.*

(c) *Ad a. 817. pag. 147.*

(d) Ex his, quae paullo plenius hic narrat chronici Moissiacensis auctor, plane σύγχρονος quippe qui insequente anno 818. chronico suo colophonem imposuit, intelligimus, Ludouicum imperatorem in sollemni ista panegyri omnia ad exemplum suae coronationis, viuo Carolo M. factae, composuisse. Eius vero ritum describit Thegan. *de gest. Ludouici, cap. 6 pag. 297. sequ.* et qui totum illum actum iisdem paene verbis enarrat *Auctor Chron. Moissiac. ad a. 813. pag. 146.* Ceterum ex Thegano adhuc notandum duximus, Carolum M. in ea sollemnitate ipsum processisse corona exornatum, nec suum, sed aliud diadema, quod eum in finem confectum, quod ipse altari imponi iusserat, Ludouico filio tradidisse, vel iussisse potius, vt illud, ab altari sumtum, sibi ipse imponeret. Id ergo iam quoque imitatum esse Ludouicum imperatorem, valde est verosimile. Quin eam ipsam coronam, qua antea Ludouicum filium condecorauerat Carolus M. Ludouicum in Lotharii filii inauguratione adhibuisse, nemo dubitauerit.

(e) *Epistola 34.*

(f) *Ibid.*

§. IIII.

Ne vero reliquos filios minus cordi habere videretur, in iisdem comitiis illos quoque reges dixit, et PIPPINO quidem Aquitaniam, in qua iam ante triennium veluti precario regnare coeperat, LVDOVICO nostro Boioariam, quae tertio abhinc anno LOTHARIO data fuerat, tradidit, *vt scilicet sciret populus, cuius deberet potestati parere* (*g*). Testes eius rei habemus omnes eorum temporum annales, at multo locupletissimum ipsum LVDOVICVM imp. qui in charta illa diuisionis apud BALVZIVM (h): *ceteros vero*, inquit, *fratres eius*, PIPPINVM *videlicet et* HLVDOVICVM, *aequiuocum nostrum, communi consilio placuit regiis insigniri nominibus, et loca inferius denominata constituere, in quibus post discessum nostrum sub seniore fratre regali potestate potiantur*. Est ergo et id negotium de communi optimatium sententia, et suffragio peractum, quamuis in ea electione Aquitanorum praecipue ac Boioariorum, quorum res agebatur, habitam esse rationem, verosimile sit. Saltim enim Boioarii iam inde a multis saeculis ea praerogatiua donati fuerant, vt *qui de genere Agilolfingorum fidelis regi esset et prudens, ipsum constituerent ducem ad regendum populum illum* (*i*). Quae lex tantum abest, vt euersa in Thassilonis familia Agilolfingorum gente exoleuerit, vt multo post Boioarii sibi inuitis rectorem obtrudi non paterentur (k). Quare nullum est dubium, quin in creando rege LVDOVICO praecipua fuerit Boiorum praesulum atque optimatium auctoritas, iique non diu ambigui facile manus dederint eximiae indolis maximaeque spei puero, et sibi ipsi gratulati sint, suo eique tam bono principi in posterum obsequuturis. Coronarum decus tum datum esse PIPPINO et LVDOVICO, nusquam legimus: vnctos tamen illos esse oportet, si fides habenda incerto *chronici* breuis auctori, quem ex ALEX. PETAVII bibliotheca extulit ANDR. DVCHESNIVS (l), *qui Hludouicum Bauariam sibi vindicasse*, VNCTVMQVE *esse in regem*, memoriae prodidit. Sed nec eadem aetate vixit hic scriptor, et res istas tam parum compertas habuit, vt illi fidem hic non dubitem abrogare, quippe qui ibidem Carolum Caluum ex diuisione paterna *regnum Francorum et imperium Romanum obtinuisse*, scribere non veretur,

§. V.

(g) *Vita Ludouici pag.* 369.

(h) *Capitul. Tom*, I. *pag.* 574.

[i] Lex *Baiuuar. tit.* 2. *cap.* 20. §. 3.

[k] Quod non alio luculentiore testimonio probari posse videtur, quam Adelboldi in *Vita Heinrici Sancti imp. cap.* 10. apud Leibnit. *Script. rer. Brunsu. tom. I. pag.* 433. Memorata enim legatione, qua Buariorum ducatum sibi conferri poposcerat Hezilo, Bertholdi filius, addit, inconsultae quaestioni consultam *paratam* fuisse responsionem. Patienter enim audita legatione Henricum regem dixisse: *quos semper praecipuos inter omnes gentes habui, quosque semper toto mentis adfectu amaui, hos adepta benedictione regali* IN LEGE SVA *nec deteriorare volo, nec deteriorari patiar, dum vixero*. LEGEM *habent, et ducem* ELIGENDI POTESTATEM EX LEGE *tenent: hanc nedum ego frangam, quicumque frangere tentauerit, me inimicum habebit*. Ex quibus verbis patet, Boios et tunc saeculo vndecimo, fretos illa antiqua lege, neminem inuitis sibi imperantem ferre voluisse.

[l] *Script. rer. Franc. tom. III. p.* 350.

§. V.

Sic ergo haud multo fuit melior LOTHARII, quam reliquorum fratrum, conditio. Illi enim collegae patris imperiique consorti facto vniuersum Francorum imperium, si quid humani patri accidisset, despondebatur: hi mediocrem eius partem sortiebantur. Et quamuis satis amplae essent Aquitaniae et Boioariae prouinciae, alendoque regi sufficere viderentur: vix tamen cum reliquo Germaniae, Italiae, Galliaeque tractu, qui Lothario fuerat destinatus, videntur comparandae, vt iam non dicamus de summo in ipsos fratres, eorumque regna, imperio, quod Lothario, se mortuo saluum esse voluerat imperator, et de quo paullo post erat dicendi locus. Iam quas Germaniae partes LVDOVICO nostro cesserint, inuestigare, operae pretium fuerit. Id vero in quaestione nobis esse non patitur ipse LVDOVICVS PIVS, qui in charta diuisionis apud BALVZIVM (m) huius regni ambitum his verbis luculenter describit? *Item* HLVDOVVICVS *volumus, vt habeat Baioariam, et Carentanos, et Boheimos, et Auaros atque Sclauos, qui ab orientali parte Baioariae sunt, et insuper duas villas dominicales ad suum seruitium in pago Nortgaue Luttraof et Ingoldestat.* Prima ergo ac praecipua prouincia LVDOVICO cessa fuit BAIOARIA, de qua PAVLLVS WARNEFRIDVS (n) scribit, *Noricorum prouinciam, quam Baiuuariorum populus inhabitet, habere ab oriente Pannoniam, ab occidente Suauiam, a meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Itaque eius prouinciae fines a septentrione Danubio, ab occidente Lyco, a meridie Alpibus Tridentinis et Noricis, ab oriente Aniso fluuio, quem veteres *certum Baioariorum et Hunnorum limitem* esse statuebant (o). Perruperat hos limites Carolus M. qui anno 791. Hunnorum vel Auarum fines ingressus, ad Rabum vsque fluuium victricia arma circumtulerat (p), et victoria vsus octo insequentibus annis, Pippini maxime, Italiae regis, auspiciis, ita eam gentem perdomuerat, vt totus ille terrarum tractus ab Aniso flumine ad Rabum vsque in certa Francorum possessione esset (q). Et haec ipsa est AVARVM terra, quae regni LVDOVICO cessi partem fecit. Quamuis enim circa eadem tempora lacertos moueret gens ferocissima, cui iam inde ab origine sua semper in turbido fuerat consilium, et duce Liudeuito non modo ad amissa recuperanda, sed et proferendos fines ferro sibi viam munire coepisset (r); mox tamen repressus est ille tumultus, et tota illa tempestas, occiso circa annum 823. Liudeuito, subito commutata est (s): vt eam regni partem saluam omnino haberet LVDOVICVS noster, Auaresque vltra Rabum felici Marte submoueret. Tertia prouincia, quae ei obuenerat, est BOIOEMIA, fertilissi-

 mum

(m) *Art. II. Capitular. Tom. I. pag.* 575.

(n) *De gest. Langob. lib. III. cap.* 29.

(o) *Annal. Franc. Reuber. ad a.* 791. *pag.* 50. *edit. nou.*

(p) *Annal. Bertin. Met. Fuldens. Reuber. ad a.* 791.

(q) Eginard. *Vit. Caroli M. cap.* 13.

(r) *Vita Ludouici Pii ad a.* 819. *pag.* 572. *seq.*

(s) *Annal. Fuld. ad a.* 823.

mum illud veterum Marcomannorum regnum, quod, quamuis montibus circumcirca veluti a natura munitum clausumque, Slaui tamen iam pridem sub suam redegerant potestatem. Hos quoque CAROLVS M. ductu Caroli filii breui bello oppresserat (t), teste EGINARDO (u), idque anno 805. et sequentibus factum esse, satis constat (x). Sed victos magis, quam perdomitos esse dixeris Boemos, qui ex eo tempore subinde momorderunt fraena, nec vmquam tam bona fide seruierunt, vt non et LVDOVICO nostro, et eius filio CAROLOMANNO, plurimum facesserent negotii, et auitam libertatem aduersus Francorum opes mira virtute quam diutissime tuerentur. Sequuntur CARENTANI, et finitimi Auaribus SLAVI, quos itidem LVDOVICI regno additos fuisse vidimus. Et Carentaniae quidem antiquum nomen pars veteris Carentaniae et hodie retinet: id tamen olim multo latius patuisse, et praeter hodiernam Carinthiam etiam Stiriam, Carniolam, partem comitatus Tiroliensis, immo et Hungariae partem cis Muram comprehendisse, recte obseruauit HIER. MEGISERVS (y). Quum vero et hodie in illo terrarum tractu, et maxime in Carniola et ad Hungariae fines, Slaui vel Vindili intermixti Germanis degant, at veterem linguam patriam retineant: cur SLAVOS quoque, *qui ab orientali parte Baioariae sunt*, LVDOVICI regno adtribui placuerit, facile intelligitur. Adduntur duae *villae dominicales*, extra Boiorum fines cis Danubium in pago Nortgouiae sitae, INGOLSTADIVM et *Luttraof* (z), vt veluti peculiari iure a Ludouico tenerentur, et separatas a reliqua Boioaria rationes haberent. Vt adeo tractum haud exiguum, maximamque veteris Norici et Pannoniae partem inter Rabum et Lycum, Danubium at Alpes, ambitu suo complexum sit nouum istud Boioariae regnum, et regno Aquitaniae, quod Pippino, LVDOVICI fratri, obtigerat, vix ac ne vix quidem, cedere videretur.

§. VI.

Quae porro noui regni formula fuerit, eadem, quam saepe laudauimus, diuisionis charta nos non patitur ignorare. Satis animaduertebat

(t) Fatetur id Bohusl. Balbin. *Epit. rer. Boem. lib. I. cap. 10. pag. 85.* et recte notat Cromerum, qui *lib. II. Hist. Polon: in Lescone* haec omnia ad Polonos pertinere existimauerat. At nescio, quid in mentem venerit viro doctissimo, vt Carolum hunc *nothum* vocare non dubitet, quem filium Caroli M. et Hildigardis natu maximum, et, si vixisset, patri in imperio successurum fuisse, nemo ignorat. Sed aliis quoque locis Balbinus se Boemicae, quam Francicae et Germanicae historiae peritiorem esse, satis ostendit.

(u) *Vit. Caroli M. cap. 14.* monach. Egolism. *Vit. Karoli M. pag. 267.*

(x) *Annal. Fuld.* Reuber. *et alii ad a. 805. seqq.* Herm. Conr. *ibid.*

(y) *Annal. Carinth. lib. I. pag. 14. seqq.*

(z) INGOLSTADIVM ad Schutterae et Danubii confluentes, vrbs munitissima, et Musarum sede celebris, et hodie vetus nomen retinet, LVTTRAOF, hodie *Lutbrohoffen*, vel *Lautershoffen*, in comitatu Sulzbacensi ad Luthri amnis caput situm oppidulum non procul Altorfo Noricorum conspicitur. Diploma, in quo huius oppidi fit mentio, anno 1359. scriptum, edidit IO. Henr. de Falckenstein in *Codice diplom. antiquit. Nordgauiens. num. 243. pag. 192.*

tebat Ludouicus imperator, cum summo rei publicae detrimento coniunctam fore regni potentissimi diuisionem, si quaelibet pars per se subsisteret, separatasque a reliquis haberet rationes, maxime quum etiam Italiam, BERNARDO regi relictam, eo inuitatam exemplo daturam esse operam, vt a reliquo corpore imperii Francici diuelleretur, credibile esset. Itaque nouo exemplo (a), teste AGOBARDO (b), statuit, vt fratres natu minores, Lothario primogenito, et augustae dignitatis heredi, veluti clientes obsequerentur, et comiter venerarentur eius maiestatem. Hinc AGOBARDVS: *ceteris filiis vestris designastis partes regni vestri, sed vt vnum regnum esset, non tria, praetulistis eum illis, quem participem nominis vestri fecistis*. Sed rem omnem nullo luculentiore testimonio, quam ipsius LVDOVICI imperatoris discimus; qui in charta diuisionis (c) diserte monet, *fratres Lotharii, Pippinum videlicet et Hludouicum, aequiuocum suum, post decessum suum sub seniore fratre regali potestate potituros*, ac deinde has illis leges praescribit: vt quisque in suo regno honores, cui visum fuerit, suo arbitrio conferat, modo in constituendis episcopis et abbatibus legum ecclesiasticarum, in magistratibus creandis honestatis reique publicae salutis ratio habeatur (d): vt de bello paceque nihil sine fratris natu maioris consilio ac consensu statuant, praeterquam si repentini tumultus sine mora sint reprimendi (e): vt ne legatos quidem admittant, iisue, sine fratris primogeniti consensu de rebus alicuius momenti respondeant: si quid noui vel turbidi in regnorum suorum fini-

(a) Nouum fuit hoc LVDOVICI PII institutum, et hinc vel id solum suffecit, ad lites infinitas inter fratres, qui vix parem, nedum superiorem ferre poterant, excitandas. Praeterquam enim quod intolerabile fratribus minoribus videretur, subiici LOTHARIO, principi tam feroci et inhumano: nullum etiam exstabat exemplum huius modi subiectionis. Quoad Merouingi regnauerant, in tot partes diuisum norant imperium, quot filii exstarent, adeo, vt ne legitimorum quidem natalium ratio haberetur. Gregor. Turon. *Histor. lib. V. cap.* 21. Et hinc iusta arma sibi sumere visus est Charibertus contra Dagobertum I. fratrem natu maiorem, qui illum ea lege Aquitaniae praefecerat, vt fratri subiectus a regio nomine abstineret. Ludou. et Scaeuola Sammarth. *Hist. geneal. domus Franc. lib. IIII. pag.* 143. Carolus porro Martellus, quamuis maior domus tantum, ita inter Carolomannum et Pippinum diuiserat prouincias, vt neuter alteri subesset, idemque postea Pippinus, regnum inter Carolum M. et Carolomannum partitus obseruauerat, immo et ipse Carolus M. cuius in charta diuisionis vel testamento apud Pithoeum in *Annal. et hist. Francor. script. XII. pag.* 283. *sequ.* et Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 430. ne vestigium quidem exstat huius modi appanagii, quod vocant: quod inter Carolingos primus Ludouicus Pius imp. primum in Bernardo Italiae rege inuenisse videtur, de quo Theganus *de gest. Ludouici imp. cap.* 12. *pag.* 301. *eodem tempore venit* BERNARDVS *filius fratris sui Pippini, et tradidit semetipsum ei ad* PROCEREM, *et* FIDELITATEM *ei cum* IVRAMENTO *promisit*. Quae ipsa est nexus clientelaris vel vasallagii descriptio. Eodem ergo nexu, filio natu maximo reliquos natu minores obstrictos esse voluit imperator, non animaduertens, et imperare illis nescire Lotharium, et parere Pippinum et Ludouicum, neque abolita vetere succedendi consuetudine, his defuturum obtentum, hanc diuisionem oppugnandi.

(b) Eadem *epistola flebili. n.* 4.

(c) Baluz. *Capitul. tom. I. pag.* 574.

(d) *Ibid. art.* 3. *pag.* 575.

(e) *Ibid. art.* 7.

finibus exoriatur, id statim ad fratrem referant (*f*); vt cuiuis dominium in clientes suos saluum; his vero liberum sit, cuicumque ex his tribus fratribus se in clientelam dare velit (*g*): vt tributa, census, reditus ex metallis in suo quisque regno solus capiat (*h*), attamen vterque natu minorum quotannis ad fratrem natu maiorem proficiscatur, donaque ei offerat, vel absentiam per legatos dona illa oblaturos excuset, largiore munere a fratre illo primogenito remunerandus (*i*): vt neuter vxorem sine fratris consilio et consensu, nec vmquam exteram vxorem ducat (*k*): vt si quid illis humani acciderit, eorum filiis regnum paternum inter se partiri non liceat, sed populo ius sit, vnum ex his eligere, quem primogenitus iisdem legibus regno praeficere teneatur (*l*): vt alterutro sine legitimis liberis decedente, eius regnum ad fratrem natu maiorem reuertatur, is vero liberis eius nothis, si quos superstites reliquerit, de alimentis prospiciat (*m*): vt se mortuo neuter filiorum minorum antequam legitimam secundum legem Ripuariorum aetatem (*n*), id est, annum XVI. attigisset, regnum suum capessat, sed frater natu maior illud suis auspiciis gubernet (*o*): vt denique et *regnum Italiae eo modo* Lothario, *si Deus voluerit, vt successor* Ludouici patris *existeret, per omnia subiectum esset, sicut et eius patri*, Carolo M. *fuerit*, et *ipsi* Ludouico *illo tempore*

(f) *Ibid. art.* 8. *pag.* 576.
(g) *Ibid. art.* 9. *pag.* 576.
(h) *Ibid. art.* 12. *pag.* 577.
(i) *Ibid. art.* 4. *et* 5. *pag.* 575.
(k) *Ibid. art.* 13. *pag.* 577.
(l) *Ibid. art.* 14. *pag.* 578.
(m) *Ibid. art.* 15. *pag.* 578.

(n) Verba LVDOVICI haec sunt: *si vero alicui contigerit, nobis decedentibus, ad annos legitimos iuxta* RIPVARIAM LEGEM *nondum peruenisse, volumus, vt donec ad* PRAEFINITVM *annorum terminum veniat, quemadmodum modo a nobis, sic a seniore fratre et ipse et regnum eius protueatur atque gubernetur. Et quum ad* LEGITIMOS ANNOS *peruenerit, iuxta taxatum modum sua potestate in omnibus potiatur.* Quaenam vero sit aetas secundum hanc legem iusta ac legitima, vix constat, neque in lege Ripuariorum, quod huc pertinere videatur, vix quidquam legimus, nisi quod *titulo* 81. ita sancitur: *si quis homo Ripuarius defunctus fuerit, vel interfectus, et filium reliquerit, vsque ad* QVINTVM DECIMVM *annum* PLENVM *nec caussam prosequatur, nec in iudicio interpellatus responsum reddat. Quindecimo autem anno, aut ipse respondeat, aut defensorem eligat. Similiter et filia.* Itaque ex lege Ripuariorum legitima aetas erat annorum quindecim exactorum. At id notatu dignum, reges Francorum non Saliorum, sed Ripuariorum legibus vixisse. Quod ideo procul dubio factum, quod Aquisgrani, adeoque in terra Ripuariorum, veluti sedem ac domicilium rei publicae constituerat Carolus M. Id principium et postea mansit, et medio aeuo creditum vulgo est, reges Germanorum non alio, quam Francico iure vti. *Ius prouinc. Sax. Lib. III. cap.* 54. *der Konig soll haben Franckisch Recht, nachdem als er gebohren ist.* (Haec sensum non habent. Lege: *nachdem er gekohren oder erwehlet ist*, vti in quibusdam codicibus antiquis legitur: *wenne he gekohren ys*); *er sey, von welcher geburt er sey.* Et *Ius Suev. cap.* 23. §. 2. *als der Konig erwehlt wird, von welchem Land er gebohren ist, das recht hat er verlohren. Er soll haben Franckisch Recht, vnd von welcher Geburt er gebohren ist, das recht hat er auch verlohren.* Nimirum Aquisgrani coronandus videbatur Francorum rex fieri, et hinc iuri quoque Francico subiici, immo et a comite Palatino ad Rhenum, cuius in Francici potissimum iuris prouinciis eminebat auctoritas, iudicari posse. Nugae hae pleraeque, sed non heri demum aut nudius tertius natae.

(o) *Ibid. art.* 16. *pag.* 578.

pere subiectum sit (p). Haec est lex illa regia, quam tum et de Lotharii imperio, et de ceterorum filiorum regno tulit LVDOVICVS Pius, imperator, ex qua patet, voluisse illum, vt Lotharius iure optimo maximo vteretur imperio, Pippinus et Ludouicus regnis suis non ampliore cum potestate, quam olim reges, socii atque amici populi Romani, et illo tempore Italiae Bernardus, praeessent. Hinc non modo imperatoris titulo et insignibus, sed et aliis praerogatiuis donauit Lotharium, et, teste AGOBARDO (q), inter alia constituit, vt diplomata in posterum vtriusque imperatoris nomina praeferrent, testatum eo ipso facturus, eum se non modo successorem, sed et imperii socium ac collegam adsciuisse (r). Enim vero quam parum constans ac firma fuerit haec collegarum concordia, quamque mox res in neruum abierit, ea, quae sequentur, satis ostendent.

§. VII.

Primum enim ipsos Ludouici Pii filios natu minores grauiter perculit hoc patris consilium, non quod Lothario inuiderent supremum illud inter homines fastigium, ad quod eum patris beneuolentia euexerat, quum hoc decus illi quadam naturae praerogatiua deberi videretur: nec quod inaequalis admodum esset illa regnorum partitio, quam Caroli M. eodem fere seruato modo inter liberos diuidentis prouin-

[p] *Ibid. art. 17. pag. 578.*

[q] *Ibid. n. 4.*

[r] Exstant huius modi diplomata vtriusque nomine scripta signataque quam plurima. Nos quaedam dumtaxat exemplorum loco adferemus. Ediderunt talia Schaten. *Annal. Paderb. lib. II. pag.* 84. Mabillon. *de re dipl. lib. V. cap.* 69. Martene *Thesaur. anecdot. tom. I. pag.* 24. Aufstin. *Annal. Boic. lib. IIII. cap. 9. n.* 17. Io. Fridr. Schannat. *Cod. probat. hist. Wormat. n. 4. et 5. pag. 4. seqq.* Calmet. *Probat. hist. Lotharing. tom. I. pag.* 290. Reitenpach. *Hist. Norica, lib. I. cap. 9. pag.* 30. in *Chronico Monast. Farfensis* apud Duchesn. *tom. III. pag.* 658. in quibus ita se habet exordium: *in nomine domini Dei et Saluatoris nostri Iesu Christi HLudouicus et HLotharius diuina ordinante prouidentia imperatores augusti.* Sub finem vtriusque signa conspiciuntur: *signum HLudouici serenissimi imperatoris. Signum Lotharii gloriosissimi augusti.* Ceterum quamuis certum sit ex Agobardi *Epistola flebili, n. 4.* postea *de litteris nomen omissum esse*: errant tamen, qui id statim factum esse existimant. Diplomata enim Senonense apud Calmetum, et Corbeiense apud Schatenium data sunt *XII. Calendas Iulii, anno Christo propitio XIII. imperii domni Ludouici piissimi augusti indictione IIII. Ingiliuheim in palatio regio*, id est, anno Christi 826. Quae Schannatus ex archiuis VVormatiensibus extulit, eorum alterum prodiit *II. Kalend. Nouembris anno Christi propitio XIII. imperii domini* HLVDOWICI, et HLOTHARII V. *serenissimis augustis indict. IIII.* id est, anno Christi 827. alterum *III. Id. Sept. anno Christo propitio XVI. imperii domini* HLVDOVVICI, *serenissimi imperatoris*, *et* HLOTHARII *augusti VII. indict. VII.* id est, anno erae Dionysiacae 830. Quo anno et id, quod monasterium Farfense apud Du Chesne accepit, datum est, sed circa ea demum tempora, gliscentibus inter patrem filiosque turbis nomen Lotharii, vti videtur, adscribi desiit diplomatibus. Saltem in chartis Ludouici anni 831. et sequentium id vbique omissum animaduertimus. Ante haec tempora non modo diplomata vtriusque imperatoris nomen praeferebant, verum etiam alia acta publica, ceu patet ex Capitulis anni 820. apud Goldast. *Constit. imper. tom. II. pag.* 13. et anni 828. *ibid. pag.* 15.

uincias exemplum quodammodo excusabat, sed quod se veluti precario regnaturos crederent, si Lothario, tamquam clientes, subesse cogerentur. Id vero erat, quod vel maxime excruciabat generosos animos, subinde idem secum cogitantes, quod ad Maximum suum scripserat MARTIALIS (s):

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse.
Qui REX *est*, REGEM, *Maxime, non habeat.*

Obseruauit hoc sane scriptor grauissimus, THEGANVS (t), dum de illa regnorum partitione ita iudicat: *supradictus vero imperator denominauit filium suum* LOTHARIVM, *vt post obitum suum* OMNIA REGNA, *quae ei tradidit Deus per manus patris sui, susciperet, atque haberet nomen et* IMPERIVM *patris, et ob hoc ceteri filii* INDIGNATI SVNT. Et LVDOVICI quidem nostri ea tum erat aetas, vt vel nondum cepisse, vel videri possit hanc animi aegritudinem: at iam tum atrox ei et PIPPINO sedit eius iniuriae, vti ipsi interpretabantur, memoria, vt iam illo tempore omnis inter fratres gratia ac caritas refrixisse videatur (u), tamque alta reposta mente haesit, vt primus fratrum, ceu infra ostendemus, arma ipsi parenti minari non dubitarit. Diu ergo, et iam ab hoc ipso tempore patris capiti imminuit illa tempestas, quae demum ipsi, vniuersoque Francorum imperio incredibilem cladem intulit. Sed haec postea acciderunt. Eo ipso enim statim anno 818. primum veluti fulmen maiore tamen fragore, quam damno cecidit. Nimirum Lothario filio etiam patruelem BERNARDVM, Italiae regem, principem optimum, et patri per omnia similem, subiecerat, ceu paullo ante ex ipsa charta diuisionis vidimus. Id ille cur moleste ferret, duplicem sibi videbatur habere rationem; primam, quod Lotharium aetate antecederet, alteram, quod filius esset PIPPINI, Italiae regis, cui tamquam fratri Ludouici Pii natu maiori obtingere debuisset summum imperium, nisi in medio aetatis flore properantibus fatis fuisset exstinctus. Indignatus ergo non modo imperium sibi a Ludouico ereptum, sed et Italiae regnum a Lothario in

[s] *Lib. II. epigr.* 18.

(t) *De gest. Ludouici cap.* 21.

(u) Luculenter id probari potest ex EGINARDI *Epist.* 62. scripta ad Ermengardim reginam, inter annum 817. quo illa imperii facta est diuisio, et 818. quo illa diem obiit supremum. Respondet ibi expostulatoriae Ermengardis epistolae, qua Eginhardo exprobrauerat, *quod fraternam euertere niteretur concordiam*, idque opus daemonibus adscripsit. Quam suspicionem quamuis verbosa epistola a se amoliri conatur: non tamen negat, inter fratres male conuenire, nec quid inde metuat, dissimulat. Quo in primis pertinent verba insequentia: *de* DISCORDIA *autem istorum* REGVM *valde metuo, et dolens dico, quia dum illi*, PVERILE *attendentes consilium*, DISCORDES *inter se exsistunt, cito forsitan, quod vtinam absit, externorum sapientum et fortium inimicorum virtute et studio ad feram concordiam reuocabuntur, qui nos vndique circumstant.* En discordiam iam primo, statim ab illa imperii diuisione, anno inter reges illos fratres, adhuc paene pueros, glitcentem.

tio in prouinciae formam redigendum, rebus nouis studere, idque agere coepit, vt si non augustam dignitatem, at regni Italici libertatem sibi armis vindicaret, iugumque patrui ac patruelis, si qua fieri posset, penitus excuteret. Id sane eum cepisse consilii, testatur THEGANVS (x), dum *illum se extulisse aduersus patruum suum, eumque a regno expellere voluisse*, conqueritur. Et nescio sane, an non de facta sibi iniuria iure cum patruo expostulare potuisset, si de legitimis eius natalibus inter omnes constaret. Quid enim aequius, et communi gentium iuri conuenientius est; quam maioris natu fratris filium fratri aetate minori in imperiorum successione praeferri? At a THEGANO (y) in Ludouici Pii partes paullo proniori, *ex concubina* dicitur *natus*. Quod nos vtut parum verosimile (z) in medio relinquimus. Id certius est, plerosque tum Bernardi jus agnouisse, eiusque caussam placuisse omnibus Italis, qui contra Ludouicum Pium coniurauerant; immo et optimatium tum Italorum, tum Francorum, permultis, inter quos THEGANVS (a), et Astronomus (b), et alii (c) ANSHELMVM, Mediolanensem archiepiscopum, VVOLVODVM, Cremonensem, et THEODVLFVM, Aurelianensem episcopos, EGITTEVM, REINHARDVM, et REGINHARIVM, nominatim exprimunt (d), vt dici quodammodo de illo Bernardi conatu pos-

(x) *De gest. Ludouici Pii cap.* 22.

(y) *De gest. Ludouici ibid.*

(z) A reliquis auctoribus vocatur *Pippini filius*, *Caroli M.* immo et *Ludouici nepos*, nec quisquam praeter Theganum, quod meminerim, ei hanc natalium labem adspergit. Et tamen fratribus Sammarthanis tanti visum est Thegani scriptoris *συγχρόνου*, testimonium, vt ideo, Pippinum iustam vxorem vmquam domum duxisse, negent. Sed vereor, ne vel rei ignarus fuerit Theganus, vel Ludouici Pii filiis palpum obtrudere voluerit. Iustam enim fuisse Pippino vxorem; dubitare nos non patitur Alcuinus, qui in *Epist.* 24. Pippinum ita adloquitur: *laetare cum muliere adolescentiae tuae, et non sint alienae participes tui, vt benedictio tibi a Deo data in longam nepotum procedat posteritatem.* An haec scripserit vir tam grauis et sanctus ad principem, inter concubinae amplexus turpiter haerentem? Deinde Blondellus in *plen. assert. geneal. Francic. pag.* 201. *sequ.* mulierem, ex qua BERNARDVM genuit PIPPINVS, vocat BERTHAM, BERNARDI, Septimaniae ducis, sororem. Quod si verum est, nemo profecto sibi persuaserit, tam illustrem feminam concubinae loco in Pippini domo esse voluisse. Denique nemo sibi persuaserit, vel Carolum M. qui ne suos quidem filios naturales, Drogonem et Hugonem, successionis participes esse passus est, filii notho amplissimum Italiae regnum fuisse relicturum: vel id a patre impetraturum Ludouicum Pium, qui ne suo quidem notho, Arnulpho, teste auctore *chronici Moissiacensis ad a.* 817. apud Duchesn. *tom. III. pag.* 138. vllam regni partem dedit. Et Ludouicum tamen Bernardum precibus suis iussisse, diserte scribit eius vitae auctor *Astronomus pag.* 370. Nullum sane eorum temporum annales habent et familia augusta Carolingica exemplum, ex quo quemquam extra matrimonium natum ad imperium vocatum esse, probetur, ante Arnulphi imp. et Zuentiboldi Lotharingiae regis tempora, ante quae ne Carolus quidem Crassus, Bernardo filio naturali consulturus voti damnatus est, quamuis Hadriani pontificis auctoritate sese rem confecturum, speraſſet. *Annal. Lambec. ad a.* 885.

(a) *Cap.* 23. *pag.* 307.

(b) *Vit. Ludou. Pii pag.* 370. *sequ.*

(c) *Annal. Bertin. ad a.* 817. et *Moissiac. ad a.* 818.

(d) Inter hos episcopos eminet THEODVLFVS Aurelianensis, vir pro saeculi istius conditione doctissimus, qui

tu possit, quod de bello Pompeii et Iulii Caesaris indicauit LVCANVS poeta (e):

Victrix caussa Deo placuit, sed victa Catoni.

§. VIII.

Fieri vix potest, vt tam calida consilia non prius paene, quam satis perpolita sint, euulgentur. Id et BERNARDO accidit. Nondum enim eo loco erant res regis miserrimi, vt rei gerendae haberet occasionem, quum iam fama, vt est malum hoc velocissimum, defecisse a patruo Bernardum, coniurasse Italos, omnes Alpium aditus atque angustias firmissimo praesidio teneri, nunciaret. Astronomus, vitae Ludouici auctor (f) RATHOLDVM episcopum et SVPPONEM laudat, qui imminentem tempestatem ad Ludouicum Pium certis nunciis retulerint. Ea fama commotus imperator, vt illum consensionis globum quam primum disiiceret, vbique per imperium delectus habere coepit, praemissis, qui angustias Alpium occuparent, ipse cum numerosissimo exercitu expeditionem Italicam adgressus est. Enimuero vbi Cabilonem peruenerat imperator, desertus a suis Bernardus ei supplex occurrit (g), prouolutusque in genua veniam rogauit, quod exemplum et re-

qui praeter Capitula ad presbyteros parochiae suae 46. ordinem et rationem rituum baptismi, librum de Spiritu S. varia poemata, reliquit iunctim edita a Iac. Sirmondo *Paris. 1646.* 8. Iis vero supplementa quaedam addiderunt Dacher. *Spicileg. tom. V.* et Mabillon. *Analect. tom. I. pag. 369.* Hic episcopatu deiectus ob illam coniurationem, in Andegauensi monasterio exspirauit circa annum 821. REGINHARIVM Theganus *de gest. Ludou. cap. 22.* vocat filium filiae Hardrati, qui fuerit dux Austriae infidelissimus, qui iamdudum insurgere in dominum Karolum voluerit, et ei regnum minuere, qui eodem supplicio deputatus sit, *sicut filiae suae filius sustinuerit cum consentaneis suis*. Quod et auctor *annalium Bertinianorum ad annum* 818. confirmat, nisi quod Reginharii auum HARDRATVM, patrem MAINARIVM vocat, quum contra huic REGINERII nomen tribuat Astronomus *vitae Ludouici* auctor *pag. 370. sequ.* Qui etiam, EGIDDEVM *regalium amicorum primum*, REGINERIVM, *comitem palatii imperatorii*, REGINARDVM, PRAEPOSITVM *camerae regalis* vocat, eiusque coniurationis *conscios fuisse quam plurimos, clericos, seu laicos*, obseruat. In eorum numero procul dubio fuere etiam ipsi Ludouici fratres naturales, DROGO et HVGO, et THEODORICVS, quos eodem tempore, quo a BERNARDO sociisque sumtum est supplicium, a LVDOVICO PIO *tonsurari iussos ad DISCORDIAM mitigandam*, refert Theganus *de gest. Ludouici Pii, cap. 24. pag. 308.* Sed et ADALHARDVS Corbeiensis, vtriusque celeberrimus abbas, eiusque fratres, WALA et BERNARDVS, filii Bernardi comitis, nepotes Caroli Martelli, in ea factione fuerunt, ac ideo priuati sunt beneficiis, et in exsilium missi, quamuis postea restituti pristinos honores receperint. Paschas. Ratbert. *Vit. Adalhardi cap. 9. sequ.* Idem in *Vita Walae* apud Mabillon. *Act. Benedictin. saec. IIII.* Ex quibus patet, praecipuos ex ipsa familia augusta Bernardo fauisse, id profecto non facturos, si ei, talia auso natalium labes obstitisset.

(e) *Pharsal. lib. I. v. 128.*

(f) *Vita Ludouici pag. 370.*

(g) Sunt tamen, qui eum non vltro supplicem patruo factum, sed ab ENIMVNDO, vel, vti, a Nithardo *lib. I. pag. 435.* vocatur, BERTMVNDO, Lugdunensium comite per insidias captum, adductumque ad imperatorem, con-

et reliqui coniurationis eiusdem socii paullo post imitati sunt (h). Procul dubio reorum animos in spem veniae erexerant Bernardi aetas, sanguinis propinquitas, dignitas coniuratorum, ipsiusque imperatoris celebrata compertaque tot casibus mansuetudo et pietas. At maximo malo suo didicerunt non rariorem vllam esse, quam quae imperium adfectantibus praestatur, misericordiam. Illico enim et Bernardus, et socii eius, quos ille vltro prodiderat, in vincula rapti, quaestioque maiestatis, more Francorum integra reseruata est imperii proceribus. Re confecta et tumultu illo fama magis, quam armis, repressio, Aquisgranum reuertitur imperator, translactaque ibi hieme, et diebus recolendae redeuntis e sepulcro seruatoris memoriae sacris, rite celebratis; in vernum anni 818. tempus more patrio comitia indicit, omnesque imperii sui proceres Aquisgrani frequentes adesse iubet. Hi ergo iussi, de Bernardi et coniuratorum facinore dicere sententiam, omnes veluti ex compacto capitis damnant, et ne sanguinis quidem ac necessitudinis, nedum dignitatis, habendam esse rationem censent, futuros procul dubio motus, quos prudentiores iam tum praeuidebant, eo seueritatis exemplo repressuri. Imperator, ne pietatis humanitatisque laudi tam tristis sententia officiat, rigorem ita temperat, vt episcopis et clericis seditionis consciis exsilium de synodi sententia irrogetur, optimates, ipseque Bernardus, crimen oculorum amissione luerent, quod tum frequentissimum, ac veluti proprium perduellium supplicium habebatur (i). Si THEGANO (k) credere fas est, et huius

 poenae

contendunt. Fratres Sammarth. *Hist. geneal. lib. VII. pag.* 150. Sed nos potissimum Thegano aliisque eiusdem aetatis scriptoribus fidem habuimus, qui quum imperatori fauerint maxime, non profecto scripsissent, imperatorem ne supplicibus quidem pepercisse, si bello capti in eius potestatem venissent. Minus enim inhumanum facinus est hostem bello captum, et adhuc iras spirantem perdere, quam non parcere supplici. Enimuero tam intolerabilis esse solet imperii societas, vt quanticumque criminis veniam facilius daturi sint principes, quam maiestatis, in quo magnum exemplum, etiam quod aliquid ex iniquo habet, aduersus singulos publica vtilitate rependi creditur. Tacit. *Annal. lib. XIIII. cap.* 44.

[h] Thegan. *Vit. Ludouici* et *Annal. Bertin. ibid.*

[i] Huius poenae in legibus gentium Germanicae originis saepissime fit mentio, veluti in legibus *Wisigoth. lib. II. tit.* 1. §. 7. *lib. VI. tit.* 3. §. 7. *Baiuuar. lib. I. cap.* 6. §. 1. *Langob. lib. I. tit.* 25. §. 61. Eam vero potissimum dabant, quibus ob maiestatis crimen capitis damnatis venia dabatur. Eginard. *Vit. Caroli M. cap.* 20. *facta est et alia prius contra eum in Germania valida coniuratio, cuius auctores passim* LVMINIBVS ORBATI, *partim membris incolumes, omnes tamen exsilio damnati sunt.* Alia exempla passim occurrunt in *Annal. Fuldens. ad a.* 866. et in *Annalibus Francorum* passim. Immo postea eadem crudelitate vsi sunt aduersus bello captos, vti pluribus exemplis probauit Casp. Barth. *Comm. ad Guillermi Britonis Philipp. lib. V. v.* 316. *pag.* 318. ad illa poetae:

Protinus EXOCVLAT *ter in ipso carcere quinos,*
Monoculumque ducem dat eis, vt sic regat illos
Francorum ad regem: qui iussu concitus iuit,
Anglos supplicio simili mulctauit eodem
Sub numero;

vbi simul obseruat vir doctissimus, Graecorum principum notissimum fabulam ea in re si non superasse, at imitatos saltim esse Francos. Quis enim ignorat, in ipsum filium ita animaduertisse Carolum Caluum? Flodoard. *lib. III. cap.* 18. *Annal. Bertin. ad a.* 873. *Chron. Andegau.* apud Labbeum *Bibliot. Manuscript. tom. I. pag.* 285.

(k) *De gest. Ludouici Pii cap.* 22. *pag.* 307.

poenae gratiam Bernardo facere voluit Imperator, prohibitus tamen a consiliariis, qui misero iuueni oculos erui, nefanda crudelitate iusserunt. Ait enim *imperatorem illud iudicium mortale, quod ceteris, praeter Episcopos, factum sit, exercere noluisse: sed consiliarios Bernardum luminibus priuasse, similiterque exhortatores suos Egisteum, Reinhardum, et Reginharium*. Sed si id non voluit: non noluit saltim LVDOVICVS. Eius enim vitae auctor (*l*), haud paullo, quam THEGANVS, candidior, rem ita enarrat: *quum Bernardus, hactenus rex, eiusque fautores lege iudicioque Francorum debuissent capitali sententia feriri, Ludouicum, suppressa tristiori sententia, luminibus eos orbari* CONSENSISSE, *licet multis obnitentibus et animaduerti in eos tota feueritate legali cupientibus. At vero licet imperator indulgentius ageret, vltio tamen* ELIMINATA *ad effectum in aliquos est perducta*. Conseferat ergo imperator in supplicium, sed istud differri voluerat, si forte dies mitiorem suaserit sententiam. Consiliarii vero, qui tantum non omnia suo agebant arbitrio (*m*), morae impatientes, non adquiescendum sibi putabant, priusquam Bernardum sociosque perdidissent, et effodissent oculos, quibus Ludouici maiestatem tam parum suspexissent. Sic dignus commiseratione BERNARDVS medium inter vitam et mortem, at morte tamen ipsa grauius, supplicium subiit. Tertio enim die post non ferens dolorem animique aegritudinem, miseram animam exhalauit (*n*), felicior profecto, si priusquam se sentiret mori, vel occubuisset in acie, vel carnificis ministerio vno securis vel gladii ictu periisset (*o*). In quem annum incidat illaetabile illud BERNARDI fatum, non adeo expeditum est. Quamuis enim certissimum sit, infelicissimum istum principem anno 817. corripuisse, arma, et insequen-

(l) *Ad a.* 818. *pag.* 371.

(m) De nimia hac indulgentia Ludouici Pii ipse conqueritur Theganus *de gest. Ludou. cap.* 20. *pag.* 305. *omnia prudenter et caute agens, nihil indiscrete faciebat, praeterquam quod consiliariis suis magis credidit, quam opus esset, quod ei fecit psalmodiae occupatio et lectionum adsuitas, et aliud, quod ille incipiebat. Quia iamdudum illa pessima consuetudo erat, vt ex vilissimis seruis summi pontifices fierent, et hoc non prohibuit, quod tamen maximum est malum in populo Christiano*, cetera. Quam facile vero fuit consiliariis, principi tam indulgenti illudere, quum et Elisabethae, reginae Angliae, principi satis callidae, idem aliquoties contigisse, ferant?

(n) Thegan. *cap.* 23.

(o) Mortis genus ignoratur. Sunt qui eum, quum se oculis priuatum iri animaduerteret, cum Reginhario gladium strinxisse, et in isto tumultu vtrumque occubuisse, tradunt. Sed quis, quaeso, captiuis ferrum, quo se defendere possint, relinqueret? aut duos eiusdem criminis reos vno carcere concluderet? Alii, Bernardum aeque ac Reginharium ipsos sibi manus violentas intulisse, suspicantur. Sed hi procul dubio decepti sunt loco male intellecto auctoris *Vitae Ludouici*, qui *pag.* 371. hunc euentum ita describit: *etenim Bernardus et Reginerius, dum impatientius oculorum amissionem et ablationem tulerunt, mortis acerbitatem* SIBI CONSCIVERVNT. Quae verba et de voluntaria, et de accelerata per aegritudinem morte, intelligi possunt. Probabilius tamen est, vtrumque ob acerbitatem doloris animique aegritudinem incidisse in febrim tam malignam, vt, accedente sphacelo, vix triduo calamitati suae superstites essent: quia ne id quidem credibile est, reos, diram hanc sententiam passos, sine custodia esse relictos, vt sibi violentas manus, nemine impediente, inferre possent.

ſequente 818. paullo poſt Paſchales dies capitis damnatum eſſe; non tamen aeque conſtat, eodemne anno ab eo ſumtum ſit ſupplicium, an aliquot annis poſt. Immo rem ne epitaphium quidem, quod lapidi inciſum Mediolani in templo S. Ambroſii reperitur (p), ſatis expedit. Tametſi enim in eo tempus mortis ita ſignetur: REG. AN. IIII. M. V. OBIIT XV KAL. MAI. IND. X. FILIVS PIAE M. PIPINI: indictionis tamen numerus rem in ſe incertam tanto incertiorem reddere videtur (q). At in re ambigua illis potiſſimum crediderim, qui illum inſequente anno 818. XV. Kal. Maii deceſſiſſe putant. Et hunc quidem miſerabilem exitum habuit princeps optimus, multum quidem defletus a Ludouico Pio, eiuſque iuſſu Mediolani buſto paterno illatus, documento tamen futurus poſteris, parum reuerenter habere fortunam, quotquot ſpes ſuas ambitione donantes, medico

I 2 prae-

(p) Triſtan. Calchi *Hiſt. Mediol. lib.* X. Sigon. *de regno Ital. lib. IIII. pag.* 108. Baron. *ad ann.* 818. *n.* 18.

(q) Totum epitaphium, vti illud ex ipſo lapide ſepulcrali deſcripſit Ludou. Anton. Muratorius *Script. rer. Ital. tom. II. part. I. pag.* 220. *v.* ita ſe habet:

BERNARDVS CIVILITATE MIRABILIS CETERISQVE PIIS VIRTVTIBVS INCLYTVS REX
HIC REQVIESCIT REG. AN. IIII. M. V. OBIIT XV. KL. MAI. IND. X. FILIVS PIAE M. PIPPINI.

Iam Ant. Pagi *Crit. Baron. ad a.* 817. *n.* 15. rationes hunc in modum ſubducit: *Bernardus ſepultus fuit Mediolani in eccleſia S. Ambroſii, vbi exſtat inſcriptio a Baronio num. XVIII. recitata, in qua legitur*, regnauit annos quatuor, menſes V. obiit XV. Kal. Maii indictione XI. *ideoque ſequente Chriſti anno* 818. *Et regnum inierat menſe Nouembri anni* 813. *vt haec verba demonſtrant*. At Pagius hic gratis ſumit, in marmore legi *indictionem* XI. quum teſte Muratorio legatur *ind.* X. Deinde contra auctoritatem Chronici Moiſſiacenſis, Lambeciani, et ſcriptoris aſtronomi renunciationem Ludouici Pii et Bernardi menſe Nouembri, non Auguſto vel Septembre factam eſſe ſtatuit. Denique nec indictio hic characterem temporis ſufficit idoneum. Nam quamuis haec indictio X. multo minus, quam vndecima, anno 818. conueniat: tamen iam Puricellus et Muratorius *ibid.* obſeruarunt, Mediolani apud eius aeui eccleſiaſticos peculiarem in vſu fuiſſe indictionem, et hanc non ſemper conſtantem: quod ſe fortaſſe alibi oſtenſurum, minatur Muratorius. Nos, nulla habita indictionis ratione calculum probamus Pagii ob imperii annum quartum, menſes quinque, niſi quod regni eius initium non a conuentu Aquiſgranenſi 813. quo vna cum Ludouico Pio rex renunciatus eſt, ſed a tempore, quo Modoeziae regni Italici coronam obtinuit, repeti exiſtimemus. Ex noſtro calculo anno 818. Paſcha incidit in diem XXVIII. Martii. Finitis his feriis menſe Aprili conuentus habitus Aquiſgrani, in quo Bernardus damnatus eſt capitis, ſtatimque die XVI. eiuſdem menſis luminibus orbatus eſt, et tertio die poſt, qui erat Aprilis decimus octauus, deceſſit. Quum ergo regnaſſe dicatur annos IIII. menſes V. initium regni eius incidit in Decembrem anni 813. Quum ergo iam menſe Septembre vel Auguſto eius anni, (prout vel Moiſſiacenſis, vel Lambeciani chronographi auctoritatem ſequimur) a Carolo M. auo rex ſit creatus: conſequens eſt, vt menſe Decembre eius anni noui quid contigerit, a quo regni ſui annos auſpicandos eſſe crederet. Quod non aliud eſſe poteſt, quam corona regni Langobardici circa id tempus, et ipſis fortaſſe diebus Chriſti natalitiis ſuſcepta. Ita omnia videntur bene cohaerere, nec nos multum turbare poteſt indictionis numerus, quum diuerſimode admodum a Mediolanenſibus iniri conſueuerit: immo non eadem vbique fuerat indictionum ratio, ceu poſt Iac. Gothofredum obſeruauit Car. du Freſne *in Gloſſar. med. et inf. Lat. tom. II. pag.* 47. *ſeqq.*

praesenti, at tanto certiori, incertum quid iucunda, at fallacissima imaginatione, praeferre non dubitant.

§. VIIII.

Talis fuit prima illa, quam diuisio regni a Ludouico Pio facta eo ipso anno 817. excitauit. Facto illo exemplo, infida aliquamdiu pax fuit, nemine auso tentare fortunam, quae Bernardum tam cito destituisset. Filios interim, imperator, ne forte ipsa quotidiana consuetudo, simultates inter eos excitaret, statim anno 817. natu minores a se dimiserat. Pippinum enim in Aquitaniam, Ludouicum, puerum decem annorum ad Boioarios missos esse diserte tradit VITAE LVDOVICI auctor (r). Haec anno 824. gesta. Hinc rescribendum: *sequutum est anno insequente* 818. *bellum Britannicum*, idque ex insequentis anni 818. gestis liquido potest demonstrari. Quum enim tunc Britones, duce MORMANNO, regulo suo, more fraena mordere, et obsequium omne exuere nunciarentur, et Imperator contractis vndique copiis expeditionem, cui et LVDOVICVM nostrum interfuisse, virtutisque insigne specimen edidisse, iam supra monuimus, susciperet: filii illi, natu minores, PIPPINVS et LVDOVICVS, ipsi e regnis suis copias adduxerunt. Saltim de PIPPINO testis *αυτόπτης* est ERMOLDVS NIGELLVS (s), ea de re ita canens:

Francia cuncta ruit, veniunt gentesque subactae,
Et PIPPINE *tua* PARTE *venire paras.*

Id quod et LVDOVICVM ex sua parte fecisse, probabile est, quum et ipse illi expeditioni non modo interfuisse, sed et praefuisse tertiae exercitus parti legatur, opinione citius confectum. Actis enim in fugam Britonibus, totaque prouincia ferro flammisque deuastata, direptis miserae gentis opibus, ipsoque Mormanno a quodam equorum regiorum custode CHOSLO, occiso, tota cum eo victa Britannia succubuit, manusque victa dedit, seruitutis conditiones, quascumque laturus esset imperator, susceptura. Hinc recepta Britannia, acceptis obsidibus, rebusque constitutis, imperator victrices copias in Galliam reduxit (t). Sed hunc LVDOVICI Pii triumphum mox funestauit HERMENGARDIS, regina, quae, vt ex EGINARDI epistolis (u) colligitur, filiorum male concordium quasi copula fuerat. Eam Andegauum secum duxerat imperator, ibique febri laborantem longoque fatigatam incommodo reliquerat (x). At vix redeuntem e castris virum amplexa singularis exempli femina biduo post caelestia regna cum terreno commutauit V. Non. Octobris, eiusque corpus in eadem vrbe condito-

(r) *Ad a.* 817. *pag.* 369.
(s) *Lib. IIII. v.* 119.
(t) *Vit. Ludouici Pii pag.* 371. *Annal. Fuld.* Eginardi, *Bertin. ad a.* 818.
(u) *Epist.* 61.
(x) *Annal. Fuld. Bertin.* et reliqui *ad a.* 818. *Vita Ludou. pag.* 372. Thegan. *cap.* 25.

ditorium reperit. Inde imperator, curato vxoris funere, iustisque factis, Aquisgranum hiemem ibi exacturus rediit.

§. X.

Insequente anno 819. Sclaomirus, Obodritorum dux, multorum criminum accusatus a suis, nec non Lupus Visco imperatori rebellis in exsilium acti. Obodritorumque regnum Ceadrogo filio Thrasconis cessit (y). Multa quoque alia eo anno ab imperatore acta, quae ad tranquillitatem ecclesiae reique publicae pertinere videbantur. Sed ea omnia, quod ad LVDOVICI Germanici res illustrandas nihil omnino facere videntur, merito praetermittimus. Duo tamen sunt, quae in enarrandis eius fatis praetermittenda minime esse existimamus, inauspicatissimum puta LVDOVICI patris cum IVDITHA matrimonium, et bellum cum LIVDEWITO in Pannonia gestum. Quemadmodum enim hoc regno Boico; ita illud ipsi LVDOVICI nostri fortunae exitium minari videbatur. Aliquot menses viduitatis taedia fortiter tulerat imperator, nec fortassis vmquam de nouerca liberis superinducenda cogitasset, nisi ea res curae fuisset consiliariis, quorum ab arbitrio totus pendebat. Versabatur tum in aula BENEDICTVS, abbas Anianensis, rigidus disciplinae monasticae seuerioris exactor, cuius ministerio Imperator non modo in rebus palatinis et publicis, sed et in componendis ad austeriorem vitam moribus vtebatur. Quin vt eum et assiduum comitem, et sanctimoniae exemplum haberet, Indense coenobium non procul Aquisgrano non sine magna opum profusione condidit, suoque BENEDICTO regendum concessit (z). Id eo consilio fecisse Ludouicum, vt ipse sacro illi monachorum gregi mixtus, idem institutum seruaret, alio loco (a) ERMOLDI NIGELLI (b) testimonio probauimus. Ea cura tunc adeo distinebat bonum principem, vt non imperatoris magis, quam abbatis, partes exsequeretur, et non minus saepe in illo Indensi delubro, quam in palatio viseretur. Hinc denuo ERMOLDVS (c):

Sed HLVDOVICVS *agens purgauit lustra ferarum,*
Atque Deo gratum condidit arte locum.
Fundauit satagens, rebus ditauit opimis,
Quo Benedicte tua regula sancta viget.
Namque idem Benedictus erat pater illius aedis,
Et Hludowicus adest Caesar et ABBA *simul.*
Haec loca saepe colit, properatque reuisere caulas,
Ordinat et sumtus, munera larga parat.

Ex eo vero suspicabantur consiliarii, iam id agere dominum, vt conclamet vasa, signumque det receptui, id est, pertaesus rerum humana-

(y) *Annal. Fuld. Bertin.* et alii ad a. 819. *Vita Ludouici pag.* 372.
(z) Ardo in *Vita S. Benedicti Anian.*
[a] *Capite hoc* 4. §. 2.
[b] *Lib. II. v.* 580.
[c] *Lib. II. v.* 592.

manarum, pro purpura cucullo induatur, maxime, quum amissa Ermengardi, filiisque designatis successoribus, nihil id consilium morari videretur. At nihil minus rei publicae sibique, quam illam Caesaris abdicationem, profuturum arbitrabantur, satis gnari, quam dira quaeuis minetur LOTHARII ferocia, adolescentiaque reliquorum fratrum, omnibus prauis consiliis peruia, denique ipsa, quae inter fratres gliesceret, aemulatio, quae semel in bellum ciuile erumpente, ne ipsam quidem salutem populum Francorum seruare posse censebant. Hinc non aliam certiorem illa imperatoris consilia turbandi rationem reperiebant, quam si illi, vt feminam iuuenculam in torum recipiat, persuadere vllo modo possent. Ita sane tum rationes subduxisse Ludouici Pii consiliarios, testis est scriptor rerum a LVDOVICO Pio gestarum adcuratissimus, qui *Astronomi* vulgo nomine venit (d): *qua tempestate monitu suorum vxoriam copulam meditabatur inire. Timebatur enim a multis, ne regni gubernacula vellet relinquere. Sed compellebatur, tandemque eorum voluntati satisfaciens, et vndequaque adductas procerum filias inspiciens*, IVDITH *filiam Welfonis, nobilissimi comitis in matrimonium iunxit*. Nescio quid barbari moris inesse dixeris illi puellarum tamquam ad forum venalitiariarum confluentium lustrationi (e), cuius et BERTINIANI et SAXONICI annales (f) faciunt mentionem. Sed ea opus esse videbatur, vt austerioris vitae principem et de choro saepius, quam toro, cogitantem, ad amorem inflammarent. Nec fefellit eius consilii auctores euentus. Inter tot eminentioris formae virgines, quarum forte nulla indigna videbatur vidui amplexibus, sola placuit IVDITHA:

Viderat hanc, visamque cupit, potiturque cupita.

Vere enim eius anni iam adulto, quod tempus (g) poetae nuptiis conuenientissimum esse iudicant signatae tabulae, dictum feliciter, Liuiam suam domum ducit Augustus, mox Tiberii cuiusdam matrem, magno rei publicae malo, futuram.

§. XI.

[d] *Ad a.* 819. *pag.* 373.

[e] Regibus Persarum talem fuisse consuetudinem, vt ex conducta virginum formosissimarum turba vxores sibi ac pellices deligerent, ex *libri Esther is capite* 2. *v.* 1. *sequ.* perspicimus. Sed Francis eumdem placuisse morem, me animaduertere non memini. Videntur id excogitasse Ludouici ministri, vt dominum ad amorem inflammarent, parum memores, ipsam aliquando puellarum copiam electionem difficiliorem, sponsosque consilii inopes reddere.

[f] *Ad a.* 819. *pag.* 176.

[g] Noti sunt versiculi vetustissimi poematis, quod *Peruigilium Veneris* vocatur, *v.* 2. *seqq.*

Ver nouum, ver iam canorum, vere natus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubent alites:
Et nemus comam resoluit de maritis imbribus.

Quibus gemina sunt apud Oppian. *Cyneget. lib. I. v.* 377, et *Halieut. lib. I. v.* 473. Sed haec quidem fortassis non curauerit Hippoclides. Magis ad rem pertinuisset, si nuptias has Ludouicus vere aetatis suae celebrasset, aut si ipsi ex eodem carmine adclamari potuisset: *cras amet, qui numquam amauit.* Sed quadraginta annis maior, trium filiorum iam paene adultorum parens nescio an satis prudenter domum duxerit iuuenculam, filiosque metu numerosioris prolis anxios magisque a se abalienarit.

§. XI.

Nimirum adeo

Ille dies primus lethi, primusque malorum
Caussa fuit,

vt qui taedas istas nuptiales accederant, simul faces, quibus res publica conflagraret, accendisse videantur. Erat IVDITHA illa gente Guelphorum inter Alamannos florentissima prognata (*h*), venustate formae

[h] De Guelphica gente hodie omnia nota sunt, postquam de ea bene mereri coeperunt Leibnitius, Eccardus, Fellersis, aliique viri doctissimi. Pater WELLIO vel WELFVS, et *Annalium Fuldensium* auctori HVELPVS, alibi *comes* vocatur, vti in *Ann. Fuld. ad a.* 819. alibi *nobilissimus comes*, vti in *Vita Ludouici Pii pag.* 373. alibi *dux*, vt apud Thegan. *de gest. Ludouici imp. cap.* 26. Sed vir illustrissimus, G. G. Leibnitius, *praef. tom. I. Script. rer. Brunsu. n.* 55. *seqq.* Guelphos antiquos siue ex Alamannis, vti veteres scribunt, siue ex Agilolfingis, vetustis Boioariorum rectoribus, vt quibusdam viris doctis placet, ortos, olim in Sueuia et Bauaria hereditarias, nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuisse, quae tunc insignis praerogatiua habita sit; adeo vt quidam ex illo Ethico indignatus sit Henrico filio, quod insignem terrarum tractum sub homagii conditione imperatoris beneficio recepisset. Principes ergo habitos, etiam qui duces comitesque, (quod feudale fuerit), non adpellati sint, qui tamen domum suam aliquando regis more per ministeria comitum, vel his aequalium rexerint, vt de Guelphis habeat monachus Weingartensis. Matrem IVDITHAE nobilissimi generis Saxonici fuisse, obseruat Theganus *de gest. Ludou. cap.* 26. *pag.* 308. Eam vero HEGELWICH vocat auctor *Translationis S. Bathildis cap.* 1. apud Henschen. *Act. sanctor. Ian. tom. II.* obseruatque, eam anno Ludouici imp. generi sui XX. id est, anno Christi 833. Kalensi monasterio tamquam abbatissam praefuisse: *anno vicesimo, regnante cum magna felicitate HLudouico, serenissimo augusto, in regno Francorum, venit Kala monasterium, vbi venerabilis abbatissa*, HEGELWICH, *genitrix* IVDITH *imperatricis magno gregi sanctimonialium praeerat*. Ex quo simul discimus, WELPHVM, Hegelwigis maritum, illo tempore iam rebus humanis excessisse. Porro Hegelwigis illa, vti ECKARDVS *Not. ad vitam Hatumodae pag.* 32. probabile reddidit, eam BRVNONIS, Angriae principis, et GISELAE, WITICHINDI filiae filiam, sororem EKBERTI Saxoniae ducis, S. IDAE mariti, fuisse. Fratres porro Iuditha habuit ETHICONEM, Guelphorum profatorem, de cuius posteris plura *Historia monachi Weingartensis* de Guelphis apud Leibnit. *tom. I. pag.* 782. CONRADVM, quem plerique comitem Parisiensem vocant, potentem in aula Ludouici, regum Burgundiae auctorem, et Radulfum abbatem S. Richerii Centulensem. Vt adeo totum Iudithae stemma genealogicum, quatenus ex incorruptis vetustatis testimoniis erui potest, tale omnino esse videatur:

WITI-

		VITICHINDVS, Saxonum dux.
	BRVNO, Angriae dux.	**GISELA**
WELPHVS dux vel comes dictus amplissimarum prouinciarum in Alamannia et Boioaria dominus, † ante annum 834.	**HEGILWICH** in viduitate abbatissa Kalensis a. 834.	**ECBERTVS** dux, vxor S. IDA, de quibus *Vita S. Idae* apud Leibnit. *tom. I. pag. 171. seqq.*

ETHICO patriorum allodiorum in Sueuia possessor.	CONRADVS comes inuitus tonsus. Thegan. *cap. 36.*	RADVLPHVS S. Richerii abbas, vna cum Conrado fratre inuitus in monasterium detrusus. Thegan. *cap. 36.* Nithard. *lib. I. pag. 436.*	IVDITHA.	LVDOVICVS Pius imperator.
HENRICVS Guelphus, primus, qui vasallus fuit Ludouici Pii indignitate patre. Monach. Weingart. *Histor. Guelph. pag. 182.*	Hugo abbas jun. — Conradus iunior. — Welphus.			
	Rudolphus rex Burgund.			

Magna ergo fuit Iudithae nobilitas. At quum sint, qui illud matrimonium paene incestum fuisse contendunt: quid veri huic sententiae insit, paucis dispiciemus. Est haec vetus Ioannis de Beka, aliorumque Belgicorum scriptorum narratio, quam illi procul dubio non ex genuinis faeculi noni monimentis eruerunt, sed a maioribus veluti per manus traditam acceperunt, S. Fridricum, episcopum Vltraiectinum, quod incestas Ludouici et Iudithae nuptias reprehendisset, immissis percussoribus caesum esse, anno 838. XV. Kal. Augusti vti rem multis describunt Io. a Beka in *Episc. Vltrai. pag. 23. sequ.* et Guil. Heda *ibid. pag. 49. sequ.* Placuit id commentum Chifletio, qui vt magis perpoliret fabulam, schema hoc dedit, quo illam cognationem LVDOVICI Pii et IVDITHAE ob oculos poneret:

Gotho-

Gothofredus, dux Sueuiae.

Houchingus, dux Sueuiae.

Nebi, dux Sueuiae.

Imma vxor N. comitis in Sueuia.	Alia filia, vxor N. Comitis Altorffi.
	Isembertus Warinus, princeps Altorffi a. 988. ex *Chron. Constant.*
Hildegardis, vxor Caroli M.	Welfus, Altorffi comes, vxor Irmentruda Saxonica.
LVDOVICVS Pius imperator.	IVDITHA.

Quod schema si verum esset, Iuditha Ludouico imp. quarto gradu lineae obliquae inaequalis cognata fuisset. Sed soliue docuit Blondellus in *Geneal. Franc. plen. adsert. pag.* 215. illam NEBI filiam, N. comiti Altorffi nuptam, nullum in vniuersa antiquitate praesidium reperire. Immo et ipsam de S. FRIDRICI martyrio narratiunculam fabulosam esse, eo potissimum argumento ostendit, quod nec coaeuorum quisquam id prodiderit memoriae, et ne verosimile quidem sit, IVDITHAM iam anno 819. LVDOVICO nuptam, obiurgationem episcopi septendecim annis post vindicare tam nefarie voluisse. Quae aliaque argumenta vrget etiam Arnoldus Buchelius *ad Ioannis a Beka Episc. Vltrai. pag.* 25. Enimuero, quamuis omni fundamento careat schema Chiffletianum, et ipsa etiam fortassis historia de S. FRIDRICI martyrio falsa sit: non tamen temere negauerim, cognationem inter LVDOVICVM et Iuditham intercessisse, et FRIDRICVM illas nuptias tamquam incestas damnasse. Iam supra *cap.* 2. §. 4. obseruauimus, Hildegardim, Caroli M. vxorem, Sueuam, Immae filiam. Nebi ducis neptem fuisse, simulque probabile esse diximus, eam patrem habuisse vel WARINVM, vel RVTHARDVM qui S. OTHOMARVM, abbatem S. Galli circa annum 750. vexarint. WARINVM fuisse patrem ISAMBARDI, ipse Blondellus concedit. Quamuis vero, filiusne ISAMBARDI, an frater WELFVS fuerit, non facile dixerim, omnes tamen rerum paullo peritiores WARINVM et RVTHARDVM Guelphica gente fuisse suspicantur, idque iam GOLDASTVS recte obseruauit. Si ergo fingamus, quod admodum verosimile est, Ruthardum et Warinum fratres fuisse, et illum Immam duxisse vxorem: stemma tale nascetur.

formae eximia (*i*), tantaque praedita siue calliditate, siue prudentia (*k*), vt incredibilem sui amorem in viro, ingenii alioquin parum amoeni, excitaret. Sed eadem vere fuit priuignis nouerca, quae id egit perpetuo, vt animum Ludouici nouercalibus blanditiis ac delimentis instinctum ab Ermengardis filiis abalienaret, suoque CAROLO maximam imperii partem concederet. Quod quum facta iam diuisione fieri non posset, vt non tantum illis decederet, quantum Carolo illi daretur, ea res illos postea in tantam rabiem adegit, vt et naturam paene exsuerent, impiaque arma ipsi patri obuertere non dubitarent. Adeo tum verum adparuit tritissimum Germanorum prouerbium, patrem, simul ac cum nouerca signet tabulas, in vitricum degenerare. At erant et alia, quae illam non minus regni proceribus, quam filiis exosam reddebant, impotens dominandi in aula libido (*l*), perpetuum liberorum, fratrum, cognatorumque res augendi studium, imperium in ipsum Ludouicum maritum adfectatum, vagarum denique suspicio libidinum, qua ita laborauit mulier, vt vulgo de se sermones daret. Hinc REGINO (*m*), vbi LVDOVICI Pii exauctorationem descripserat: *fuit*, inquit, *haec deiectio pro maxima parte facta propter multimodam* FORNICATIONEM *Iudith, vxoris eius*. Quae quidem similiaque calumniis aduersariorum tribuunt e vetustioribus THEGANVS (*n*), e recentioribus ARN. BVCHELIVS (*o*), et alii: sed difficile est creditu, ausuros fuisse tot homines non plebeios, sed optimates virosque grauissimos id ei publice exprobare, et LVDOVICVM Pium per vxoris atus tanta ignominia adficere, nisi satis manifesta adfuissent rei testimonia. Publice autem in libello, qui restituto iam LVDOVICO prodiit, id Iudithae exprobrare non dubitauit AGOBARDVS (*p*), Lugdunen-

BAINONVS apud Goldast. *Chart. Alamann. n.* 59. *pag.* 45. vbi charta filii HRVTHARDI iussu scripta anno Pippini regis VIII. Christianae erae 759.

NEBI dux Sueuorum.

WARINVS Guelphus. — RVTHARDVS procurator Alam.

IMMA, filia Nebi.

Hambardus comes.

GVELPHVS.

HILDEGARDIS — CAROLVS M.

IVDITHA. — LVDOVICVS Pius Imp.

Sed pleraque horum, vti dixi, coniectura nituntur, quamuis satis probabili. Et operae sane pretium esset, in illa inquirere paullo adcuratius, si ad alia properantibus tantum nobis otii esset.

(i) Thegan. *cap.* 26. *pag.* 208.

(k) *Annal. Metens. ad a.* 819. *pag.* 299. vbi eam vocat *pulcbram nimis et sapientiae floribus optime instructam.*

(l) Paschas. Ratbert. in *Vita Walae. lib.* III. *cap.* 9.

(m) *Ad a.* 838.

(n) *De gest. Ludou. cap.* 36.

(o) *Ad Ioann. a Beka Episc. Vltrai. pag.* 25.

[p] *Apolog. pro filiis Ludouici.* §. 2.

nensium archiepiscopus, Ludouico quidem infensus, sed vir grauissimus, et quem haec ex vulgi circulis rapuisse, nemo crediderit (q). Saltim parum sancte vixisse Iuditham, et liberiore cum BERNARDO duce aliisque proceribus consuetudine suspicionem non leuem de se excitasse, vel inde patet, quod eam ne ipse quidem LVDOVICVS Pius, ipsi alioquin plane obnoxius, omni suspicione carere existimauit, nec eam, diuulgata illi fama, *prius coniugis honore dignatus est, quam se modo a legibus praescripto purgasset* (r). Sed vtcumque se haec habuerint: id sane extra omnem dubitationis aleam positum est, illam facem ac tubam turbarum illarum, quae paullo post insequutae sunt, omnium, nec minus augustae domui, quam olim Liuiam Augusti, exitio fuisse (s).

 §. II.

(q) Operae pretium fuerit, ipsa eius verba legere: *quum praedictus domnus et imperator quietus esset in domo, et florens in palatio suo, quum adhuc iuuenem coniugem sub sui reuerentia custodiret, et secundum Apostolum uxorium debitum illi persolueret. in processu vero aetatum, quum coepissent haec primum tepescere, deinde frigescere, ac per hoc et mulier resolute* IN LASCIVIAM, *cessantibus* LICITIS, *conuersa ad diuersa, immo ad* ILLICITA *adsciuit sibimet aptas personas ad* PERPETRANDA TVRPIA, *et primum latentes, deinde imprudentes. Cognouerunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad postremum autem multitudo palatii et regni, ac finium terrae. Quam rem irridebant minores, dolebant maiores, omnes autem clari viri intolerandum iudicabant*. Steph. Baluzius ad hunc Agobardi locum *pag.* 129. adducit fragmentum Odonis Ariberti, vbi is Carolum Caluum os Bernardi retulisse, ab eoque genitum esse, vulgo creditum refert, *natura adulterium maternum prodente*. Denique Paschas. Ratbertus in *Vita Walae, lib. II. cap.* 7. sceleratum quemdam Nasonem nominatim tangit, qui torum imperatoris occuparit: et *lib. II. cap.* 9. palatium vocat *prostibulum, vbi moecha dominata sit, et adulter regnarit*. Haeccine scripturos fuisse probabile est viros doctos, probos, et quos ipsa muneris dignitatisque ratio ab illa stili proteruia cohibere debebat, nisi furtiuos illos Iudithae amores satis compertos habuissent?

(r) *Vita Ludouici pag.* 305.

(s) Idem Agobardus *ibidem: quumque per nimiam filiorum remissionem bene acta dissoluerentur, per carnalium blandimenta, et cupidorum scelestos fauores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tamquam legitima domina, reuocata est in palatium, et praelata consiliis et consiliariis, cuius instigationibus mutata est mens rectoris, et coepit duris cornibus ventilare filios, et conturbare populos*. Si certum esset, iam tum cornua tribui solita esse impudicarum maritis, Agobardus videri posset Ludouici Pii patientiae intempestiuae simul illudere voluisse. At id certe dicit, Iuditham fuisse Ludouici τὰ πάντα, omniumque turbarum, quae postea rem publicam adflixerint, caussam. Quod et Paschas. Ratbertus adfirmat, dum in *Vita Walae, lib. II. cap.* 16. *Erat*, inquit, *cum augusta* IVSTINA (ita Iuditham vocat) *tunc temporis, quae mouebat totius monarchiae rursus sceptra, concitabat fluctus et maria, impellebat ventos et corda virorum ad omnia, quae vellet, conuertebat*. At prolixissime et distinctissime rem eloquutus est Agobardus in *Apologet.* §. 8. *Quae commotio et conturbatio quale habuerit initium, vel originem, non est penitus reticendum. Igitur, quum Christianissimus et piissimus imperator, domnus Hludouicus bonae coniugis fide et moribus sibi congruentis consortium amisisset: necesse fuit, vt aliam sibi acciperet, quae et posset esse adiutrix in regimine et gubernatione palatii et regni. Sed occulto Dei iudicio talis adsumta est, quae licet in primis annis viri et domini sui virtute et potestate pressa subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inuenta est, quae magnorum fluctuum commotio, et conturbationis largus thesaurus esse posset, quae non solum plebes et populos, siue principes,*

§. XII.

Praeter inauspicatas istas imperatoris cum Iuditha nuptias, ad res LVDOVICI nostri ex hoc anno 819. pertinet bellum Pannonicum, quippe quod eodem tempore exarsit, et demum aliquot annis post deflagrauit. Pannoniae inferiori adhuc praefuerat LIVDEVVITVS, gente Slauus, quem alii LVIDEVITVM, alii LINDEWITVM, alii LEVTEVITVM adpellitant (t). Is, tametsi genti suae dominaretur, ex eo tamen tempore, quo CAROLVS M. Panoniam in suam redegerat potestatem, Francorum regis maiestatem venerari, tributaque aerario inferre non desierat: tum vero nouis rebus coeperat studere, et dare operam, vt, si qua posset, Francorum iugum humeris depelleret. Hinc parare arma, copias contrahere, nihilque eorum, quae ad bellum pertinere videbantur, omittere, in omnem interea rei gerendae occasionem vnice intentus. Quum vero, qua erat calliditate, facile intelligeret, non posse diu hos motus latere imperatorem, ac proinde nihil magis, quam ne ab illo imparatus opprimeretur, metueret: dolo adgressus Ludouici aulam, missis legatis de CADALI, vel CVDALACHI, ducis Foroiuliensis impotenti dominatione ac intolerabili truculentia falso conqueritur, gentis suae indignitationem conceptumque in hunc hominem odium non dissimulat, simul tamen se cum suis in officio futurum pollicitus, si, quas ferret, pacis leges acciperentur. Quandoquidem autem hae ita comparatae videbantur, vt accipere eas LVDOVICVS salua existimatione non posset, isque missis legatis alias conditiones, si pacem habere velit, praescriberet: iam ea legatione id consequutus, vt et tempus rei gerendae faltim hoc anno Francis eximeretur, et iustam iniustissimo bello caussam sibi videretur obtendere posse, iam sine dissimulatione hostilem animum ostendere et omne imperatori obsequium denegare coepit (u). Circummissis itaque expertae fidei hominibus, omnes circumcirca gentes vicinas aduersus Francos sollicitauit, sibique foedere iunxit, quumque eodem anno Timotiani et Caduscani (x), relicta Bulgarorum societate ad Francos defecif-

cipes, verum etiam elegantissimos filios imperatoris, etiam coniugatos et gubernacula regnorum possidentes, adfligeret, conturbaret et conturbaret, et paene atteteret, et exterminaret. Quumque talibus incrementis viderent hi, quibus curae erat de statu et honore regni ac tranquillitate pacis, et quiete populi, dehonestari palatium, obscurari claritatem regni, et ad ignominiam deduci nomen regnantium: coeperunt queri, et murmurare, ac dolere, et deplorare. Inter haec concitati sunt spiritus virorum honoratorum, et filiorum regis, et crescente conludio, accedente etiam consilio, conuenerunt singuli de loco suo, et coniuncti ad palatium, effugauerunt ministros sceleris, et reginam, quae TOTIVS MALI CAVSSA *erat, excluserunt de domo et honore regni, et constituerunt in retrusionem exsilii.*

(t) *Vita Ludouici Pii pag.* 371.

[u] *Annal. Bertinian. ad a.* 819.

[x] At quinam TIMOTIANI et CADVSCANI. Ita vocat *auctor vitae Ludouici Pii pag.* 572. Annalistae Bertiniano illi TIMONITIANI; hi GVDVSCANI sunt. Priores procul dubio nomen habent a *Timaco*, Moesiae superioris fluuio, quem *Timachum* Plinius; *Tmoc* hodie vocant accolae. Is non procul Naisso ortus, cis Vidinum in

fecissent, legatisque missis, se suaque omnia dedissent imperatori (y), Timotianos multis illecebris sibi conciliauit, et a Francis reddidit alieniores (z). Certior ea de re redditus LVDOVICVS, imperator, tumultum illum, antequam vires caperet, repressurus penes *Cadolochum*, ducem Foroiuliensem, et Bornam, Dalmatiae praefectum belli summam esse voluit. At Cadolochus, re paene infecta reuersus (a), febre correptus in ipsa Marca, id est, Histriae et Illyrici finibus diem obiit supremum. Eius vero successor, BALDERICVS, ingressus Carantanorum fines, qui et ipsi ad eius curam pertinebant, in Liudeuiti exercitum incidit quem iuxta Drauum fluuium iter facientem, parua manu sua adgressus, facile profligauit, caesisque quam plurimis cum fuga in Pannoniam elabi coegit. BORNA, Dalmatiae praefectus, ipse quoque ducens aduersus Liudeuitum, iuxta Conlapium (id est, Colapim, vel hodie Culpam) fluuium castra metatus obuium habet hostilem exercitum, quocum congressus, prima statim velitatione a Caduscanis, quos belli socios exciuerat, turpiter deseritur, extremum aditurus periculum, nisi praetoriani eius rem expedissent. Periit tamen in eo praelio Dragumosus, Liudeuiti socer, qui paullo ante, a genero ad Bornam defecerat: Borna vero in prouinciam reuersus Caduscanos facile in ordinem coegit. Elatus hoc successu Liudeuitus, mense Decembri cum valido exercitu in Dalmatiam irrupit, omniaque quaquauersum ferro ac igne deuastauit, satis gnarus, imparem sibi fore Bornam, qui superiorem cladem nondum resarsisset. At hic suos suaque prudenter locis munitis et castellis continuit, ipse vero cum delecta manu hac illac diuagatus, et Liudeuitum modo a tergo, modo a la-

tere

in Danubium deuoluitur, vt adeo mirifice errent, qui eum a Drino, Dalmatiae flumine in Danubium deferri scribunt, veluti Cellarius *Geogr. ant. lib. II. cap. 8. pag. 571.* qui tamen *pag.* 581. ipse emendare hunc errorem videtur. Ei adiacuit *Timacum* urbs XXVII. M. P. a Naisso; quae in maiorem minoremque in *Tabula Peutingeriana* diuiditur. Immo ipse populus, fluuii istius accola, iam olim TIMACHI dicebantur, Cellar. *ibid. pag.* 570. vel, vti ex hodierno fluminis nomine colligitur *Timoci* vel *Tmoci*, ex quo facile nasci potuerunt *Timotiani*. Sabtem Bulgaris vicinos, et iisdem aliquando societate iunctos fuisse, ex *annalibus Bertin. ad a.* 819. manifestum est. De CADVSCANIS vel GVDVSCANIS quod dicam non habeo, nisi quod ex iisdem annalibus patet, illos Bornae, Dalmatiae praefecto, militasse. Notissimus vero est *Scardus* mons, qui Dalmatiam a Dardania Moesiisque seiungit, *Scordus* Liuio *lib.* XXXXIII. *cap.* 20. cuius accolae olim *Scordisco-rum* nomen tulit. An inde temporis tractu pro *Scordiscis Corduscani* vel *Gurduscani*, ac demum *Caduscani* et *Guduscani* dicti sint, alii viderint. Id certum, non alibi quaerendos esse *Caduscanos* vel *Guduscanos*, quam trans Scardum montem, in Dardania vel Moesia superiore, ex qua facillime iungi potuerunt Dalmatis. Ceterum a Bulgaris defecerant hi populi, more iam in vicinia recepto. Nam de eodem paene tempore Cedrenus *Hist. comp. pag.* 400. Βούλγαροί τινες ἐξ [illegible] ἀναστάντες τῶν πατρῴων τὴν Ῥωμαίων [illegible] [illegible], καὶ [illegible] Μιχαὴλ [illegible] [illegible] *Bulgarica quaedam gens, patriis relictis moribus, in ditionem Romanam immigrauerat, ac, concedente imperatore Rangabe, hinc inde sedes posuerat*: Quod tamen de gente quadam Thraciae viciniore intelligendum esse nemo negauerit.

(y) *Vita Ludouici Pii pag.* 372.

(z) Bertin, *ibid.*

(a) *Annal. Fuld. ad a.* 819.

cere adortus, tantam ei cladem intulit, vt amissis tribus hominum millibus, interceptisque trecentis equis, et sarcinis omnibus in Bornae manibus relictis, in Pannoniam refugere cogeretur. Ita res hoc anno aduersus Liudeuitum gestas adcuratius reliquis omnibus descripsit ANNALIVM BERTINIANORVM et *vitae Ludouici* auctor (*b*): quum reliqui veteres aeque ac recentiores, et in his ipse ANT. BONFINIVS (*c*) id bellum vix, reliqui; veluti IO. DE THWROCZ et SAMBVCVS, ne vix quidem attigerint.

§. XIII.

Etiam proximo anno 820. Normannorum praedatione et tempestatum insolentia, sterilitate, ipsaque hominum pecorumque pestilentia memorabili (*d*), bellum Hungaricum quam maxime sollicitum habuit imperatorem; qui ipso mense Ianuario, conuocatis Aquisgranum regni proceribus, quibus et BORNA interfuit, tres eo anno exercitus in Pannoniam mittere decreuit. Adpetente ergo vere, pabulumque iumentis sufficiente, contractae vbique sunt copiae; earumque pars vna ex Italia per Alpes Noricas, altera ex Boioariis et Alamannis contracta, per Carantanorum prouinciam, tertia, quae ex Saxonibus et Francis orientalibus coaluerat, per Boioariam et Pannoniam superiorem viam sibi in hosticum ferro aperuit. At primum quidem exercitum valida praesidia, quibus Liudeuitus omnes aditus firmauerat, tertium Draui fluuii difficilior transitus aliquamdiu moratur: secundus reliquos praeuertens, oppositas sibi tribus locis Liudeuiti copias feliciter profligauit, transmissoque Drauo celerius in Pannoniam penetrauit, atque ita perterruit Liudeuitum, vt munitiore, quod eum in finem extruxerat, castello se suosque contineret, non minus tamen in hac fortuna, quam antea, peruicax, quippe qui nec de bello, nec de pace, vllum verbum facere sustineret. Quapropter reliquis exercitus partibus superuenientibus, in totam prouinciam ferro flammisque saeuitum, eoque confecto negotio, domum reditum est, nullo notabili damno accepto, nisi quod ea pars, quae per Pannoniam superiorem fecit iter, transito Drauo flumine, aquae aerisque insalubritate soluti ventris incommoda sensit, multosque, eo castrensi morbo consumtos, amisit. At LVDOVICVS imperator etiam hunc expeditionis illius fructum tulit, vt Carniolenses circa Sauuum fluuium sese BALDERICO, Foroiuliensium duci, dederent, ea quoque pars Carentanorum, quae Liudeuito accesserat, ad obsequium vltro rediret. Ad Liudeuitus, nondum fractus his cladibus, et victus magis, quam perdomitus, tertium quoque fortunam periclitari statuit: eaque re effecit, vt imperator insequente etiam anno, 821. in comitiis mense Februario Aquisgrani habitis, iterum tres exercitus in procinctu esse iuberet, qui etiam

(b) *Annales Bertin. ad a.* 819. et *Vit. pag.* 187. *Ludou. pag.* 374.
(c) *Rer. Hungar. dec.* I. *lib.* VIIII. *a.* 810.
(d) *Annal. Bertin. Fuld. Metens. ad*

etiam adulto iam vere ingressi Pannoniam, totam quidem depopulantur prouinciam, at continente se intra munitiora castella Liudeuito, nec vsquam sui copiam faciente, nulla re magni momenti peracta domum in hiberna reuertuntur. BORNAE interea mortuo, nepos eius Ladaldeus successor datur. (e). Denique, (quae res magni momenti videtur, per Tiberium quemdam, presbyterum Gradensem, compertum est, FORTVNATVM, eius vrbis patriarcham, in Liudeuiti partes proniorem, hominem non modo ad bellum strenue persequendum trahendumque cohortari, sed et artifices ad munienda castella clam submittere. Ob quam caussam euocatus ab imperatore, iter indicit, seque ipse dat in viam, idque se agere simulauit, vt quam primum se Aquisgrani sisteret imperatori, seque insontem esse, coram ostenderet. Sed simulac in Histriam peruenit, clam omnibus, nisi paucis, quibuscum id consilium antea communicauerat, sese subduxit, ac parata naue Gradum, inde ad Ioannem, Iaderae in Dalmatia praefectum, (ea enim vrbs tum imperatori orientali paruit), inde porro, noua conscensa naui, Constantinopolin fugit (f). Ex quo profecto suspicari licet, non alienos a Liudeuiti consiliis fuisse Byzantinos, qui Francorum magnitudinem iam pridem limis oculis contuiti minime omnium aequo animo ferebant, vt, debellato Liudeuito, ad orientem proferrent imperii sui fines, adeoque nihil procul dubio faciebant reliqui, vt Liudeuitum saltim per amicos, qualis et Gradensis ille patriarcha fuisse videtur, rebus ad bellum gerendum necessariis, iuuarent (g).

§. XIIII.

Eodem anno 821. et alia quaedam referunt annales, quae a nobis hic non videntur praetermittenda. Inter ea nescio an primum locum mereantur ea, quae in comitiis Neomagensibus acta sunt. De iis Astronomus, *vitae Ludouici* auctor (h): *Kalendis Maii conuentum alte-*

(e) *Vita Ludouici Pii pag.* 376.

(f) *Annal. Bert. ad a.* 821.

[g] Iaderam, Dalmatiae ciuitatem, tum paruisse Graecis imperatoribus, testis locupletissimus est, qui in sequente saeculo scripsit, Constantinus imperator, qui libro *de administrando imperio ad Romanum filium*, a Io. Meursio *Lugduni Bat. a.* 1611. primum edito, *cap.* 29. *pag.* 95. a Basilii imp. temporibus, ipsoque auctore, omnes quidem vrbes Dalmaticas, imperatoribus Constantinopolitanis antea obnoxias, Slauis vel Croatis factas esse tributarias, at ita tamen, vt praetori ab imperatoribus illis misso darent βραχύ τι, ἵνα μόνον δείκνυται ἡ πρὸς τοὺς βασιλεῖς τῶν Ῥωμαίων καὶ πρὸς τὸν στρατηγὸν αὐτῶν ὑποταγὴ καὶ δούλωσις: *exiguum aliquid, ad ostendendam tantum Romanis imperatoribus et praetori eorum debitam subiectionem et seruitutem.* Id vero quum a Basilii demum temporibus, qui ab anno 856. imperare coepit, contigerit: consequens est, vt antea maritimae hae ciuitates ἀμέσως sub imperio Byzantino fuerint. Non mirum ergo, si imperatores Constantinopolitani ex vetere prouerbio noluerunt *Francos vicinos* habere, maxime quum de eo tempore Cedrenus *Hist. comp. pag.* 421. diserte scribat: ἀπεστάτησε δὲ ἐπ' αὐτῷ καὶ πᾶσα ἡ Δαλματία, *defecit sub eo*, [Michaele Balbo,] *tota Dalmatia*. Quod procul dubio de Borna, eiusque successoribus, Francorum partes sequutis, intelligendum.

[h] *Ad a.* 821. *pag.* 376.

alterum habuit imperator Nouiomagi, in quo regni partitionem, quam inter filios suos iam dudum fecerat, coram recitari fecit, et a cunctis proceribus, qui tunc adfuere, confirmari. Quod et *Annales Fuldenses, Metenses, et Laurishamenses* (i) repetunt, obſeruantes ſimul, Ludouicum Pium imperatorem tunc eo adegiſſe proceres, vt illam partitionem, quae ante quadriennium placuerit, iureiurando confirmarent. Quod profecto eo magis mirandum, quo minus ſpes numeroſioris prolis, vxore iuuencula domum ducta, euanuerat. Sed nondum nato Carolo Caluo, et Iuditha adhuc paullo modeſtius ſe gerente, dubium non eſt, quin Ludouicus imp. nondum nouercalibus blanditiis corruptus, diuiſionem illam ratam eſſe, ſerio voluerit. Quin eodem conſilio, auctumno huius anni 821. LOTHARIVM, iam XXIII. annorum iuuenem; vxórem ducere paſſus eſt: de quibus nuptiis auctor *vitae Ludouici* (k): *eodem anno, medio Octobri, conuentus publicus in Theodonis villa celebratur. Vbi denique dominus imperator primogenito filio ſuo,* LOTHARIO, ERMINGARDAM, *filiam Hugonis comitis, vxorem cum ſollemni iunxit adparatu.* Quae paene et *Bertiniani, Metenſes*, et reliqui annales ad hanc annum notant. THEGANVS (l) vero addit, HVGONEM, Lotharii ſocerum *fuiſſe de ſtirpe cuiuſdam ducis, nomine* EDITH, *qui adeo fuerit timidus ſuper omnes homines, (ſic enim ceciniſſe ei domeſticos eius,) vt aliquando pedem foris ſepem ponere non auderet* (m). Sed haec forte calumniam ſapiunt. Id vero multo certius eſt, non magis auſpicatas, quam patris, fuiſſe has filii Lotharii nuptias. HVGONEM enim illum ſocerum Lotharii, iam tum patri ſuccenſentis, animum magis magiſque incendiſſe, ac demum auctorem fuiſſe eorum motuum, quibus paullo poſt auguſta domus con-

[i] *Ad a.* 821.
[k] *Ad a.* 821. *pag.* 376.
[l] *De geſt. Lud. cap.* 28. *pag.* 308. *ſequ.*
(m) Vtrum de EDITHO, an de ipſo HVGONE haec dicantur, non ſatis expeditum eſt. Prius verborum nexus ſuadet: at alibi tamen, puta *cap.* 55. *p.* 320. ipſum Hugonem vocat TIMIDVM. Quod ſi verum eſt, merito mireris, tantum animi fuiſſe huic Hugoni, vt non modo ipſe a Ludouici Pii obſequio deſciſceret, ſed et Lothario, genero, ad idem audendum auctor eſſet, ceu veteres omnes adfirmant. Quod ſane non eſt timidi, ſed eius, cui aes triplex circa pectus eſt. Thegan. *cap.* 28. *et* 55. Nithard. *lib. I. pag.* 436. Ceterum HVGONEM *Prouinciae ducem* vocat Albericus *Chronic. ad a.* 855. eumque *Annales Fuldenſes* anno 837. Theganus anno 836. obiiſſe teſtantur, eiuſque coniugem BAVAM celebrat diploma vel teſtamentum Gerardi comitis apud Dacher. *Spicil. tom. III. pag.* 446. *ſequ.* Ex diplomate porro Lotharii apud Vignier. *Probat. geneal. pag.* 77. patet, Hugoni patrem fuiſſe Luitfridum, comitem, fratrem Lutardum, comitem. EDITH vero ille, cuius ex ſtirpe prodiit, procul dubio fuit ETHICO vel Adalricus, dux Alamanniae, Berſuindae Burgundae maritus, cuius poſteros ex genuinis erutos monimentis ita ſiſtit Eccard. *Orig. Habſb. lib. I. cap.* 3. et Calmet. in *Geneal. duc. Loth. pag.* 139. *ſequ.*

ETHI-

ETHICO vel Adelricus. dux Alamanniae, † 698. Vxor Berfuinda Burgunda † 698. nono post maritum die.

Ethico II. dux Alamanniae. — ADALBERTVS, dux Alamanniae, † ante a. 721. — N. occisus a patre. *Vita S. Odiliae.* — S. ODILIA, abbat. Hohenburg. † anno circiter 722. — S. Rosminda. — Hugo. — Bataco. Ruyr. *Antiqu. de Vosge, lib.* IIII. *cap.* 15. 16.

(Ethico II.:) Ethico, ep. Arg. *Vit. S. Odil.* — Albericus, com. Alsat. ap. Vign. *p.* 71.

(Adalbertus:) LVITFRIDVS, qui et Lantfridus, dux Alam. † 730. — Eberardus, comes † 747. Vx. Emeltrudis. — Eugenia, abbatissa Hohenburg. 722. — Attala, abbatissa S. Stephani Argentor. — Maso, fundator monast. Masmunster. Languille *Hist. d' Alsace tom.* II. *pag.* 15. — Gundlindis, sanctimonialis. — Bero, Bleon, Heicho. Mabill. *Annal. Ben. tom.* II. *pag.* 695. *sequ.*

(Luitfridus:) Thietbaldus seu Theobaldus, dux Alam. 727. 732. 742. — LVITFRIDVS, dux Alam. † 751.

(Bleon:) Hugo, Bleonis filius.

Bodalus.

Egerhandus ante patrem mortuus. Calmet *tom.* I. *pag.* 142.

(Luitfridus dux:) LVITFRIDVS comes.

Lutardus comes, Vx. Grimiltis. — HVGO COMES † 837. Vx. Bava. — Rotrudis, abb. S. Stephani Argent.

(Lutardus:) Gerardus comes, vxor Grimildis.

(Hugo:) Luitfridus, Lotharii intimus 849. — Adalardus comes. — Hugo, † puer. — ERMENGARDIS, Lotharii imp. uxor anno 821. † 851.

(Gerardus:) Theodericus comes, Eua. † iuuenis.

(Luitfridus:) Hugo comes 866. 869. — Luitfridus comes, Vxor Ermentrudis, soror Bertoldi et Erchangeri.

(Hugo comes:) Luitfridus, Vngaros caedit 925.

(Luitfridus, Vngaros caedit:) Luitfridus com. 968. 977.

(Luitfridus comes:) Hundfridus. — Luitfridus, capite plexus 916. — Hugo.

concuti coepit, idem his verbis testatur THEGANVS (n): *iam tunc Lothario imminebat infidelitas: quam per suggestionem supradicti soceri sui et aliorum iniquorum multorum ostendit in patre.* Adeo in id veluti conspirabant fata, vt contractis adfinitatibus adfligeretur Ludouici Pii familia, et ex patris filiique taedis nuptialibus superessent scintillae, quae aliquamdiu sopitae in magnum illud, ac paene fatale, rei publicae incendium eruperunt. Ceterum imperator, satis animaduertens, non bene conuenire solere socrui cum nuru, nouum maritum Wormatiae cum vxore morari iussit, ipse hiemem Aquisgrani, ex instituto suo exegit. (o). Ceterum in eodem conuentu (p) aliud clementiae pietatisque speciem edidit imperator. Quum enim eum iam pridem poenituisset seueritatis, qua in BERNARDVM, Italiae regem eiusque socios quarto abhinc anno animaduerterat, eoque nomine se plerisque exosum esse, intelligeret: clericos omnes, quos ob eam coniurationem in exsilium miserat, reuocauit, pristinisque dignitatibus restituit, inter quos *Vitae Ludouici auctor* (q) praecipue ADALHARDVM, abbatem Corbeiensem, eiusque fratrem BERNARIVM, id est, BERNARDVM, nominatim exprimit. Nec dubitandum, quin in eo numero et tertius frater VVALA, abbas Corbeiensis, quem aula expulsum, supra monuimus (r), fuerit. At ne hac quidem clementia rebus suis prudenter consuluit LVDOVICVS imperator. Hi enim exsules, immemores beneficii, postea Lothario aduersus patrem res nouas molienti fauerunt aperte, ipsamque et sanguinis necessitudinem, et adfinitatem vindictae studio posthabuerunt (s), quod pro eorum temporum

Ex qua tabula patet, ERMENGARDIM fuisse gente Sueuam, adeoque iam tres ordine imperatores, Carolum M. Ludouicum Pium, et Lotharium I. sibi ex ea gente vxores adsciuisse.

(n) *Ibid. pag.* 308. *sequ.*

(o) *Vita Ludouici Pii pag.* 377. *Annal. Bertin. et Met. ad a.* 821.

(p) Nescio, an non veteres Romanorum principes imitari hic voluerit LVDOVICVS Pius. Solebant enim et hi natalibus liberorum, vel si qua alia occasio laetitiam publicam intenderet, captiuos liberare, reuocare exules, reis gratiam suppliciorum facere. Eius rei exempla exstant apud Chrysost. *in Matth. III. homil.* 3. Iulianum *orat. I. vbi legendus* Ez. Spanhemius, *L.* 8. *L.* 9. *L.* 11. *D. ad SC. Turpill. L.* 1. *C. Th. de indulg. crim. L.* 2. *C. Th. eod.* Eum vero morem iam ante Ludouicum Pium suum fecerant Franci. De Chilperico enim Aimonius *Hist. Franc. lib. III cap.* 54. *in illis diebus Chilperico denuo natus est filius, nomine Chlotarius. Quapropter vniuersos carceres in regno suo Chilpericus aperiri iussit, et diuersorum reos criminum absolui.*

(q) *Ibid. pag.* 376. *sequ. Annal. Bertin. ad a.* 821.

(r) *Cap.* 4. §. 8. *e*)

(s) ABALHARDVS, BERNARDVS, WALA, filii erant BERNARDI, nepotes CAROLI MARTELLI, fratres Gundradae et Theodradae, qui quaeque omnes relictis rebus humanis monasticum vitae institutum elegerunt. Et ADALHARDVS quidem vtriusque Corbeiae, WALA alterutrius abbas, BERNARDVS ibidem monachus, GVNDRADA S. Radegundis apud Pictauienses sanctimonialis, THEODRADA vidua, abbatissa S. Mariae Suessionensis fuit. Ex his frater natu maximus d. 11. Febr. anno 825. alter mense Sept. anno 836. tertius et sorores, incertum quo anno, decesserunt. WALA, antequam cucullum sumeret, comes vxorem duxerat sororem BERNARDI, Septimaniae ducis, cuius caussa seditio, quae Ludouico Pio tot molestias attulit, orta est. Pasch. Ratbert. *Vit. Walae, lib. II. cap.* 8. Quum ergo istius BER-

porum barbarie in sacrorum illorum hominum laudibus ponere non dubitat insensissimus Ludouico imperatori PASCHASIVS RATBERTVS (t).

§. XV.

Progredimur ad annum 822. tum prodigioso caespite, L. pedes longo, XIIII. lato, in Thuringia sua sponte in aerem sublato, et vltra XXV. pedum spacium transuecto, nec non insigni terrae hiatu, iuxta Arenseam, veteris Marchiae oppidum, insignem. Hiatus istius, cuius vestigia et hodie exstant, mentionem faciunt plerique istius aeui scriptores, veluti *Annalium Fuldensium*, *Metensium*, et *Bertinianorum auctores* (u), quorum omnium narrationes eo redeunt, *in partibus orientalis Saxoniae, quae Soraborum finibus contigua sit, in quodam deserto loco, iuxta lacum, qui dicitur* ARNSEO (x), *in modum aggeris*

L 2

BERNARDI ducis infra frequens futura sit mentio, eius familiae notitiam hic in antecessum dare iuuabit, additis testimoniis, quae nos ex parte Io. Dauidi Koelero, eiusque *Differtationi de familia Augusta Carolingica* debere, grati fatemur: monentes tamen simul, quaedam in hoc stemmate non satis certa esse, veluti quod ALDANAM, THEODOINI vel THEODERICI vxorem, CAROLI Martelli filiam fuisse contendunt, quod eius neptem Berthem in Pippini, Italiae regis manum conuenisse aiunt. (Vid. Blondell. *plenior. adsert. geneal. Franc. pag.* 202.) Quare haec, tamquam dubiae fidei, omisimus.

THEODOINVS (aliis Theudericus,) VX. ALDANA.

S. GVILLELMVS comes, 804. dux Tholosanus Erm. Nigello *lib. I. v.* 137. fundator monasterii Gellonensis quod ingressus est 806 Vxores I. CVNIGVNDIS, II. GVITBVRGIS. Vid. *Acta Antiq. SS. Mart tom. VI. pag.* 820.	Theodoinus,	Adalelonus,	Albana,	Bertana. *Acta SS. ibid.*

CAROLVS Martellus

Bernardus.

BERNARDVS, a Ludouico Pio ex baptismo susceptus, eius aulae camerarius et dux Septimaniae, de quo infra plura.	Heribertus, Bernardi frater, oculis priuatus anno 830.	Wilcharius, 804. *Acta SS.*	Gotcelinus 804. *ibid.* capitis damnatus a Lothario 834. *Vita Ludouici pag.* 407.	Helimburch 804.	Gerbirch monialis, a Lothario in aquis suffocata 834. Thegan. *cap.* 42.	N. filia.	=	WALA comes, post abbas Corbeiensis. Paschas. Ratbert. *Vit. Walae lib. II. cap.* 8.

(t) In *Vita Walae, lib. II. cap.* 8.
(u) *Ad a.* 822.
(x) Locus ille olim desertus, iam satis cultus, oppidum praeter vicinos pagos et vicos, habet ARNSEAM, quae in veterem et nouam dispescitur. Ad eam hodie visitur grandis ille lacus, quem olim multo minorem fuisse, et per hunc ipsum hiatum tantum cepisse incrementum probabile est. Eum in *Atlante Brandenburgico pag.* 230. ita describit Paullus Iac. Gundlingius: *die Arendsee ist gewisslich ein Wunder der Natur. Sie ist bey zwanzig bis*

ris terram intumuisse, et limitem, vnius leugae longitudine porrectum sub vnius noctis spatio absque humani operis molimine ad instar vallis (y) subrepisse. Sed vt ad ipsas eius anni res veniamus, primum nobis occurrunt comitia, quae LVDOVICVS Pius Augusto mense in Attiniacensi palatio, in vltimis Rhemorum finibus trans Mosam sito (z), habuit. In iis enim non modo se cum fratribus, quos anno 817. attonderi iusserat, et reliquis, quos Bernardi casus vna veluti ruina inuoluerat, bona fide in gratiam rediisse verbis professus est, verum etiam publico actu de episcoporum sententia conceptum ex pristina illa seueritate dolorem, ostendit, sollemni illa confessione, et, vti tum vocabatur, poenitentia non sua tantum peccata, sed et, quidquid a patre suo simili occasione admissum fuisset, expiaturus (a). Soluto eo conuentu imperator Arduennam venandi caussa petiit, prius tamen LOTHARIVM filium vna cum Ermengarde in Italiam ad res illius constituendas ablegauit, adiunctis ei VVALA, adfine eius, tum monacho, at rerum ciuilium peritissimo prudentissimoque viro, et Gerungo, ostiariorum magistro, quorum ille consilio in publicis priuatisque rebus vteretur (b). PIPPINVM vero similiter a se dimissurus, prius illi vxorem dedit ENGELTRVDIM, Theotberti, comitis Matricensis

bis dreyssig Klaffter tief, vnd hat keinen sonderlichen Zufluss, vnd ganz keinen Abfluss. Der Vmfang ist wohl eine gute Meile Weges. Sie vermehret sich nicht bey starcken Regen oder Schnee, vnd vermindere sich nicht bey trocknem Welter. Sie fallt vnd steigt in etwas mit der Elbe, welche etliche Meilen davon ist. Das Wasser wird zuweilen grunlicht, vnd man kan daher nicht glauben, dass es von der Elbe komme. Sie frieret selten zu, ia nur, wenn der Belt zufrieret. Sie rauchet, wann sie zufrieret, vnd wird dabey ein grosses Brausen gehoret. Wann das Eiss sich bricht, geschichet es mit Krachen. Es ist ein tieffer Grund, vnd die Hechte haben, welches man kaum glauben solte, fast Mannes lange, vnd reissen die Netze meistentheils durch. Die Fische aber haben guten Geschmack. Illud ex eodem auctore addimus, phaenomenon illi, quod annales ad a. 823. referunt, fere simile vidisse accolas anno 1685. d. XXV. Nouembris; quod eiusdem verbis ex *p. 111.* describemus: *Anno 1685. den 25. Nouembr. verspurte man in der Stadt Arndsee ein kleines Erdbeben, worauf das Wasser in der See aufwerts gestiegen, vnd drey vnd zwanzig Garten vberschwemmet, bis das Erdreich in die See gefallen. Das Wasser in der See wurde, als bey einem Wasserwerck, in die Hohe getrieben, vnd endlich hat solches einen bereits hohl gemachten Hugel, vnd darauff gestandene Windmuhle zittern gemacht, so, dass die Leute kaum entspringen konnen. Es gieng endlich der Hugel mit der Muhle vnter, vnd entstunde darauff eine See. Dort ist die See nun zwantzig Klaffter tieff, vnd hat einen Platz in die Krumme von 1000. Schritten eingenommen.*

(y) Legendum: *valli*, vt et *Annales Fuldenses*.

(z) De eo loco, percelebri in regum secundae stirpis annalibus, saepe quaesitum. Sed eum iam pridem ostenderunt praestantissimi scriptores, situm trans Mosam, in vltimis Rhemorum finibus, vbi vicus, retento vetere vocabulo, et hodie *Attigny* vocatur. Plura de eo palatio Bignon. *ad leg. Salic. pag.* 178. *sequ.* Labb. *Miscell. tom. II. pag.* 498. Steph. Baluz. *Not. ad Lupum Ferrar. pag.* 523. Bergier. *de itiner. Rom. pag.* 49. Mabillon. *de re dipl. lib. IIII.*

(a) *Vita Ludouici pag.* 377. *Annal. Bertin.* Met. *Fuld. ad a.* 822.

(b) Iidem. Add. Thegan. *cap.* 29.

fis (c) filiam (d). De LVDOVICO nihil ad hunc annum veteres, fiue tum

[c] MATRICENSEM illum comitatum, quem pro pago circa oppidum *Graeuen Mackern* inter Theodonis villam et Treuerim acceperat Caiffletius, primus adcurate defcripfit Dau. Blondellus in *pleniore adfert. geneal. Francicae pag.* 130. vbi profligatis a *pag.* 101. Chiffletii coniecturis, *pag.* 140. eum ad feptentrionem comitatibus Vilcaffino et Tellaufenfi, ad orientem Pinciacenfi et Parifienfi; ad meridiem Stampenfi, Drocenfi, et Carnotenfi; denique ad occidentem Ebroicenfi obuerfum fuiffe, docet, eiufque fitum elegante charta chorographica repraefentat: vt nemo dubitaturus fit, Blondellum cauffam fuam peroraffe. Ei ampliffimo comitatui tum praee ra Theodebertus, Engeltrudis, Pippini coniugis, pater; quem ipfe Pippinus in diplomate a Boucheto *dans la veritable origine de la maison de France pag.* 276. et Blondello *ibid. pag.* 96. edito NEBVLVNGI comitis filium fuiffe prodit. Cuius Nebulungi comitis pater quum fuerit CHILDEBRANDVS, vt ex vetufto monimento apud Duchefnium *tom. I. pag.* 773. patet, in eodemque monimento; nec non apud Fredegarium *in Chron. ad p.* 109. *Caroli Martelli Childebrandus germanus* et *Pippini regis* Franc. *auunculus* vocetur: Engeltrudis iftius ftemma tale fuit.

PIPPINVS Heriftallius, maior domus † 714.

Drogo, comes Campaniae, obiit viuo patre 708.

Grimoaldus, maior domus † 714.

Carolus Martellus, maior domus.
— Pippinus rex Franc.
— Carolus M. imp.
— Ludouicus Pius imp.
— PIPPINVS, rex Aquitaniae. = ENGELTRVDIS, Pippino Aquit. regi nupta anno 822.

CHILDEBRANDVS comes vixit 735. Fredegar. *in Chron. cap.* 109.
— NEBILVNGVS, comes Matricenfis.
— THEODEBERTVS, comes Matricenfis.
— ENGELTRVDIS, Pippino Aquit. regi nupta anno 822. | Robertus, comes Matric. circa a. 828. Vx. Agana. *Vita S. Genulfi lib. II.*
— Robertus Fortis, dux et marchio Franciae † 887.
— Robertus, dux Franciae poftea rex. 922.

Eudo, rex Franc. 880. † 898. | Hugo magnus, dux Franc. † 950. | Emma, regina

HVGO CAPETVS, rex Franc. 987.

Ex quo fchemate patet, ENGELTRVDIM illam ex ea gente, quae poftea in Francia regnauit, et hodie, adplaudente Europa, feliciter regnat, produiffe, et marito fuo quinto gradu lineae obliquae inaequalis cognatione iunctam fuiffe.

(d) *Annal Bertin. ad a.* 822. *Vita Ludou. pag.* 378.

tum ille in Boioaria sua delituerit, siue in patris fuerit comitatu. Ex silua sane Arduenna imperator in Germaniam contendit, hibernisque Francofurti iuxta Moenum exactis orientalium Francorum proceres adesse iussit, eorumque consilio Auarum, Slauorum, Boemorum, Morauorum legatis respondit, cum Normannis pacta firmauit, aliaque, quae e re publica futura videbantur, disposuit. A quo conuentu absuisse LVDOVICVM nostrum, cui pars Germaniae haud modica parebat, vix credibile est. Ceterum iidem scriptores (e) obseruant, imperatorem eo tempore palatium nouis exstructis aedificiis exornasse, vt in eo hiemem eo commodius exigere posset. Quod ideo monere visum, quod hoc ipsum palatium LVDOVICVS noster, mortuo patre, frequentius, quam vllum aliud: inhabitauit, et ibi fere lares ac perpetuum domicilium constituit.

§. XVI.

Dum haec in vtraque Francia gerebantur, in Pannonia antiquum obtinebat LIVDEVITVS, tanta pertinacia detrectans LVDOVICI Pii imperium, vt extrema quaeuis subire quam ad pristinum obsequium redire malle videretur. Ei ergo et hoc anno oppositum legimus iustum exercitum, qui ex Italia in Pannoniam irrupit, et rebellem adeo perterruit, vt ne in sua quidem ciuitate, quantumuis munitissima, quam SCISSIAM (f) vocat *Annalium Bertinianorum auctor* (g), sibi satis tutus videretur. Itaque in fugam se dedit, et vt in Dalmatia interea delitesceret, Sorabicae cuiusdam ciuitatis principi, vt in ciuitatem admitteretur, persuasit. Soraborum enim nationem magnam tum Dalmatiae partem tenuisse, idem *Annalium Bertinianorum* conditor obseruat (h). Enimuero vix intra muros receptus, pessimam patrono gratiam retulit; quippe quem violato hospitii iure, nefarie obtruncauit, atque ita Dalmatica illa ciuitate, cuius nomen haud exprimunt annales, nefando scelere potitus est. Inde missis legatis, et se culpae reum fatetur, et in posterum in officio se futurum promittit, et se vltro ad imperatorem pollicetur venturum. Sed iam bonae spei deco- xerat homo nullius religionis ac fidei, neque ei quisquam amplius fidem

(e) *Vita Ludouici pag. 379. Annal. Bertin. ad a.* 822.

[f] Vrbs haec Pannoniæ superioris Plinio *lib. III. cap.* 25. SISCIA, Straboni *lib. VII. pag.* 217. Συσκία, Ptolemaeo, Velleio Paterculo, Prudentio, Zosimo, saepe memorata ad Colapis fluuii ostium, et in australi Saui, et insulae Segesticae ripa sita est. Vid. Cellar. *Geogr. ant. lib. II. cap. 8. pag.* 556.

[g] *Ad hunc a.* 822. *pag.* 179.

[h] SORABI isti reuera sunt CROATI, vel, vti tum eos Graeci vocabant, χρωβάτοι, Slauicae quidem originis, a Sorabis tamen diuersi. Eos enim circa haec tempora, pulsis Araris, vniuersam Dalmatiam praeter maritimas ciuitates occupasse, immo et has, tempore Basilii imperatoris, intercepto commeatu eo demum adegisse, vt Croatis fierent tributarii, et imperatorum Byzantinorum praefecto modicum vectigal, in agnitionem dominii soluisse, pluribus refert Constantinus *de administr. imperii, cap.* 29. *sequ. pag. 72. sequ.*

fidem habebat, qui ne amicis quidem vmquam fidem praestiterat. Exercitus tamen, quod hostis ne tunc quidem sui copiam faceret, exusta tota regione, actaque vbique praeda, inuictus magis, quam victor, domum reductus est (*i*).

§. XVII.

Proximus huic annus 823. non nisi pauca, quae ad LVDOVICI nostri res pertinere viderentur, attulit. LVDOVICVS pater, eo ineunte, adhuc Francofurti haerebat, et adpetente vere, mense Maio ibi comitiis non omnium imperii sui optimatium, sed Saxonum, Alamannorum, Boioariorum, Burgundionum praefuit, in quo potissimum varias Sclauicorum principum lites composuit, nouumque conuentum in futurum mensem Nouembrem indixit (*k*). Interim LOTHARIVS imp. quem in Italiam missum diximus, dum vbique conuentus iuris dicundi caussa habebat, a Paschali, papa, Romam inuitatus ipso sacro paschatos die *apud S. Petrum et regni coronam, et imperatoris atque augusti nomen, accepit*. Ita EGINARDVS (*l*) et *Annalium Bertinianorum auctor* (*m*), qui tamen quam regni coronam intelligat, me non satis intelligere fateor, quum et nondum Italiae rex esset LOTHARIVS, et papa eo tempore praeter augustam dignitatem aliud quid conferre posse nondum videretur: vt adeo rem accuratius ita expressisse videatur auctor *vitae Ludouici* (*n*): *interea* LOTHARIVS, *filius domini imperatoris, quum, sicut supra dictum est, a patre in Italiam missus esset, et secundum virorum, qui cum eo missi erant, consilium, oportunitates negotiorum ordinasset, et, quibusdam perfectis, quibusdam adhuc infectis de singulis respondere, et ad patrem de reditu cogitaret: rogatu Paschalis, papae Romani, imminente sancta Paschae sollemnitate Romam adiit, atque ab eodem papa clarissima ambitione susceptus, ipso sancto die apud beatum Petrum* DIADEMA IMPERIALE *cum nomine* AVGVSTI *suscepit*. Nec aliter rem referunt *annales Fuldenses* (*o*), et reliqui veteres, non profecto ignari, Ludouicum Pium id tantum egisse, vt augustam illam dignitatem, cum filio communicatam, ratam haberet pontifex (*p*), non vt regiam potestatem, quam iam patris

[i] *Annal. Bertin.* et *Metens. ad a.* 822. *Vita Ludouici pag.* 378. *sequ.*

[k] *Annal. Bertin. ad a.* 823.

[l] *Ad a.* 823. *pag.* 71. *edit. Ioann.*

[m] *Ibid. pag.* 180.

[n] *Ad hunc annum* 823. *pag.* 379.

[o] *Ad eumdem a. pag.* 28.

[p] Quum Carolum M. et Ludouicum Pium corona Caesarea incinxissent pontifices: non videbatur quisquam iure augusti nomen ferre, nisi a pontifice, adplaudente populo Romano, diademate esset donatus. Hinc ne Lothario quidem imperatoris nomen dare ausus est pater, nisi id a pontifice ratum habitum iri, sciret. Sic sane de diuisione olim a Carolo M. facta refert Eginardus, *Annal. ad a.* 806. imperatorem hoc testamentum per se Romam ad Leonem pontificem, misisse: non vt vnum filiorum, quem vellet, imperatorem papa crearet, ceu id factum interpretatur cardinalis Caesar Baron. *annal. eccles. ad a.* 806. sed, *vt ipse manu sua subscriberet*, eumque, cui imperium despoponderat, augustum agnosceret. Nullum vero luculentius esse huius adprobationis signum, quam coronationem, nemo negauerit.

tris populique suffragio iure optimo nactus erat, in eum conferret? Vtcumque se res habeat: hoc imperii insigni ornatus LOTHARIVS non diu haesit in Italia, sed Papiam regressus, rebus vtcumque compositis, mense Iunio in Germaniam reuertit (*q*). Nec potuisset vmquam magis in tempore aduenire. Eo ipso enim mense sibi a patre hunc honorem haberi vidit, vt in sacro CAROLI recens nati lauacro sponsoris partibus fungi iuberetur. Vterum adhuc tulerat IVDITHA, augusta, et exactis mensibus in palatio illo Francofurtano (*r*), ipsis Idibus Iuniis (*s*), enixa fuerat filium, quem postea Ludouicus Pius auito CAROLI nomine insigniuit, Lothario, vt tanto lubentius eius patrocinium susciperet, eius compatre, vt vocant, delecto (*t*). Dum vero faustis adclamationibus perstrepit palatium, tristia vndique prodigia ab hominibus credulis Francofurtum nunciantur, terram Aquisgrani tremuisse, puellam duodecennem Commerciaci in dioecesi Tullensi ab omni cibo per decem menses abstinuisse, viginti tres villas in pago Saxonico Firisaz e coelo tactas esse, dicentibus. Adiecit, vt solet, fama sonitus nocturno tempore inauditos, crebra atque inusitata fulgura, lapidum cum grandine casus, pestilentiam hominum pecorumque, immo et imaginem Grabadonensem, S. Deiparae, Iesum sinu gestantis, subito splendore per biduum fulgentem, ita tamen vt Magi, offerentes munera, eo fulgore non illustrarentur. Quae dici non potest, quanto pauore concusserint animum imperatoris (*u*), ominibus iusto plus tribuentis, ac proinde nihil facientis reliqui, vt prodigia illa sacrificiis, precibus, et largitionibus rite procurarentur, et identidem dicentis, *per haec omnia magnam humano generi futuram cladem certo portendi* (*x*). Quod profecto, leuissimo licet argumento, diuinus ille cecinit vt vates. Haec ipsa enim quarti filii natiuitas adeo Ludouici Pii rationes omnes conturbauit, totque litibus implicauit eius familiam,

[q] *Iidem ibid.*

[r] Hincmar. *epist.* 3. *ad Carol. Calu.* et alia *epist. ad eumdem* apud Mabillon. *Analect. tom. I. pag.* 60.

[t] Mense Iunio natum esse Carolum, etiam *Vitae Ludouici Pii* auctor *ad a.* 823. obseruat. At ne ipse dies natalis posteris ignotus esset, ipse Carolus Caluus effecit, insigni diplomate anno regni sui XXIII. id est, Christianae erae 862. scripto, quo monasterio S. Dionysii *villam in pago Parisiaco, cuius vocabulum Scindelicias* ea lege concedit, vt praeter alios dies, quo sibi singulare quid accidisset, quosque ibi longa serie enumerat, *Idus mensis Iunii, quando Deus se nasci in mundo voluerit*, festo ac solemni ritu, supplicationibus, precibusque celebrarent monachi. Quod quantiuis pretii diploma debemus Mabillonio *de re diplom. lib. VI. n. 97. pag.* 538.

(t) Id discimus ex *Vita Ludouici pag.* 418. vbi Ludouicus Pius Imp. Lotharium et Carolum filios monet, *vt vnanimes essent, et se alterutro tuerentur, et Lotharius quidem iunioris fratris curam gereret, cuius se* SPIRITVALEM *esse* PATREM *meminisse deberet, Carolus autem, tamquam* PATRI SPIRITVALI *et fratri seniori debitum honorem deferret*. Et apud Nithardum *lib. II. pag.* 447. ipse Carolus Caluus per legatos meminisse Lotharium petit *fraternae* FILIOLIQVE *conditionis*, et iterum *lib. III. pag.* 467. eumdem *rogat et obsecrat, meminerit, quod frater* FILIOLVSque *eius sit*. Filiolos autem tum vocabant, quos ex S. baptismi vndis susceperant. Car. du Fresne *Gloss. med. et infim. Lat. tom. II. pag.* 438.

(u) Eginard. et *Annal. Bertin. ad a.* 823. *Vita Ludouici pag.* 381.

(x) *Vita Ludouici Pii ibid.*

liam, et simul ipsam rem publicam ita concussit; vt postea veluti diuturno morbo oblanguesceret Francorum imperium, neque vmquam ex eo tempore recuperato pristino vigore reuirescere. Haec tamen tristiora laetioribus quodammodo distinxit fama, quae LIVDEVVITVM, quocum adhuc bellatum magis, quam debellatum fuerat, a Sorabis ad Liudemislum, Bornae auunculum, confugientem, huius dolo interemtum esse nunciabat (*y*). Eo enim caeso, homine hoste acerrimo callidissimoque liberatum, se videbat imperator, spemque pacandi orientales istas regni sui prouincias haud vanam eo magis concipere poterat, quo difficilius rebelles idoneo duce orbati, bellum solent sustinere.

§. XVIII.

Morte Liudeuuiti vulgata, quanta sit facta rerum conuersio, vel proximus hic annus 824. ostendit, quo OMORTAGI (z). Bulgarorum regis legati, pacis faciendae, finiumque vtriusque imperii regundorum caussa ad imperatorem missi, aduenerunt. Cuius rei nouitate commotus imperator, et fortasse sinistri quid veritus, legatos diu in Boioaria retineri iussos demum Aquisgrani admisit, auditosque dimisit, comite iis dato Machelmo, in Boioaria comite, qui veram legationis istius insolitae, nec vmquam antea in his oris visae, caussam cum cura exploraret (*a*). Interea et Italicae res eo loco erant, vt celeriore remedio indigere viderentur. Romae in Theodorum, Romanae ecclesiae primicerium, et Leonem nomenclatorem fuerat saeuitum oculis prius ac deinde capitibus priuatos. Quod quum Paschalis papae iussu, et non ob aliam caussam, quam ob insigne studium in imperatorem factum diceretur, ita grauiter tulit LVDOVICVS imp. vt iam superiore anno ADELVNGVM, S. Vedasti abbatem, et HVNFRIDVM, comitem Curiensem, in Italiam mitteret, quibus praesentibus pontifex quidem, se conscium eius supplicii non fuisse, interposito cum magna episcoporum ac diaconorum numero iureiurando adseuerauerat, at mortuos tamen maiestatis reos et iure caesos pronunciarat, missisque legatis Ioanne, Siluae Candidae episcopo, Sergio bibliothecario, Quirino subdiacono, et Leone, magistro militum, pudorem suum purgaue-

(y) *Annal. Bertin. ad h. a.*

(z) In describenda hac legatione minus adcuratus est annalista Bertinianus. Nam et nomen regis, quod Eginardus et Fuldensis exprimunt, omittit, et legatos illos pacis faciendae caussa aduenisse negat, quod et Fuldensis et Astronomus adfirmant. Sed fortassis pro speculatoribus hos legatos habuit historicus aeque, ac ipse Ludouicus imperator. De regibus principibusque Bulgarorum nemo eruditorum adcuratius egit Carolo du Fresne, domino du Cange, *de familiis Dalmat, Slauicis* et *Hist. Byzant. cap. 6. et 7. pag. 305. seqq.* OMORTACVS vero noster non alius est, quam qui a Graecis scriptoribus Μορτάγων vocatur, qui Michaeli Balbo imp. orientis vltro subueniens, celebrem de Thoma tyranno victoriam reportauit. Cedren. *Comp. hist. pag.* 415. Zonar. *Annal. tom. III. pag.* 111.

(a) Eginard. et *Annal. Fuld. ad a.* 824. *Vita Ludouici pag.* 383.

gauerat (*b*). Praeterea hoc ipso anno non modo SVPPO, dux Spoletanus, sed et, qui ipsi successores, dati fuerant, ADALHARDVS, comes palatii, et MORINGVS, Brixiae comes, ille quinto post mense, hic, antequam nouam dignitatem capesseret, properantibus fatis fuerant exstincti (*c*). Denique mortuo Paschali papae duo successores discordantibus suffragiis fuerant dati, e quibus tamen, praeualente nobilium auctoritate, EVGENIVS, tituli S. Sabinae archipresbyter cardinalis, aemulum vicerat. Ex his omnibus ne quid res publica detrimenti caperet, LOTHARIVS imp. demum in Italiam missus est (*d*), qui mense Augusto eo profectus, recta Romam petiit, exceptusque honorifice ab EVGENIO papa, non modo de Theodori et Leonis laniena quaestionem habuit, sed et re diligentius inuestigata, *reperit*, *quorumdam pontificum vel ignorantia*, *vel desidia*, *iudicumque coeca atque inexplebili cupiditate multorum praedia iniuste esse confiscata*. LOTHARIVS ergo, re comperta, suum cuique reddi iussit, constituitque in futurum, vt more maiorum *ex latere imperatoris mitterentur*, *qui iudiciariam exercentes potestatem*, *iustitiam omni populo facerent*, *et tempore*, *quo visum fuerit imperatori*, *aequa lance penderent*. Quo ipso quum non modo oppressis consuleret, sed et iura augustorum in vrbe mascule tueretur LOTHARIVS, tantam voluptatem et populo Romano, et patri, attulit, vt vtrisque peraeque placeret (*e*). Interea LVDOVICVS Pius non segnius res egit. Nunciata enim Britonum Armoricorum rebellione, expeditionem, ob famem commeatusque angustiam adhuc dilatam, ineunte auctumno suscepit, comitibus LVDOVICO nostro ac PIPPINO, quo bello quantum virtutis bellicae specimen ediderit LVDOVICVS, rex Boioariorum, iam alibi dicere occupauimus (*f*). Victor imperator ante diem XV. Kal. Decembris Rothomagum, vbi IVDITHAM augustam reliquerat, rediit, et MICHAELIS, imp. Byzantini, legatos, de iconomachia controuersia quaedam ad Ludouicum referentes (*g*), audiuit, eosque ad Pontificem Romanum remisit

(b) *Annal. Bertin. ad a.* 823. *Vita Ludouici pag.* 381.

(c) Eginard. *ad a.* 824.

(d) *Annal. Bertin.* et Eginard. *ad h. annum.*

(e) *Vita Ludouici pag.* 382.

(f) *Lib. I. cap.* 3. §. 7.

(g) Quum haec non satis plene referant eorum temporum annales, quaedam, quae vel maxime ad rem faciunt, hic supplenda sunt, et quidem ex ipsa MICHAELIS imp. *epistola ad Ludouicum imp.* eo anno scripta, quam seruauit Baron. *ad a.* 824. *n.* 17. *sequ.* In ea imperator Ludouico narrat puidas iconolatrarum superstitiones, eo iam progressas, *vt ab imaginibus crucis loco vbique statutis auxilium petant, eas susceptrices infantum faciant*, *colores de iis abrasos sacris oblationibus immisceant*, *supra eas*, *vel de earum manibus communicent*, cetera. Hanc ergo caussam fuisse ait Leoni Isauro, *imagines de humilioribus locis efferendi*, *relictis*, *quae in sublimioribus locis positae essent*, *et adoratione*, *lucernarum accensione*, *incenso tantum* prohibitis. Sibi porro eamdem fatetur sedere sententiam, *abiiciendos nimirum esse de Christi ecclesia eos*, *qui huius modi malignis inuentionibus studerent*. Edita hinc porro fidei confessione; Ludouici Pii consensum petit *aduersus seductores pseudo-Christianos*, seque ideo ad ipsum antiquae Romae papam legatos et munera mittere fatetur, vt concordia, si qua fieri posset, eius opera stabiliatur. Ludouicum vero, *qui supremanus* iura

sit (*h*). Tanti vero ea res visa est Ludouico imperatori, vt re antea cum

Euge-

iura sibi adhuc seruarit in ipsa Roma, et vbique in ditionibus, donatis Romano pontifici, in id pro virili annisurum, sperat, *vt Roma eiciantur omnes calumniatores Graeci*, et schismatici iconolatrae, quippe *omnem operam adhibentes impediendae concordiae in vnitate fidei inter orientem et occidentem*. Fuit ergo hic imperator in eorum sententiam pronior, qui non quidem omnem damnabant vsum imaginum, sed tamen ab earum cultu quam maxime abhorrebant, multis ideo calumniis proscissus a Maimburgio *dans l' histoire des Iconoclastes, part. II. pag.* 140. *sequ.* Natali Alexandro *Hist. eccl. saec. VIII. diss. VI.* et aliis iconolatrarum promachis, sed erudite defensus a Fridr. Spanhemio in *Hist. imag. restit. sect. VIII.* §. 11. *pag.* 575. *sequ.* Et sane eamdem sententiam tum in Germania tuebantur Walafridus Strabus, Augiensis, in libro de *rebus eccles. cap.* 8. Haymo Halberstadiensis et Rabanus Maurus, abbas Fuldensis, et Moguntinus postea archiepiscopus, aliique ecclesiae doctores, et tam acriter quidem, ut Nicetas Choniatas *lib. II. pag.* 251. scribere non dubitet, Ἀρμενίοις γὰρ καὶ Ἀλαμανοῖς ἐπίσης ἁγίων εἰκόνων προσκύνησις ἀπηγόρευται, *apud Armenios aeque, ac Alamannos, sacrarum imaginum adoratio peraeque interdicta est*. Gallos etiam sero admodum amplexos esse iconolatrarum sententiam, adeoque tum sub Ludouico eiusque posteris adhuc Caroli M. synodique Francofurtanae decretis constanter suffragatos esse, ipsi fatentur scriptores Galli cordatiores, Iac. Sirmond. *Admonit. tom. VII. Conc.* 1055. et *ad conc. Paris. col.* 1648. Baluz. *Not. ad Agobard. pag.* 88. Maimburg. *part. II. pag.* 52. et magnum doctorum Gallorum Graecorum sententiam damnantium indicem texit laudatus Spanhemius *sect. VIII. pag.* 614. *sequ.* Quo minus profecto videtur dubitandum, quin et Ludouicus Pius veterem illam, et a patre suo tam luculenter explicatam de imaginibus doctrinam constanter retinuerit, gratissimamque legationem illam Michaelis imperatoris habuerit. Et sane id luculenter probant acta synodi Parisiensis hoc ipso anno habitae, in qua episcopi primum perlecta Hadriani papae epistola, olim ad Irenen augustam scripta, probant quidem, quae ille iconoclastarum furori opposuerit, at eum non satis cauisse aiunt, ne imagines adorentur: deinde synodum Nicaenam eadem seueritate sub censuram vocant, eamque cultum illum et conceptam de imaginum sanctitate opinionem decretis firmasse indignantur, mirifice contra probant, quae Carolus M. illi concilio opposuerit, iisque ab Hadriano papa non satisfactum, caussamque illam pontificum rigore ad extrema deductam esse, deplorant. Denique ex patrum scriptis plura, quae ad rem pertinere videntur, colligunt, eaque digerunt *in XV. capita*, quorum *primum* eos, qui imagines e templis eliminandas, et in vasis faceis delendas censent, reprehendit; *altero* GREGORII M. sententia de vero imaginum vsu sistitur; *tertio* et *quarto* AVGVSTINI aliorumque testimonia contra cultum iactatamque sanctitatem imaginum colliguntur; *quinto* similibus collectis testimoniis ostenditur, sanctos, eorumque reliquias honore prosequi, at non adorare licere, ac proinde hanc adorationem multo minus conuenire imaginibus; *sexto* nonnulla conuasantur aduersus eos, qui hunc cultum vsu atque antiquitate defendunt, et *septimo* contra docent cauendum esse hunc cultum, ne offendiculo sit infirmis; *octauo* et *nono*, adductis patrum interpretationibus, loca *Genes. XXXXVII.* 31. et 1. *Reg. I.* 21. pro imaginibus frustra adduci, demonstratur: *decimo* locum AVGVSTINI de vasis sacris; *undecimo* alium de cherubinis; *duodecimo* quaedam de cultu soli Deo debito, *decimo tertio* et sequente alia de discrimine inter crucem et reliquas imagines statuendo; denique *quinto decimo* nonnullas admonitiones contra iconoclastas. Quae acta quum satis nota sint, breuem tantum eorum recensum, exemplo Dupinii *Biblioth. eccles. tom. VII. cap.* 1. *pag.* 2. dare voluimus, mirati, Barthol. Caranzam, *in Summa Concil. pag.* 334. eam collationem, vti ipse vocat, male a quibusdam synodum Parisiensem inscribi existimare; quum procul dubio synodus sit conuentus episcoporum ad ventilandas quaestiones dubias legitime indictus, ita vero ipse Ludouicus Pius hunc congressum vocet in *Commonitorio* apud Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 643.

(h) *Annal. Bertin. ad a.* 824.

Eugenio pontifice communicata, episcopos suos Lutetiam Parisiorum euocatos, de tota illa controuersia consulendos existimaret, qui collecta plurima patrum testimonia ad quaestionem illam pertinentia, per HALITGARIVM, Cameracensium episcopum, et AMALARIVM, archiepiscopum Treuerensem, ad imperatorem miserunt. Haec ille, vt ipse in commonitorio apud STEPH. BALVZIVM (*i*) fatetur, mirifice probauit, *et ad id, propter quod collecta sint, necessaria atque vtilia iudicauit*, ac proinde Hieremiae, archiepiscopo Senonensi, et Ionae, episcopo Aurelianensi, id dedit negotii, vt eam collectionem, priusquam ad pontificem transmitteretur, diligentissime recenserent, deinde, vt illam Romam deferrent, et quae sit episcoporum Francicorum, de imaginibus sententia, modeste ostenderent. *Illud tamen*, inquit, *summopere praeuidete, vt ea illi de his ostendatis, quae rationi de imaginibus habendae per omnia conueniant, et quod ipse vel sui reiicere minime valeant. Sed et vos ipsi tam patienter ac modeste cum eo de hac caussa disputationem habeatis, vt summopere caueatis, ne nimis ei resistendo eum in aliquam irreuocabilem* PERTINACIAM *incidere compellatis, sed paullatim, verbis eius quasi obsequendo magis, quam aperte resistendo, ad mensuram, quae in habendis imaginibus retinenda est, eum deducere valeatis, et ideo potius efficere contendatis, vt negotium, de quo agitur, ad meliorem, quam ad peiorem, statum cum Dei adiutorio perducatur. Postquam vero hanc rationem de earumdem imaginum caussa consumaueritis, si tamen hoc ad nihilum* ROMANA PERTINACIA (*k*) *permiserit, vt ratio inter vos habita aliquo bono et conueniente fine claudatur.* Ex quibus verbis patet, Ludouicum optasse, vt veritati de prohibendo imaginum cultu locum daret EVGENIVS pontifex, eamque quaestionem ita decideret, vt inde aliqua vtilitas ad Graecam Romanamque ecclesiam redundaret, (quippe quod votum et altera imperatoris ad EVGENIVM papam II. epistola (*l*) prodit, sed tamen exiguam spem felicioris successus illi fecisse compertam toties ROMANAM PERTINACIAM. Ne tamen quidquam ex sua parte praetermisisse videretur, legatos suos vna cum pontificiis, si qui Constantinopolin ituri sint, eo profecturos, pollicetur, monetque HIEREMIAM et IONAM, episcopos, vt pontificis consilium diligenter explorent, seque de tota re quamprimum faciant certiorem. Quid tum consilii ceperit pontifex, nos hodie ignoramus: certo tamen persuasi, non permisisse Eugenio *Romanam pertinaciam*, vt MICHAELIS Balbi et LVDOVICI Pii imperatorum precibus quidquam daret: nec LVDOVICI Pii, legati anno 828. ad Graecos missi, HALITGARIVS, episcopus Cameracensis, et AVFRIDVS, Nonantulanus abbas (*m*), multum vi-

den-

(*i*) *Capitular. tom. I. pag. 643.*

(*k*) Verba illa, quibus *de Romana pertinacia* conqueritur LVDOVICVS *Pius*, tam sunt notatu digna, vt ea ferre non potuerit Baronius, qui *pertinaciam* hic ab imperatore in sensu bono pro *constantia* accipi existimauit, eamque vocabuli notionem testimonio Eulogii probare voluit, vapulans ideo Goldasto. Sed nec solidam esse Baronii obseruationem, nec Eulogii locum huc facere, candide agnouit Baluz. *Capitul. Tom. II. pag. 1130. sequ.*

(*l*) Baluz. *ibid. pag. 645.*

(*m*) *Chron. Bertin. ad a. 828. pag. 185.*

dentur profecisse. Saltim res, imperante MICHAELE Balbo, qui ab omni truculentia abstinuit, eodem loco mansit, eo vero mortuo, et Theophilo filio seuerius prohibente cultum imaginum, ingens ortus est tumultus, mortuoque imperatore, Theodora eius vidua, inuaso imperio, conuocatoque anno 842. concilio Constantinopolitano, illam imaginum adorationem publicis sanctionibus stabiliuit, totique illi controuersiae finem satis infaustum imposuit. Vt vero ad Michaelis legationem redeamus, eorum temporum annales (n) obseruant, in legatorum comitatu fuisse etiam FORTVNATVM, patriarcham Gradensem, quem supra Liudeuito tulisse suppetias, et Constantinopolin confugisse, diximus. De quo quum nihil verborum facerent legati, ipse augustus illum de illa fuga percunctatus est, et male se purgantem ad pontificem maximum, ius ea de re dictuum, misit (o).

§. XVIIII.

Ineuntem annum 825. imperator satis quietum habuit. Hinc ex Gallia reuersus, dies, quibus Christi reuiuiscentis memoria recolitur, Aquisgrani celebrauit, atque inde excursione venationis caussa ad Neomagenses facta ad comitia in mensem Maium indicta, Aquisgranum rediit. Ibi legatos Bulgaros audiuit (p), et VVihomarcum, Britanniae Armoricae regulum, obsequium, fallaci promissione offerentem in gratiam recepit. Aquisgrano, solutis comitiis, Vogesi iuga venationis caussa lustrauit, eaque exercitatione occupatus obuium habuit redeuntem ex Italia LOTHARIVM, quocum, peracto eo negotio, mense Augusto Aquisgranum ad nouum procerum conuentum profectus pacem potissimum cum Normannis faciendam curae habuit, quorum auditis legatis, misit, qui in mense Octobri ipsis Germaniae Daniaeque limitibus pacis negotium conficerent. Quo facto vna cum LOTHARIO Neomagum secessit, LVDOVICVM nostrum, post

(n) *Bertin. ad a.* 824. *pag.* 181. *sequ.*

(o) Quem finem hnc iudicium habuerit, ignoramus. Vghellus tamen in *Italia S. Tom. V. pag.* 1183. *edit. vet.* ex Dandolo et Sigonio obseruat, eum, antequam in Italiam proficisceretur, in Francia obiisse, multis ornamentis ecclesiasticis, quae adquisiuerat cum aliis, tum patriarchali ecclesiae relictis. Sed si verum est, illum XXVII. annis praefuisse ecclesiae: ad annum 830. eum vixisse oportet, quo anno etiam Venerium illi successisse idem scribit Vghellus *ibid. pag.* 1184.

(p) Vix hi legati domum fuerant reuersi, quum illi denuo cum principis sui litteris adessent, conquerentibus, Bulgaros ea, quae petierint, non impetrasse, eamque adferentibus conditionem, vt aut fines quam primum regantur, aut Franci armis ad fines suos, quacumque ratione tuendos expedirent. Motus his commotus imperator legatos ideo diutius detinuit, quod increbuisset fama, regem talia scribentem regno carere. Misit ergo in Bulgariam Bartericum, qui rem exploraret, eoque certiora referente, legatos re infecta domum redire iussit. Ita Astronomus *Vitae Ludouici auctor ad h. a. pag.* 384 At rem paullo aliter narrat *annalista Bertinianus ad a.* 826. Praeterquam enim, quod haec ad annum insequentem reiicit, famam fuisse ait, regem a quodam optimate suo esse occisum: BARTERICVM ergo, palatii comitem, non quidem in Bulgariam, sed ad BALDRI-

post expeditionem Britannicam in palatio commoratum, in Boioariam misit (*q*).

§. XX.

Fuit hic procul dubio annus, quo LVDOVICVS noster, qui iam ad plenam pubertatem peruenerat, constantius in Boioaria domicilium habere, ipseque ad regni sui clauum sedere coepit. Quum vero ea aetas adhuc satis modica esset, ad regnum, tot expositum vicinorum insidiis prudenter gubernandum: facile est ad existimandum, LVDOVICO adiunctum esse virum aliquem expertae virtutis ac prudentiae, euius ille consiliis in rebus publicis ac priuatis vteretur. Idem enim institutum Ludouicum Pium seruasse, quum Lotharium nostro haud paullo maiorem in Italiam mitteret, iam supra vidimus. Et is ex mea quidem sententia non alius fuerit, quam GEROLDVS, cuius primis illis regni Boici annis, saepius in actis monimentisque publicis fit mentio, quam vllius alterius, et ita quidem, vt rebus a LVDOVICO gestis, tamquam auctor accederet. Exstat sane apud RETTENPACHERVM (*r*) diploma, anno 828. monasterio Cremimnensi, a LVDOVICO Pio et LOTHARIO imperatoribus augustis, datum, in quo laudatissimus pater praedia quaedam donat *ad deprecationem dilecti filii sui* LVDVVICI, *regis Wogoariorum*, *et* GEROLDI *comitis* (*s*). Immo multo post, anno 836. in vetere quadam charta traditionis monasterii S. Galli apud HOLDASTVM (*t*) legimus: *notaui diem Veneris VIIII. Kal. Decembr. an. XXIIII.* HLVDOWICI *imperatoris et* HLVDOVVICI *iunioris*, *regis Alamannorum V. sub* GEROLDO *comite*. Vbi sane verba: *sub* GEROLDO *comite*, aliud quid, quam ordinariam in loco illo iuris dictionem innuere videntur, quemadmodum alia charta, quae ibidem habetur, *data* dicitur *die lunae XVI. Kal. Decembris anno XXXV.* HLVDOWICI, *piissimi regis*, *sub* KAROLO *principe* (*u*). Quemadmodum ergo, *sub Karolo principe*, hic idem est, ac Carolo Crasso vna cum patre in Alamannia regnante: ita verba illa, *sub Geroldo comite*, nihil aliud significare dixeris, quam imperium LVDOVICI, Boioariorum regis, de GEROLDI consilio administrandum. Et sane nemini tantam rem rectius credere potuisset imperator, quam huic GEROLDO, viro fortissimo, limitisque Boioariae aduersus Auares vel Hungaros custodi, vti saepius in eorum temporum annalibus vocatur (*x*). Praeterea probabile est, hunc ipsum GEROLDVM filium GEROLDI, qui anno 799. in Pannonia occubuerat, adeoque Ludouici Pii consobrinum, fuisse (*y*). Praeterea habere mihi videor rationes, cur

DRICVM et GEROLDVM, comites, et Auarici limitis custodes, in Carentanorum prouinciam missum nihil certi retulisse, ac proinde imperatorem legatum ad se missum sine litteris remisisse.

(q) *Annal. Bert.* et *reliqui ad h. annum.*

(r) *Hist. Noric. lib. I. cap. 9. p. 30.*

(s) Infra *num.* 39.

(t) *Rer. Alam. tom. II. n. 74. p.* 47.

(u) Ibid. *chart.* 74. *pag.* 51.

(x) *Annal. Bertin. ad a.* 826. *Vita Ludouici Pii pag.* 383.

(y) Demonstratum est supra, *cap.* 2. §. 4.

cur LVDOVICVM hoc ipso, vel insequente, anno vxorem duxisse EMMAM, existimem. Quamuis enim nemo sit veterum, qui id diserte in annales retulerit: vix tamen tardius id contigisse potuisse, pluribus argumentis persuadeor. Primo enim NITHARDVS (z) iungit imperii diuisionem et nuptias filiorum LVDOVICI Pii: quod quum de ipsa partitione, anno 817. facta, et quadriennio post firmata, verum non sit, procul dubio de tempore, quo quisque in regnum suum missus est, intelligi oportet (a). Quumque LOTHARIVS, quando in Italiam; PIPPINVS, quando in Aquitaniam ablegandus erat, vxore iungerentur: idem institutum et hoc anno, quo LVDOVICVS in Bauariam ire meditabatur, ab imperatore seruatum esse, verosimile est. Deinde idem ex filiorum LVDOVICI nostri aetate quodammodo colligitur. Quamuis enim et horum natales veteres scriptores non diligentius, quam patris, in fastos suos retulerint: ab eodem tamen NITHARDO (b), relatum legimus, CAROLOMANNVM, natu maiorem filium, anno 842. ingentem exercitum Boioariorum, et Alamannorum patri LVDOVI-

§. 4. GEROLDVM, vel, vti in monimentis Alamannicis vocatur, KERHOLTVM, signiferum Caroli M. et comitem Boiaricum, HILDEGARDIS reginae fratrem fuisse. Quum ergo et nomen GEROLDI nostri eam originem prodat, et tum temporis ducatus et comitatus bene meritorum virorum filiis non temere adimi solerent: verosimile admodum est, Geroldum hunc, qui eamdem cum priore dignitatem, idemque nomen gessit, huius filium esse. En schema, ex quo cognationis tota ratio patebit.

HILDEGARDIS, vxor Caroli M.	GEROLDVS, comes, qui anno 899. occubuit.
LVDOVICVS, Pius:	GEROLDVS, comes, et limitis Auarici custos.
LVDOVICVS Germanicus, rex Boioar.	

(z) *De dissens. fil. Ludouici Pii lib. I. pag.* 435.

(a) Verba Nithardi sunt: *quo pacto* (l. facto) *filios suos iusto matrimonio iunxit et vniuersum imperium inter eos ita diuisit*, cetera. Postea refert, *interea*, dum filii vxores duxerint, et diuisio illa effectum sortita sit, ERMENGARDIM reginam decessisse, LVDOVICVM Pium cum IVDITHA tabulas signasse, CAROLVM natum esse, adeoque haec omnia facta esse oportuit inter annum 817. quo prima facta est regnorum diuisio, et 823. quo natus est CAROLVS, postea *Calui* nomine notus. Iam certum est, Lotharium vxorem duxisse anno 821. non quum primum fieret diuisio, sed quum eum in Italiam mittere pater statuisset: PIPPINO quoque iunctam esse ENGELTRVDIM anno 822. quando in Aquitania perpetuum statuere domicilium decreuerat. LVDOVICVM ergo maritum factum esse probabile est eodem tempore, quo in Boioariam, regnum suum, erat dimittendus, id est, circa hunc annum 825. quo iam plenam adeptus pubertatem, decore sustinere poterat mariti personam.

(b) *Lib. III. pag.* 475.

DOVICO, et CAROLO Caluo, patruo, cis Moguntiam adduxisse (c), et deinde omnibus perruptis obstaculis, res vna cum patre praeclare gessisse. Quam ancipitis periculi expeditionem puero demandare voluisse patrem prudentissimum, eo minus credibile est, quo magis in nouo illo exercitus Germanici robore omnis spes victoriae, ipsiusque imperii, sita esse videbatur. Si vero fingamus, eum tum decimum sextum saltim annum egisse: oportet eum esse natum anno 826. Emma mater non tardius, quam anno 825. LVDOVICO Germanico in manum conuenerit. Vt tertium argumentum addamus, Io. MABILLONIVS (*d*), vindex veterum monimentorum felicissimus, in bibliotheca monasterii S. Galli reperit veterem codicem, cui de HILDEGARDA, LVDOVICI nostri filia, haec adiecta sunt: *X. Kal. Ianuarii* HILDEGARDA. *virgo Christi, et domni Hludouici regis filia, de hoc saeculo migrauit ad Christum, et humata est in ecclesia sanctae Regulae et Felicis, martyrum Christi in castello Turego*, (id est, vrbe Tigurina.)

Hoc iacet in tumulo Christi dignissima virgo,
HILDEGARDA, *nitens moribus egregiis.*
Haec fuit eximii HLVDOVICI *filia regis,*
Mortem sponte suam vouerat illa Deo.
Bis denos octo vitae compleuerat annos,
Migrans ad sponsum virgo beata suum.

Ex hoc ergo monimento illam Ludouici Germanici filiam morientem viginti octo annorum fuisse, intelligimus. Quum ergo eam anno

(c) Et hanc quidem expeditionem periculosissimam fuisse, certum est. Patri LVDOVICO et CAROLO patruo tum trans Rhenum in Alsatia agentibus, imminebat LOTHARIVS, iisque omnem in nouo hoc exercitu spem fuisse, ex eo patet, quod vterque rex, teste Nithardo *lib. III. pag.* 474. eius aduentum inter Wormatiam et Moguntiam operiri statuit. Deinde hic exercitus ducendus erat per mediam Alamanniam et Franciam, quarum illam tum totam a Lotharii partibus stetisse, et ipsum Ludouicum antea aditu prohibere ausam esse, refert Ratpertus *de casibus monast. S. Galli, cap. 7. pag. 6.* Denique Rheni littora, teste Nithardo, valido praesidio muniuerant OTGARIVS, archiepiscopus Moguntinus, HATTO comes, HERIOLDVS, et alii. Et tamen haec obstacula prudenter elusit CAROLOMANNVS. Nam idem auctor *pag.* 475. memoriae prodidit, LVDOVICVM die XVI. Kal. Apriles modo Rheno subuectum, modo terra iter facientem per BINGAM; CAROLVM per *VVasagum*, id est, tractum Vosagi, (quem pagum Wasagum accurate descripsit *Chronici Gotuuicensis Auctor, prodom. lib. IIII. pag.* 835.); Carolomannum per pagum EINRICHI, qui ad fluuium Loganam et montes (*der Hayruch*) eodem terrae tractu, vbi hodie ditiones Nassouiorum Dillenburgenses et Diezenses, nec non Ipsteinensis et Catimelibocensis comitatus sunt, situs est, (vid. eumdem *auctorem pag.* 586.) Confluentiam duxisse exercitus, eosque ibi feliciter iunxisse, eoque facto Otgarium et reliquos, qui Carolomannum Rheni transitu prohibere conabantur, praecipiti fuga sese subduxisse. Quis vero haec a puero gesta credat?

(d) *Itiner. Germ. pag.* 34. *Analect. tom. IIII.*

no erae Christianae 857. ad meliorem vitam migrasse obseruent *Annales Einsidelenses*, ab eodem MABILLONIO (e) editi (f): rationibus subductis illam anno 829. lucis huius vsura frui primum coepisse, palam est. Nec adeo post annum 828. nuptias fecisse potuerunt eius parentes. Immo, quum nemo hanc filiam a matre primo partu fusam esse, memoriae prodiderit, faustum istud LVDOVICI et EMMAE connubium in triennium anterius incidisse, videtur verosimillimum.

§. XXI.

Quae anno 826. et quatuor insequentibus gesta sunt, magis ad motus Aquitanicos, Slauicos, et Normannicos, quam ad res LVDOVICI nostri pertinent. Vnum est, quod non omnino videtur omittendum, bellum puta Bulgaricum, quippe cui non modo interfuisse, sed et praefuisse LVDOVICVM nostrum, comperimus. Quale aliquot abhinc annis inter Francos et Bulgaros intercesserit commercium, quam minax fuerit vltima Bulgarorum legatio, et quam ignominiose illa a LVDOVICO Pio imp. domum remissa sit, iam supra nos dicere meminimus. Non dubitabat imperator, quin gens barbara, his irritata iniuriis, aliquid ausura sit in Pannoniae finibus, ac proinde id negotii dederat finium Boioariae et Histriae custodibus, GEROLDO et BALDERICO, vt, quid consilii caperent Bulgari, cum cura specularentur, limitesque aduersus quemuis repentinum tumultum quam firmissimis praesidiis munirent. Hi anno 826. adfuere Moguntiae in comitiis publicis, seque adhuc de motu Bulgarorum nihil subolfacere potuisse retulerunt (g). At insequente statim anno 827. bellum illud iam diu praeuisum exarsit. Tunc enim vti, in *Bertinianis annalibus* (h) est, *Bulgari Slauos in Pannonia sedentes, misso per Drauum nauali exercitu, ferro et igni vastauerunt, et expulsis eorum ducibus, Bulgaros super eos rectores constituerunt.* Tulit hoc aegerrime imperator,

(e) *Analect. tom. IIII. pag.* 478.

(f) Vt verum tamen fateamur, ipse LVDOVICVS Germanicus huius Hiltigardae filiae tamquam adhuc viuae meminisse videtur anno insequente 858. in diplomate Tigurino, quod ex ipso autographo secum communicatum primus edidit Herm. Conring. in *Censura dipl. Lindau. pag.* 367. *dato XVI. Kal. Mai. anno XXVI. regni Hludowici serenissimi regis in orientali Francia regnantis ind. VI.* vbi rex se *iuxta postulationem dilectae filiae suae Hildagardae*, curtim chama monasterio illi Tigurino donasse profitetur: Annus enim ille XXVI. ab eo tempore, quo Ludouicus Alamanniam inuasit, omnino incidit in annum 858. et indictionem sextam. Sed vti in diplomatibus maxime fluctuat indictionum ratio: ita et annos imperii sui non ab vno termino auspicatur Ludouicus. Hic primus annus statuendus videtur octingentesimus trigesimus secundus, sub cuius initium, (nam mense Maio iam pater aduersus eum cum exercitu mouit,) Alamanniam sibi armis vindicauerat. *Annal. Bertin. ad a.* 832. Ergo vicesimus sextus vere erit annus 857. cuius mense Aprile adhuc vixit Hildegardis, moritura demum octo mensibus post X. Kal. Ianuarii. Sic omnia recte se habent, nec in dubium vocari potest annalistae Einsidelensis fides, cui tamquam vicino et coaeuo perspectissimus esse potuit annus emortualis virginis illustrissimae.

(g) *Annal. Bertin. a.* 826.

(h) *Ad a.* 827.

rator, maxime recente adhuc ex Hispanica clade dolore, et hinc anno statim 828. indictis in mensem Februarium Aquisgrani comitiis, *cum de multis aliis caussis, tum praecipue de his, quae in marca Hispanica contigerant, rationem habuit, et legatos, qui exercitui illi praefuerant, culpabiles inuentos, iuxta merita sua honorum amissione mulctauit: similiterque* BALDRICVM, *ducem Foroiuliensem: cum propter* EIVS IGNAVIAM *Bulgarorum exercitus terminos Pannoniae superioris impune vastasset, honoribus priuauit, et marcam, quam solus tenuerat, inter quatuor comites diuisit (i).* Quod et *Vitae Ludouici* auctor (*k*), et EGINARDVS (*l*) suo more adcurate est persequutus. Eadem plane GEROLDI fata fuisse, scribit HIER. MEGISERVS (*m*), sed nullo, vti videtur, idoneo auctore. Nam eumdem GEROLDVM multo post primum in LVDOVICI nostri palatio locum tenuisse, ex eorum temporum monimentis satis constat (*n*). Eo facto bellum decretum est aduersus Bulgaros, cuius summam penes Ludouicum nostrum fuisse, testis locupletissimus est auctor *Annalium Fuldensium (o)*, qui ad hunc ipsum annum 828. HLVDGARIVS, inquit, *cum exercitu ad marcam Hispanicam missus est: similiter et* HLVDAVVICVS *iuuenis contra Bulgaros*. Quid rerum eo anno gesserit aduersus Bulgaros, non reperio. Nam quod MEGISERVS (*p*) Bulgaros ab eo vltra Sauum Drauumque submotos esse scribit, tacentibus coaeuis, in medio relinquendum est: neque tamen id verosimillimum esse negauerim. Nam ad annum insequentem 829. iidem *Annales Fuldenses (q)* notant, *Bulgaros, nauibus per Drauum fluuium venientes, quasdam villas nostrorum, flumini vicinas* inuasisse: quod non fecissent, nisi superiore anno vltra Drauum se recipere coacti fuissent. Sed haec omnia vix attingunt eorum temporum annales, partim quod non adeo formidolosi tum essent Bulgari, vt belli istius euentus operosius describendos existimarent, partim, quod iam alia digniora posteritatis memoria in ipso Francorum imperio contingerent, prae quibus omnibus istis motibus exterarum gentium parum momenti inesse credebatur.

CA-

(i) *Ad a.* 828.
(k) *Ad a.* 828. *pag.* 388.
(l) *Ad a.* 828.
(m) *Annal. Carinth. lib. VI. cap.* 30. *pag.* 531. *tomo. I.*
(n) BALDERICO mense Februario abrogatum esse imperium, obseruant *Annales Bertiniani ad a.* 828. et Astronomus, *Vitae Ludouici Pii* auctor, *pag.* 388. At eodem anno XI. Kal. Apr. eius honorifice mentionem faciunt Ludouicus et Lotharius imperatores in diplomate Chremisanensi, quod *infra n.* 39. produximus. Immo multo post anno 836. comitis dignitate fulsit, teste charta 63. apud Goldast. *Rer. Alam. tom. II. pag.* 47.
(o) *Ad a.* 828. *pag.* 32.
(p) *Ibid. pag.* 531.
(q) *Ad a.* 828. *pag.* 32.

CAPVT V.

DE TVRBIS IN LVDOVICI PII FAMILIA OB DIVISIONEM IMPERII ORTIS, VSQVE AD MORTEM IMPERATORIS.

§. I.

Sic demum ad ea peruenimus tempora, quibus nescio an tristiora vmquam, exemplisque prauis foediora viderit Francorum res publica. Ab anno enim illo 829. demum erumpere coepit malum, quod iam pridem pullulauerat, vt iam non laeta amplius scribere liceat, sed tristia ac nefanda, quibus merito quis praescriberet illud LVCANI poetae (a):

Bella, per irriguos plus quam ciuilia campos,
Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem,
In sua victrici conuersum viscera dextra,
Cognatasque acies, et rupto foedere regni
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas infestisque obuia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.

Amoeniora enim hactenus enarrantibus iam se nobis offerunt infanda nouercae, liberorum, ciuium, ipsorumque sacri ordinis hominum scelera, violata ipsius naturae iura, acies infestae optimo parenti, pro quo mortem oppetere filios, si mens non laeua fuisset, oportebat, oppositae: princeps optimus a suis captus, exauctoratus, ludibrio habitus; denique doli, vis, bellum, pax rursum, et perpetua in ipsa pace discordia. Quae quo ordine gesta sint, iam paullo adcuratius, pro instituti ratione, erit exponendum.

§. II.

Ex quo anno 817. primam regni partitionem fecerat LVDOVICVS Pius, iam non parum Lothario succensere coepisse fratres natu minores, supra, auctore THEGANO (b), monuimus. Eos tamen adhuc eatenus in officio continuerat pudor, vt forte sua in praesens contenti nihil alieni adpeterent, multoque minus quidquam patri, optime de se merito, ereptum vellent. Quin, si quid tale illis in mentem venisset,

(a) *Pharsal. lib. I. v. 1. seqq.* pag. 306.
(b) *De gest. Ludouici Pii cap.* 21.

nisset, non defuturas patri vires, quibus ad disturbanda ista consilia, impiosque filios coercendos, opus esset, facile, qua erant prudentia, intelligebant. Nam, vt alia praetermittamus, non potuisset tunc LOTHARIVS suas a paternis rationes seiungere, cuius quippe quam maxime intererat, factam illam partitionem ratam esse, nec plus fratribus minoribus, quam Aquitaniae ac Boioariae regna, attribui. Atque ita certus esse potuisset imperator, se viuum saltim integra omnia a filiis natu minoribus habiturum, illamque tempestatem, si auerruncari non posset, demum post excessum suum in Lotharii caput esse erupturam, nisi ipse imprudentia sua effecisset, ut LOTHARIVS, sui commodi oblitus, cum fratribus in gratiam redire, quam patri aduersus horum consilia auxilio esse mallet. Quamobrem, quamuis inexcusabilis omnino sit filiorum impietas, illique postea tantum non omnes iustam diuini numinis vindictam non sero, sed satis cito, persensisse videantur (c): adfirmare tamen non dubito, quin malum istud suo sibi iumento inuenerit pater, eiusque imprudentia atque iniquitas non magis, quam filiorum impietas atque ingratitudo, sit excusanda.

§. III.

Primum ergo in eo non parum deliquit imperator, quod IVDITHAE vxori iusto plus indulgeret, eamque solam in palatio regnare pateretur. Ea enim vt nouercarum more priuignos patri exosos redderet, nihil faciebat reliqui, vix aequo ferens animo, vt ad patrem pateret accessus, vel illi libero saltim eius adspectu fruerentur. Inde vero porro euenit, vt non modo liberius, quam augustam decebat, viueret, sed et paullatim ita sibi obnoxium redderet maritum, vt nullius rei ferret repulsam. Iam quum nihil magis dies noctesque ageret, quam vt CAROLVM, filium suum, quam potentissimum videret, a LVDOVICO veluti suo quodam iure exigere sibi videbatur, vt rationem haberet sanguinis sui, nec filium natu minimum solum regni exsortem esse pateretur: illi non minus regnum aliquod, quam PIPPINO

(c) PIPPINVS et mature vita excessit, et quemadmodum fratribus concitato bello ciuili exemplo praeiuerat, ita primus eorum morari inter homines desiit, diuinaque Nemesis et filios eius eatenus persequuta est, vt neutrum eorum successorem habuerit, sed Pippinus natu maior post varios casus, per tot discrimina rerum post annum 864. in carcere Syluanectensi exspirarit; *Annal. Bertin. ad a.* 864. alter, Carolus, inuitus detonsus, monasterio elapsus demum vt archiepiscopus Moguntinus anno 863. decesserit. Nec LOTHARIO pepercit summum numen, qui nec ipse quidquam ex eo tempore prospere gessit, et posteritatem non magis florentem habuit, anno 875. plane exstinctam. LVDOVICVS denique noster nec nepotem vllum legitimum ex filiorum triga vidit, et in eamdem calamitatem, in quam patrem coniecerat, incidit, filiis omnibus aduersus eum rebellantibus, eumque non minore adficientibus moerore, quam olim pater ex eius pertinacia conceperat. Et quis ignorat, totam trium istorum filiorum Ludouici posteritatem legitimam, licet satis numerosam, (nam vno tempore ex illis octo nepotes viderat Ludouicus imperator,) anno 888. totam defecisse, ex eaque post LVIII. annos, ex quo patri vim facere coeperant, neminem superfuisse? Adeo *iustus est Deus, iustaque iudicia eius.*

PINO aut LVDOVICO deberi, et tanto quidem potentius, quanto plus illi a fratribus periculi immineat. Expenderet pater Caroli pueritiam, suamque aetatem iam in senectutem decliuem: expenderet, quid puero immineat, si quid sibi humani acciderit. Quem orbi caussam acturum? quem restituturum tantae fratrum potentiae? Quem denique sibi viduae aduersus priuigni iniurias auxilio futurum, nisi ipse viuus optimum pro filio consilium capiat, tantamque attribuat regni partem, vt suis se viribus tueri, fratrumque vim vtcumque propulsare possit. Speciosa haec erat, nec iniqua profecto postulatio, nisi cum reliquorum fratrum iniuria coniuncta fuisset. Quis enim patri vitio vertisset, si nondum facta partitione filium quartum reliquis fratribus deteriorem esse noluisset? At singulis iam parte sua adsignata, et Iuditha maiora, quam filio natu minimo sperare fas erat, concupiscente, imperator se ad summas angustias animaduertebat redactum. Hinc recte obseruauit NITHARDVS (d), *Karolo nato, quoniam omne imperium inter reliquos filios pater diuiserit, quid huic faceret, ignorasse*. Siue enim ex Lotharii imperio aliquid decerperet, periculum erat, ne is a patre magis magisque alienetur: siue Pippinum vel Ludouicum fratri quid cedere iuberet, horum iam tum tam exigua erat portio, vt se supra modum laesos quererentur. Atque ita lupum veluti auribus tenebat imperator, et, quidquid capturus esset consilii, id magno cum periculo coniunctum futurum, facile animaduertebat.

§. IIII.

Expensis tamen, quae huc facere videbantur omnibus, rationibusque subductis, LOTHARIVM adgredi statuit: Eum ergo rogat obtestaturque, vt aliquam regni sui partem CAROLO fratri attribui patiatur, caussamque hanc agit tanto argumentorum pondere, vt hic praeter hominum opinionem patri ea in re adsentiretur, eique non modo partem regni quamcumque CAROLO adsignandi permitteret arbitrium, verum etiam se illi tutorem defensoremque aduersus omnes inimicos futurum dato iureiurando polliceretur (e). Quo fretus promisso imperator, anno 829. exacta Aquisgrani hieme, celeberrima comitia in mensem Iulium Wormatiam indixit, ad quae tamen, vano de Normannorum irruptione nuncio territus, sequentibus demum Idibus Augustis accessit, legatos, qui vndequaque eo confluxerant, audiuit, dona sollemnia, vti reges Francorum consueuerant, recepit, aliaque, quae e re publica fore existimabat, constituit. Ita enim horum comitiorum acta describunt *Annalium Bertinianorum* (f) et *vitae Ludouici* auctores (g), nec non EGINARDVS (h) scriptores graues, ac prudentissimi. At, quidquam ibi de parte regni CAROLO cedenda actum esse, nullus eorum, quod mireris, memoriae prodidit, quum tamen, id factum esse, alii eiusdem aeui scriptores, non dissimularint. Nam THEGANVS (i) diserte ait, partem regni CAROLO attri-

(d) *Lib. I. pag.* 435.
(e) Nithard. *ibid. pag.* 435.
(f) *Ad a.* 829. *pag.* 186.
(g) *Ad eund. a. pag.* 390.
(h) *Annal. ad. a* 829.
(i) *De gest. Ludouici Pii cap.* 35.

attributam esse in his comitiis, sed fratribus, et maxime LOTHARIO et LVDOVICO, qui isti conuentui intererant, grauiter indignantibus. *Alio*, inquit, *anno venit VVormatiam, vbi et* KAROLO, *filio suo, qui erat ex* IVDITHA *augusta natus, terram Alamannicam Rhaeticam, et partem aliquam Burgundiae, coram filiis suis*, LOTHARIO *et aequiuoco suo*, LVDOVVICO, *tradidit: et inde illi indignati vna cum Pippino, germano suo*. Mireris, LOTHARIVM tam breui tempore post mutasse sententiam, et aegre tulisse factum, quod fieri antea permiserat: sed culpam in HVGONEM, eius socerum, confert NITHARDVS (k), ita rem breuiter complexus: *instigante autem* HVGONE, *cuius filiam in matrimonium* LOTHARIVS *duxerat, ac* MATFRIDO, *sero se hoc fecisse poenituit, et quemadmodum illud, quod fecerat, annullare posset, quaerebat*. Hinc probabile est, in ipsis comitiis dissensum suum testatos esse praesentes filios, ac proinde nec proceres rem suffragiis suis probasse. Nihilominus imperator, iacta semel alea, nihil illa filiorum intercessione, procerum dissensione motus, KAROLO *Alamanniam* per edictum (l) tradit (m). Breuius rem eloquutus NITHARDVS Alamanniae tantum facit mentionem: at ex THEGANI testimonio patet, Alamanniae et Rhaetiam cum Burgundiae parte accessisse. At nos neutrius auctoritate nitimur, superstite ipso, cuius NITHARDVS meminit, edicto, quod primum PETRVS PITHOEVS (n), deinde DVCHESNIVS (o), ac demum BALVZIVS (p) haud paullo emendatius edidit, ex quo, quae huc pertinent, decerpere operae pretium fuerit. Primo ergo iam laudatus BALVZIVS (q) obseruauit, pleraque in illa charta diuisionis paene ad verbum descripta esse ex testamento Caroli M. (r) anno 806. scripto. Nam et hic LVDOVICVS sancit, vt, aliquo filiorum suorum mortuo, superstitum ex eo nepotum aliquis a populo electus, patruis consentientibus, regnet, nullo filiorum super-

(k) *Lib. I. pag.* 436.

(l) Videtur id, tamquam singulare, notasse Nithardus. Quamuis enim et Caroli M. testamentum, quod vocant, et charta diuisionis imperii Ludouici exstent apud Pithoeum in *Annal. et hist. Franç. script. coaet. XII, pag.* 283. et Baluz. *Capitul. tom. I. pag.* 439. *sequ. et* 575. *sequ.* adeoque existimari posset, iam pridem huius modi partitionem regnorum per edicta factam esse: satis tamen constat, tunc omnia peracta esse de procerum sententia. Eginard. *Annal. ad a.* 806. *illis absoluit conuentum, habuit imperator cum primoribus et optimatibus Francorum de pace constituenda et obseruanda inter filios suos, et* DIVISIONE *facienda in tres partes, vt sciret vnusquisque eorum, quam partem regere deberet, si patre mortuo superstitem esse contingeret. De hac partitione et testamentum factum, et* IVREIVRANDO *ab* OPTIMATIBVS *Francorum confirmatum*. Et in charta diuisionis imperii, anno 817. factae, LVDOVICVS imperator omnia *communi consilio*, et *re cum fidelibus suis considerata*, peracta esse profitetur. Nihil horum obseruatum hoc anno esse legimus, nec eius consensus vllam mentionem facit pater in praecepto super hac noua diuisione scripto, de quo paullo post dicemus. EDICTO ergo hanc regni partem CAROLO filio attribuit LVDOVICVS Pius, quasi in sua potestate esset, de regnis tamquam de patrimonio suo disponere.

(m) Nithard, *ib. pag.* 436.

(n) *Hist. et annal. Franc. script. XII. pag.* 338.

(o) *Tom. II. pag.* 327.

(p) *Capitular. tom. I. pag.* 685.

(q) *Capitular. tom. II. pag.* 1117.

(r) *Capite* 1.

superstite, regnum illud a reliquis fratribus aequa lance diuidatur (s): vt nullus fratrum alterius fines inuadat, eamque iniuriam passo, reliqui suppetias ferant (t): nullus aliorum clientibus receptum det, vel eos sollicitet, et ad se pelliciat (u), sed quisque a domino suo beneficia accipiat (x), nisi quis forte vltro emigrare, seque alteri fratri subiicere malit (y): ne fundi in vnius regno siti alteri vendantur, rerum vero mobilium liberum inter omnia regna commercium (z): ius quoque connubii inter ciues diuersorum regnorum promiscuum, feminisque regno enuptis possessiones saluae sint (a): vt lite de finibus regni regundis incidente, nec bello, nec certamini singulari locus sit, *sed ad declarationem rei dubiae vexillo crucis* (b) *Dei voluntas et rei veri-*

(s) Prius et in charta diuisionis, anno 817. conscripta sanxerat imperator. Posterius nouum est. Adeo enim olim filiis, natu minoribus, omnem ad maiorem potentiam adspirandi occasionem praesciderat, vt statueret, *si absque legitimis liberis aliquis eorum decederet, vt potestas illius ad seniorem fratrem reuerteretur*: Baluz. *Capitul. tom. I. pag.* 578. hic, quia simul CAROLI sui res agebatur, iuri adcrescendi hoc casu locum esse iubet, eatenus, vt regnum illud omnibus inter fratres aequaliter diuidatur. Quod sane non potuit non mordere LOTHARIVM.

(t) *Capite* 2.

(u) *Cap.* 3. 4. *et* 9.

(x) *Cap.* 5.

(y) *Cap.* 6.

(z) *Cap.* 7.

(a) *Cap.* 8.

(b) Erat hic inter reliquos modos se purgandi exquirendique veritatem: vnde frequenter in vetustis monimentis loquutiones: *cruce contendere*, *Capitular. lib.* III. *cap.* 46. *ad crucem contendere*, ibid. *Adpend.* II. *cap.* 34. *exire ad crucem*, *Synodus ad Vermer. cap.* 17. *examinationem crucis facere*, Capitular. *lib.* I. *cap.* 102. et similes. Quamuis vero modus non unus receptus fuisse videatur, veritatem adhibita cruce eruendi, ceu post Delrionem aliosque pluribus exemplis demonstrauit Car. Du Fresne *Glossar. Lat. tom.* I. *pag.* 1274. hic tamen praecipue ille ritus videtur intelligi, quo duo, inter quos erat iurgium, ad crucem statuebantur, et secundum eum lis dabatur, qui ad certum tempus, vel certis vicibus immobilis perstitisset. Id enim examen fieri consueuisse in finium regundorum controuersiis, luculenter probari potest *formula Bignonia* XII. *pag.* 501. *quae notitia de cruce euindicata inscribitur*: vbi iudicii ordo ita describitur: *sed taliter ei fuit iudicatum in ipso placito ante ipsum Vigarium* (vicarium comitis) vel ante ipsos pagenses, *vt ad crucem ad iudicium Dei pro ipsa terra in noctes quadragima duas in ipso placito pro hoc deberent adstare.* Additur enim, vtrumque adfuisse, sed *illum hominem, qui ipsam terram proripuerit, ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem cecidisse*, ac proinde certa solidorum summa esse mulctatum. Addit aliud insigne exemplum ex Vghelli *Italia sacra tom.* V. *pag.* 610. Stephanus Baluzius *Capitul. tom.* II. *pag.* 1155. Quum enim imperante Carolo M. inter ecclesiam ciuitatemque Veronensem de moenibus exstruendis litigatum aliquamdiu esset: *tandem, habito consilio, pacti sunt, vt haec Dei et Sancti Spiritus reseruarentur iudicio. Eligentes duos iuuenes clericos, sine vllo criminis existimatos, statuerunt in ecclesia S. Ioannis Baptistae ad domum et ad crucem stare fecerunt, quorum vnus Aregaeus, post archipresbyter, ecclesiae maioris nomine, alter vero ex parte S. Zenonis, Pacificus scilicet, qui post archidiaconus ecclesiae maioris fuit. Hi ambo ab introitu missae vsque ad mediam passionem tantum, quae est secundum Matthaeum, pariter starent. Ille qui de parte publica datus fuerat, in terram velut exanimis corruit. Pacificus vero vsque ad finem passionis stetit. His gestis, et omnibus gratias Deo agentibus, quartam partem tam ciuitatis, quam castelli pars episcopii cum his, quae supra memorauimus, accepit.* Mirum sane, quum impium illud plerumque superstitionis iudicium lege publi-

veritas exquiratur (*c*): vt fratres tum vniuerfae ecclefiae, tum fingularum ecclefiarum curam ac tutelam fufcipiant (*d*), et fi qua praeter ius ex ignorantia actum fit, ea quam primum emendent (*e*): fibi denique patri, quoad vixerit, fummum imperium in omnes prouincias, ipfofque filios, faluum, ac praeterea ius fit portionibus filiorum bene de fe merentium aliquid ex immorigerorum portionibus adiiciendi (*f*), eaque, quae in pofterum eo confilio difpofuerit, non minus rata firmaque, ac fi illi inftrumento inferta effent, habeantur (*g*). Quod ad ipfam regnorum partitionem attinet, LVDOVICVM imp. nunc multo liberaliorem, quam antea, fuiffe animaduerto. Aquitaniae enim regnum, non Ligeri et Rhodano, fed Sequana terminari voluit, quin et vltra Sequanam pagos XXVIII. et in his Catalonicum, Meltianum, Ambienfem, et Pontiuum, vfque ad mare adiecit. Boioariae regnum, LVDOVICO filio iam pridem datum, magna Germaniae parte, puta Thuringia tota, tractibus Ripuariorum, Atuariorum, Saxonum, Frifonum, Ardenna, Hasbania, Bragbanto, Flandria, Aufterbandia, denique tractibus vicinis ad Ifaram vfque fluuium auxit: quamuis quaedam in illa regni Ludouico deftinati defcriptione paullo fint obfcuriora, ipfaque illa portio ita comparata videatur, vt male cohaeferint prouinciae, et LOTHARIO, fi res habuiffet exitum, femper licuiffet feiungere Ludouici vires, vel prohibere faltim, ne facile vnirentur (*h*). Ad regna vero PIPPINI et LVDOVI-

publica prohibitum effet *Capitular. lib. I. cap.* 102. *ne Chrifti paffio, quae eft glorificatio, cuiuslibet temeritate contemtui haberetur*, illud tamen liberis fuis hic commendare non dubitaffe Ludouicum Pium. Sed adeo impares huic fuperftitioni, quum femel inoleuiffet, erant leges, vt inter ipfas leges peccaretur.

(c) *Cap.* 10.

(d) *Cap.* 11.

(e) *Cap.* 12.

(f) *Cap.* 13.

(g) *Cap.* 14.

(h) Portionem LVDOVICO adfignatam ipfis verbis LVDOVICI imperatoris defcribere iuuat, et ita quidem, vt fequamur Pithoeum, variantes vero Baluzii lectiones vncinulis includamus: *ad Baiuuariam totam Toringiam*, [Toringiam totam.] *Ribuarias*, [Ripuarios,] *Atoarias*, [Atrarios,] *Saxoniae*, *Frifiae*, *Ardennae*, *Asbania*, [Hasbania,] *Bragmenso*, *Franderes*, *Mempifcon*, [Mempifcan] *Medenenti* (Metunenti) *Amau*, *Aufterban*, *Aderten*, [Adertenfis] *Teruuanenfis* [Teruuanenfis,] *Bolens* [Bolenfis] *Quentouico*, *Camalecenfis*, *Vırdomadenfis*. Et his BOIARIAE terminos iam alibi defcripfimus. TORINGIA vel *Thuringia* eo tempore Thuringiam hodiernam, et Haffiae partem complectebatur. *Nordthuringiam* enim vltra Vnftrutum ad Ouacrum Saxones iam pridem tenebant, orientalem partem vltra Salam Sorabi et Venedi infidebant. RIPVARII tum dicebantur, quicumque tractum terrae ampliffimum inter Rhenum, ad Vahalim vfque, Mofam, vbi illi Vrfa mifcetur, et Mofellam colebant. Brouuer. *Annal. Treu. lib. VII. pag.* 362. *Atrarii* Baluzii in illo tractu nulli funt. Rectius Pithoeus, qui *Atoarias* legit. ATTVARII enim inter Rhenum et Mofam circa Nerfam domicilium habebant, in ducatu, qui poftea Gelriae nomen tulit, et in monimentis vetuftis *pagus Attuariorum* vel *Hattuariorum* vocatur. Paullini *Geograph. pag.* 15. SAXONIA tum, quidquid a Sala inter Albin et Rhenum interiacet; FRISIA tractum maritimum cis et vltra Fleuum inter Vifurgim et Rhenum complectebatur. ARDVENNA filua maxima notiffimaque eft cis et vltra Mofam, quam olim *Condrufii*, *Eburones*, *poftea Leodici*, *et Namurci*, *Atrebates* et *Veromandui*, in charta noftra diuifionis *Vir-*

DOVICI non ob aliam caussam tanta tum facta est accessio, quam vt eo maiorem prouinciarum partem CAROLO iure attribuere videretur, eoque obtentu, quod natu minimi non deteriorem, quam reliquorum fratrum, conditionem esse oporteat, eum tanto magis locupletaret. Et sane pater, ceu ex eodem instrumento patet, ei destinabat *Alamanniam totam*, id est, Sueuiam inter Licum et Rhenum, Heluetiae maximam partem, et Rhaetiam, *Burgundiam* vniuersam, *excepto, quod Pippino datum fuerat*, id est, comitatibus Augustodunensi, Aualensi, et Niuernensi (*i*), *totam* porro *Prouinciam*, *et totam Gotiam*, id est, Prouinciam proprie sic dictam cum Delfinatu, et Septimaniae partem maiorem (*k*), nec non *de media Francia Warensem*, *Vngensem*, *Castrensem*, *Potiano*, *Remegensem*, *Laudunensem*, *Mosellam*, *Treueros*, et alia, quae in charta illa, sub finem mutila desiderantur, quamuis ne ex iis quidem, quae supersunt, praeter *Re-*

Virdomadenses vocati, adcolebant. HASBANIA, vti adcurate eam finiunt Aub. Miraeus *Dipl. Belg. lib. II. cap.* 30. inter Tungros, Tillemontium, Fanum S. Trudonis, Traiectum ad Mosam, et Leodium interiacebat. BRAGMENTO, pagus celeberrimus et amplissimus, alias *brachbantum*, *Bratispantum*, *Bracopantus* et *Braiorbant*, ab occidente Scaldi, ob oriente Velpa, a septentrione Demera et Thilia, a meridie Sabi terminabatur, adeoque magnam *Brabantiae* ducatus partem sinu suo complectebatur. Miraeus *Opusc. hist. tom. I. pag.* 141. FRANDERES ipsa Flandria est, vel *pagus Flandrensis*, quem ad Oceanum Germanicum, inter Furnes et Scaldim occidentalem, situm fuisse, jam docuerunt Henr. Valesius in *Notit. Galliar. pag.* 195. et Auctor *Prodr. chron. Gottuicens. pag.* 525. MENPISCON vel MEMPISCON alias *pagus Menapiscus*, pars Flandriae comitatus meridionalis, ad Lactam vel Legiam fluuium, adcurate describitur ab Henschenio *Act. sanct. tom. I. Febr. pag.* 817. *sequ.* MEDENENTI vel METVNENTI itemque AMAV quid sint, ignorare me fateor. AVSTERBAN pagus amplissimus, inter Valentianas et Namurcum vltra Ardennam situs, alias *Austerbant* vocatur. ADERTEN vel pagus *Adertensis*, procul dubio est *Adertisum*, tractus Lotharingiae inferioris, quem inter Flandros, Cameracenses, Veromanduos Austerbantos sistit tabula Belgicae apud Blondell. *Adsert. plen. geneal. Fran. pag.* 260. TARVENNA notissima Morinorum colonia, cuius a Carolo V. imp. dirutae vestigia septimo ab Audomaropoli lapide visuntur, nomen dedit toti illi tractui inter Samaram fluuium, fretum Britannicum, et Atrebatenses, qui hic *Teruanensis* vel *Teruanensis* vocatur, cuiusque pars etiam fuit BOLENS, id est, *Bononia Belgica*, *Boulogne*, olim insigni comitatu celebris. QVINTOVICVS, alias *Quentouuicus* immo et *Wicus* memoratur in *Capitular.* Caroli Calui *tit.* 31. §. 12. Aimon. *lib. V. cap.* 1. Alcuin. *epist.* 12. et in Diplomate Dagoberti de mercatu S. Dionysii apud Doublet. *lib. III. cap.* 3. Ex quibus locis patet, Quentouicum fuisse portu et officina monetaria celebrem, nec procul a pago Rodomagensi vel Rothomagensi abfuisse. CAMALACENSIS pagus procul dubio est ipse Camaracensis tractus. Denique VEROMANDVORVM prouincia, quae et hodie antiquum nomen seruat, satis nota est. Si ergo recte ponamus calculum, praeter Galliam Belgicam trans Samoram et vltra Arduennam ad Rhenum, Bataviam, Frisiam, Geldriam, ea, quae hodie ad circulum Westphalicum et inferioris Saxoniae referuntur tantum non omnia cum Thuringia, Hassia, Bauaria, Pannonia vtraque, Boemia LVDOVICO hac diuisione destinata erant, isque fratres omnes potentia procul dubio superasset, si exitum haec diuisio habuisset.

[i] Baluz. *Capit. tom. I. pag.* 575.
[k] Idem *tomo II. pag.* 118. *sequ.*

mes, *Laudunum*, tractum vel pagum Mosellanum, alias *Moselgow*, et *Treueros*, reliqua nomina satis nos intelligere fateamur. Et ita quidem noua ista diuisio in charta illa describitur: at vereor tamen ego, ne quid vitii in illam irrepserit. Si enim recte se haberet: praeter Italiae regnum fere nihil superfuisset LOTHARIO, quem tamen, tum adhuc morigerum omni spe successionis priuare voluisse patrem, nemo crediderit. Deinde memoriae prodidit THEGANVS (*l*), non LOTHARIVM modo, sed et PIPPINVM et LVDOVICVM ob hanc diuisionem vehementer esse indignatos. Quis vero hos non emotae mentis fuisse dixerit, si patri, tam luculentas prouincias sibi attribuenti succensuissent? Quare aut inepti cuiusdam commentum est ille prouinciarum recensus, quippe quem GOLDASTVS (*m*) in codice suo non reperit: aut ita interpolatus, vt vix illi sani quid inesse videatur (*n*). Si tunc PIPPINO et LVDOVICO aliquid accessit, id in eo constitisse videtur, quod eos regnis suis pari cum LOTHARIO iure praeesse voluit. Neque enim subiectionis istius, quam priore diuisione tam sollicite inculcarat, in hac altera diuisionis charta vola vlla vel vestigium occurrit: neque passa esset IVDITHA, CAROLVM suum fratris natu maximi imperio subiici, quem, si fieri posset, reliquis omnibus praeferri optabat. Ne ergo CAROLVS a LOTHARIO penderе cogeretur: reliquos etiam filios suos ab eius imperio eximendos putabat imperator, eaque eius in filios postgenitos benevolentia vel maxime Lotharii animum, imperii cupidissimum, et patri jam pridem infensum percellebat; atque ita intelligendus est NITHARDVS (o), *tum tandem Lotharius quasi iusta querimonia reperta, tam fratres, quam et vniuersam plebem veluti ad restaurandum rei publicae statum animabat*.

§. V.

[l] *De gest. Ludouici Pii cap.* 31.

[m] *Constit. imp.*

[n] Si quid video, ita singulorum filiorum natu minorum portiones expresserat pater, vt simul, quid LOTHARIO natu maiori relinqui debeat, adcurate describeret, e. g. ad Aquitaniam pertinere, quidquid ab Hispania ab Ligerim vsque pertingat: quae vero inter Ligerim et Sequanam sint, nec non vltra Sequanam XXVIII. pagos, cum Catalaunis, Meltis, Ambianis, et Pontio, ad mare vsque Britannicum Lotharii permansura. Deinde LVDOVICVM Baiuuariam quidem totam, adeoque et Nordgauiam habiturum: at LOTHARIO cessuras Thuringiam, Franciam orientalem; tractum omnem Rhenanum, qui postea inferioris Lotharingiae nomine venit, cum vniuerso Belgio, nec non tota Saxonia et Frisia. Denique CAROLO sese attribuere Alamanniam totam cum Rhaetia, et Burgundiam; praeter comitatus Augustodunensem, Aualensem, et Niuernensem, Pippino iam pridem cessos, at Prouinciam, Gothiam, et totam Galliam reliquam inter Rhenum et Mosam LOTHARIO mansuram. Ita fortassis scripserit Ludouicus Pius, si lacinia illa eum habuerit auctorem. Quae deinde scriba, omisso vbique Lotharii nomine; omnia peruertit atque ita confudit, vt parum abfit, quin Lotharium tum plane exheredem scriptum esse, nobis persuadere voluerit. Sufficere videtur, nullum veterum de magna illa accessione regni Ludouiciani seu Boici quidquam memorasse.

§. V.

Vtcumque se res habeat, Lotharium nouam hanc partitionem aegre tulisse, et clam dedisse operam, vt illam, quacumque ratione posset, dirueret, diserte scribit NITHARDVS (p). PIPPINVM etiam et LVDOVICVM non minus patri propterea succensuisse, iam ex THEGANO (q) vidimus. Ille enim sibi tantum detractum videbat, quantum accessisset fratribus. Hi fratri natu minimo multo pinguiorem regni partem, quam sibi datam esse, querebantur. Quin non magis proceribus, quam filiis, placuisse illam partitionem existimamus. Praeterquam enim, quod imminentibus hinc Hungaris et Slauis, illinc Nordmannis, istinc Saracenis non poterant non imperio in tot minora regna distracto male metuere: facile sagaciores animaduertebant, iuuenes iam feroces regnandique cupidos, et iam pridem de laesione conquestos, armis plus quam ciuilibus inter se certaturos, et in maximum discrimen adducturos rem publicam. Hinc exsules honoribusque antea priuati, qui per varias imperii prouincias diuagabantur, arrepta hac occasione omnes, quos poterant ab imperatore et Iuditha alienare, eosque hortari, vt consulerent rei publicae, auderentque aliquid Gyaris et carcere dignum. Testatur sane auctor *Vitae Ludouici* Pii astronomus (r), *iam tum in illo conuentu Wormatiensi imperatorem comperisse, clandestinas circa se eorum, quos vitae reseruauerat, machinationes more cancri serpere, et multorum animos, quasi per quosdam cuniculos sollicitare*. Et erant sane tum plura in imperio genera hominum, quibus in turbido consilium esse videbatur: exsules quamplurimi, qui in illa rei publicae conuersione se pristinos honores recuperaturos confidebant: ERMENGARDIS, imperatoris propinqui, et quotquot LOTHARIO, PIPPINO et LVDOVICO adfinitate iuncti erant, illos Ludouici filios a Iuditha opprimi aegre ferentes: ipsi denique clerici, quorum quosdam terrae filios ipse nouo instituto (s) ad summa sacerdotia prouexerat, quippe qui-

(o) *Lib. I. de dissens. fil. Lud. pag.* 436.

(p) *Nithard. lib. I. pag.* 436.

(q) *Cap.* 34.

(r) *Ad a.* 829. *pag.* 390.

(s) Mos fuerat iam inde ab ecclesiae Francicae origine, non nisi nobili cretos sanguine ad suprema sacerdotia prouehere, qui plerumque et adcuratius educati instituti que, et rei publicae amantiores, quam plebeii, esse credebantur, et cognatorum auxilio aduersus paganorum insidias facilius utebantur. Id adeo verum est, ut miretur monachus Sangallensis in *Vita Caroli M. lib. I. cap.* 7. sub Carolo illo *duos molinariorum filios de familia S. Columbani, quum eis non congrueret ad episcoporum vel coenobiorum regimen sublevari, tamen per merita magistri, Alcuini, praepositurам Bobiensis monasterii unum post unum strenuissime gubernasse*. Idem multo ante Carolum M. immo et post Ludouici Pii tempora religiose obseruatum esse constat. Exstant enim formulae commendationis episcoporum, in quibus fere semper eorum natales celebrantur, e. g. *decreuimus illustri viro in ipsa vrbe pontificalem in Dei nomine committere dignitatem, quem plerumque apud animos nostros et actio probata commendat*, et NOBILITATIS ORDO

quibus imperatoris rigor in exigendis sacri ministerii officiis, et perpetua, quam sibi vsurpabat, censura magis displicebat, quam placebat pietas religionisque studium. Quum ergo haec omnia optimum principem ipsis sacri ordinis hominibus non parum exosum reddidissent: non mirum profecto est, tam facile voti damnatos esse homines, qui ab illo offensi id vnice cupiebant, vt eum cum IVDITHA aut perderent, aut innumeris saltim turbis et calamitatibus implicitum quam primum viderent.

§. VI.

Est ea saepe humanorum consiliorum ratio, vt non modo malo, cuius caussa capiuntur, non medeantur, sed et morbum tanto magis insanabilem reddant: ipsaque experientia docet, in palatiis principum aliquando contingere, vt, qui ad comprimendos tumultus tamquam ad restinguenda incendia concurrunt, non tam aquam, quam oleum, igni infundant. Quod et LVDOVICO imperatori tum contigit. Primo enim LOTHARIVM, ne turbarum auctores eius auribus insidiarentur, illico in Italiam ire iussit (t): quum tamen in illo secessu tanto occultius ac veluti per ocium, consilia paci inimica capere posset. Deinde *ipse sibi contra seditiosos homines quoddam propugnaculum erecturus*, BERNARDVM, *eatenus Hispaniarum partium et limitum comitem, camerae suae praefecit* (u). Hunc enim ob eximiam prudentiam, incredibilem in rebus gerendis dexteritatem, splendorem generis, potentiam, ac nexum illum, qui inter filium patremque spiritualem esse tunc merito credebatur, ad eam rem maxime idoneum esse existimabat (x). Enimuero quum imperatori, eiusque vxori, persuasum esset, BERNARDVM, Septimaniae ducem, ob potentiam sibi firmis-

ORDO *sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudinis et prudentiae honestas exornat. Form.* MARCVLFI *lib. I. cap.* 5. 7. LINDENBROG. *cap.* 4. *Formul. promot. episcopal. IIII. apud* Baluz. *Capitular. tom. II. pag.* 597. et *cap.* 12. *pag.* 610. *Formula* IO. COVLESII *I. pag.* 635. *Formulae Alsaticae cap.* 6. *pag.* 236. *cap.* 13. *pag.* 239. *edit.* IO. GE. ECCARDI. At primus hunc veterem morem migrauerat Ludouicus Pius, non exiguo rei publicae malo. Quod obseruans Theganus *de gest. Ludou. Pii cap.* 20. grauiter detrimenta, quae inde passa sit res publica, exaggerat, et id maxime conqueritur, eos homines postea rixosos, ac paene intolerabiles, immo et rerum nouarum studiosos fuisse. *Postquam*, inquit, *tales culmen acceperint, numquam sunt sicut antea tam mansueti et sic domestici, vt non statim incipiant esse iracundi, rixosi, maliloqui, obstinati, iniuriosi et minas omnibus subiectis promittentes, et per huius modi negotia cupiunt ab hominibus timeri et laudari.* Merentur et insequentia legi, quibus eorum hominum mores graphice describit, iisque addi, quae *cap.* 43. *et sequ.* obseruat, *cum omnes episcopos molestos fuisse Ludouico, tum hos maxime, quos ex seruili conditione honoratos habuerit, cum his, qui ex barbaris nationibus ad hoc fastigium perducti sint.*

(t) *Vit. Ludouici Pii pag.* 390. *Annal. Fuld. Bertin. Bgin. ad a.* 829.

(u) *Vita Ludouici pag.* 391.

(x) BERNARDVS ille adhuc contra Mauros in marca Hispanica res praeclare gesserat, *Vit. Ludouici pag.* 386.

ac

firmissimo praesidio aduersus filios aeque ac rebelles futurum: res, miro Dei consilio, in contrarium vertit. Is ipse enim BERNARDVS sudes, in oculis omnibus esse coepit, vt non adquiescendum sibi putarent turbarum auctores, priusquam illum palatio exturbassent. Praefecerat eum imperator camerae suae, quae camerarii (*y*) dignitas in palatio fere prima ac praecipua habebatur. Eidem et CAROLI filii educationem crediderat (*z*), quam curam qui gerebant, BAIVLI vocabantur (*a*). Vtrumque vero officium ita comparatum erat, vt non posset non esse frequentissima reginam adeundi occasio, quum et camerarius sub eius dispositione esset, et CAROLI adhuc pueri educatio ad eam praecipue pertineret. Hinc statim per ora hominum volitauit rumor de furtiuis augustae et Bernardi amoribus, isque tantas vires adquisiuit eundo, vt non modo ad vulgum manaret, sed et praecipuis episcopis, abbatibus, atque optimatibus probabilis videretur, maxime quum iam multo ante hunc annum 829. IVDITHA augusta familiarius, quam decebat, cum Bernardo duce vixisset, ac proinde ea vrgente non aliam ob caussam in palatium adscitus crederetur, quam vt tanto liberius in mutuos amplexus ruerent moechus et adultera (*b*). Accedebat impotens dominandi libido, qua omnia suo

ac proinde Septimaniam ac marcam Hispanicam, seu Gothiam, ducis nomine regebat. Tam late enim tum patuisse Gothiae vocabulum, pluribus ostendit Steph. Baluz. *ad Capitul. tom. II. pag.* 1118. *sequ.* Generis splendorem quam maxime laudat Theganus *de gest. Ludou. cap.* 36. *pag.* 310. eum *de stirpe regali fuisse*, testatus. Sed nos iam supra *cap.* 4. §. 14. eius genus descripsimus, simulque ostendimus, existimasse veteres, auiam BERNARDI paternam, ALDANAM CAROLI MARTELLI filiam fuisse, ob eamque caussam BERNARDO tribuere regiam originem. Quod tamen satis incertum esse, eodem loco docuimus. Denique idem Theganus *ibid. pag.* 310. obseruat, BERNARDVM illum *domni imperatoris ex sacro fonte baptismi filium fuisse*. Quae necessitudo quam sacra olim visa fuerit, nemo ignorat. Tot ergo veluti pignora fidei facile persuadebant Ludouico Pio imperatori, vt BERNARDO primas in palatio partes deferret, eumque sibi suisque certissimo praesidio futurum speraret.

(*y*) Camerarii munus, teste Hincmaro *Epist.* 3. *cap.* 22. erat, curam agere *palatii*, *ornamentorumque regiorum*, *dona annua militum*, praeter annonam, *distribuere*, *prospicere*, *vt omnia iusto tempore fierent*, nihilque, *quo opus erat*, *deesset*: *dona* a legatis adlata custodire, et, quae abituris elargienda erant, parata habere. Quamuis vero plures in palatio essent camerarii, vti ex Gregor. Turon. *Histor. lib. IIII. cap.* 26. et *lib. VI. cap.* 45. obseruarunt Car. du Fresne *Glossar. med. et infim. Lat. tom.* 1. *pag.* 702. et Hert. *Notit. regni Franc. cap.* 3. §. 14 *p.* 295. vnum tamen reliquis praefectum fuisse, eumque secundum ab imperatore in imperio fuisse, patet ex Nithardi *lib. I. de dissens. filior. Ludou. pag.* 436. Praeterea iam Hincmarus *eodem loco* testatur, omnia camerarii munia *ad reginam praecipue*, *et sub ipsa ad camerarium* pertinuisse, et saepe incidisse talia, *quae reginae*, *iubente rege ad tractandum cum camerario*, *congruerent*. Talis sub Ermengardi regina fuerat REGINARDVS, cuius in tumultu Bernardi Italiae regis meminimus; *Vita Ludou. Pii*, *Annal. Bertin.* et alii *ad a.* 817. et postea TANCVLFVS in *Vita S. Bened. Anian.* apud Duches. *tom. III. pag.* 388.

(*z*) Nithard. *lib. I. pag.* 436.

(*a*) Supra *cap.* 3. §. 1. (a) *pag.* 728.

(*b*) Hoc non coniicimus, sed compertum habemus ex scriptoribus coaeuis. Supra enim *cap.* 4. §. 11. (q) *pag.* 782. adduximus locum Odonis Ariberti,

suo arbitrio agebant IVDITHA et BERNARDVS (c), imperatore interim precibus et psalmodiis, omissa paene rei publicae cura, vacante. Haec ergo passim tum iactabant homines, tumultus istius flabella, vt vere dici posse videatur, tota huius anni hieme coisse nubes, ex quibus anno proximo erupit dirum illud fulmen, quod pium imperatorem adflauit, ambussit, ac propemodum fortunis imperioque euoluit.

§. VII.

Facibus ac tubis tam nefariae seditionis nihil, quam opportuna Ludouicum imperatorem inuadendi occasio deesse videbatur. Nam *necdum*, vti obseruat *Vitae Ludouici* auctor (*d*), *ii*, *qui tali peste tabescebant*, *vulnus suum detegere poterant*, *vtpote quibus nulla copia ad peragenda*, *quae conceperant*, *suppeteret*. Ea vero occasio sequente anno sese vltro obtulit. Solutis enim comitiis Wormatiensibus, imperator quidem palatium Francofurtense repetierat, et auctumnum, dum tempus permittebat, exegerat venationibus, at circa diem S. Martino sacrum Aquisgranum profectus, ibi et natalem domini pie celebrauit, et hieme illa ad quadragesimale vsque ieiunium ibidem haesit (*e*). Tunc vero fama nescio quid tristius de Britanniae motibus nunciante, expeditionem, BERNARDI consilio, in illam prouinciam suscepit, relictaque Aquisgrani augusta ipse paullo post, licet ex pedum tumore laboraret, cum exercitu in tractum Franciae occidentalis maritimum, tempore quam maxime importuno profectus est. Appetierat enim illud anni tempus, quo ecclesia cruciatus, quos Christus pro humano genere subiit, precibus ieiuniisque celebrabat, quum imperator primis statim diebus, quas *caput ieiunii* (*f*) vocant, castra

ti, in quo *Carolus Caluus os Bernardi retulisse*, *ex eoque illum genitum*, *vulgo creditum esse*, dicitur. Quum ergo Bernardus camerarii munere fungi coeperit anno 829. quo CAROLVS iam sextum aetatis annum attigerat: absurda fuisset ea calumnia, nisi iam antea saepius in palatio versatus esset Bernardus, adeoque iam pridem eam de se suspicionem excitasset Iuditha, existimationis suae dudum parum curiosa.

(c) Paschas. Ratpert. *Vit. Walae*, *lib. II. cap. 9.*

(d) *Ad a. 829. pag. 391.*

(e) *Vita Ludouici ibid. pag. 391.*

(f) Ita vocabant quartam quinquagesimae feriam, qua cineribus signati Christiani longam illam inediam antepaschalem auspicabantur, alias *caput quadragesimae*, in *Regula S. Benedict. cap. 48.* dies cinerum, *Synod. Beneuent. anno 1091. cap. 4.* *dies absolutionis*, (quamuis eo nomine etiam feria quinta ante pascha veniret, quod hac hominibus criminum mortalium; illa venialium, quae vocant, gratia fieret: Steph. Baluz. *ad Reginon. de discipl. eccles. pag. 654.* Carolus du Fresne *Glossar. med. et infim. Lat. tom. I. pag. 28.*) Graecis ἀπόθεσις τῶν ἁγίων νηστειῶν. Et sane id tempus minime omnium conueniebat expeditione, quoquo preces recitabantur: *concede nobis*, *domine*, *praesidia* MILITIAE CHRISTIANAE *sanctis incohare ieiuniis*, *vt contra spirituales nequitias pugnaturi continentiae muniamur auxiliis*. Ex quibus precibus clerici, sollicitaturi populum, argumentum non leue petere potuerunt ad expeditionem illam Ludouici infamandam. Hos enim illam prae-

castra moueret. Non aegrius quidquam iam a longo tempore tulerat populus, quam expeditionem illam molestissimam, qua anniuersaria haec sacra turbari, hominesque in remotissimas Franciae occidentalis oras, hiberno tempore, nullo vrgente tam magno periculo, trahi videbantur. Hinc auditae voces, imperatorem tam sacro tempore non nisi caedes spirare, populum non male de se meritum militia perpetua opprimere, castra sequi iubere ciues, dum templa adeunda sint, eaque inauspicata expeditione impedire, quo minus diuinum numen, peccatis Francorum iampridem offensum, precibus aliisque piis operibus placetur. Hinc *Annalium Bertinianorum* auctor (g), *iter illud omnem populum moleste tulisse propter difficultatem itineris, eumque illuc sequi noluisse.* Accepta hac occasione homines seditiosi primum PIPPINVM adgrediuntur, de Bernardi et ipsius augustae dominatu, proteruia, ac libidine conquerentes. Hos viros bene meritos, opibus honoribusque spoliare, hos omnia agere suo arbitrio, opprimere populum, ipsamque rem publicam nefarie pessumdare. Persultare impudentissimum moechum optimi imperatoris locum, et huic praestigiis suis ita illudere, vt tantam iniuriam non modo non vindicet, sed ne aduertat quidem. Pertinere hoc ad probi filii officium, vt indolescat paterno dedecori, pulsisque tanti mali auctoribus patrem sibi, bonaeque menti quam primum restituat. Id demum filio immortalem adlaturum gloriam: id illi ad regnum suum, iam angustis Aquitaniae limitibus circumscriptum, amplificandum certo profuturum (h). Quibus illecebris permotus iuuenis, contractis copiis primum Aureliam mouit, ibique, pulso ODONE, comite, MATFRIDVM, hominem fortissimum, sed infensissimum patri, et praecipuum illarum turbarum inceptorem, restituit, ac deinde Verimbriam vsque (hodie *Felembrey* oppidum prope Laudunum situm) progreditur (i). Ex altera parte LOTHARIVS, qui hanc hiemem in Italia iussu patris exegerat, cum expedita manu adesse dicitur (k). Denique ipse, quem imperator ducebat, exercitus iam tum ad seditionem consternatus, coniuratorum consilio, a signis dilabitur, et iuxta Lutetiam Parisiorum castra metatur. Sic primus quidem arma impia mouisse dicitur PIPPINVS: at, si dicendum quod res est, omnem illam scenam instruxerat LOTHARIVS, quem NITHARDVS (l), grauis auctor, et horum fratrum consobrinus, *tam fratres, quam et vniuersam plebem veluti ad restaurandum rei pulicae statum animasse*, disertis verbis testatur.

praecipue aegre tulisse, vel ex *tabulis exauctorationis cap.* 3. apud Pithoeum p. 328. patet, vbi inter caussas exauctorationis haec non postrema vrgetur, *quod imperator contra Christianam religionem et contra votum suum, sine vlla vtilitate publica aut certa necessitate, prauorum consilio delusus in diebus quadragesimae expeditionem generalem fieri iusserit, in qua expeditione, quantum in ipso fuerit, et populum in magnam murmurationem protraxerit, et sacerdotes domini a suis officiis contra fas amouerit, et pauperibus grauissimam oppressionem irrogarit.*

(g) *Ad a.* 830.

(h) *Vita Ludouici Pii ad a.* 830. *pag.* 301.

(i) *Ibid. pag.* 302.

(k) *Annal. Bertin. ad a.* 830.

(l) *Lib. I. pag.* 436.

§. VIII.

§. VIII.

Quae fuerint impiae istius factionis consilia, his verbis memoriae prodidit *Annalium Bertinianorum* conditor (m): *aliqui ex primoribus* LOTHARIVM *de Italia, et* PIPPINVM *de Aquitania hostiliter aduersus patrem venire, vt illum de regno eiicerent, et nouercam suam perderent, ac* BERNARDVM *interficerent, compulerunt*. Nec difficulter ea consilia deprehendit imperator (n), iam paene ab omnibus desertus. De suorum tamen magis, quam sua salute, sollicitus, BERNARDVM sibi fuga consulere, IVDITHAM Lauduni in monasterio S. Mariae virginis delitescere iussit: ipse non procul inde dissitum palatium Compendiense petiit, quo et CAROLVM filium, vt e NITHARDI (o) loco colligimus, secum abduxit. Et BERNARDVS quidem in Septimaniam suam fuga euasit, IVDITHAM Pippinus WERINO et LAMBERTO, cum selecta manu Laudunum missis abstractam e monasterio ad se perduci iussit, captiuamque in castris tenuit (p). Hic nullum paene contumeliae genus praetermissum, totque iniuriae factae mulieri, vt mortem verita non ipsa modo se velum sumturam, sed et imperatori, si ad eum eundi, cum eoque colloquendi copia detur, vt positis armis monachum induat, persuasuram, polliceretur. Quod PIPPINO et reliquis eo facilius persuasum est, quo magnis id quam primum fieri cupiebant. At callida femina sub praesidio missa Compendium, secretiore colloquio cum marito habito ipsa quidem ab eo impetrauit veniam velum euitandae mortis caussa capiti imponendi, ab imperatore autem reuersa nihil certi, sed responsum ambiguum, eum sibi tempus ad deliberandum poposcisse, retulit. Hinc ei exsilium irrogant rebelles, missamque Pictauos in monasterio S. Radegundis sub arcta custodia haberi iubent. Vt adeo facile pateat, id unum egisse PIPPINVM, vt et nouerca, et pater, posita purpura, in monasteria quamprimum vel sponte secederent, vel inuiti detruderentur. Nec mitius cum fratribus reginae, CONRADO et RADVLPHO, qui tum in aula dominabantur, actum, quos ipsos quoque, desecta coma, ad vitam monasticam, tamquam in ergastula, damnarunt.

§. VIIII.

Haec omnia quadragesimae tempore, et circa dies festos paschales acta esse, constat. Paullo post, adpetente iam vere mense Maio, et octaua paschatos elapsa, LOTHARIVS, ex Italia cum delecta manu adueniens patrem Compendii adiit, ad eumque se tota illa factio Ludouico Pio infensa contulit, eumque, quippe totius istius tumultus auctorem facile mouit, vt non modo ratum haberet, quod adhuc actum

(m) *Ad a.* 830. *pag.* 187.
(n) *Vita Ludouici pag.* 302.
(o) *Lib. I. pag.* 436.
(p) *Vita Ludouici pag.* 302.

actum fuerat, sed et, quae superesse videbantur, ea, quae ipsi paene propria erat, insolentia perficeret (q). Hinc primum conuentum indixit Compendium, et quamuis adhuc ab omni vi aduersus patrem abstineret, HERIBERTVM tamen, BERNARDI ducis fratrem, crudeli ac ferali sententia, oculis priuatum in Italiam deportari iussit, eiusque consobrino, ODONI, armis ignominiae caussa spoliato, aqua et igni interdixit, alios imperatoris amicos et comites, in vincula coniecit, eoque exemplo, capitale esse fidei patri praestitae crimen, satis testatum fecit. Interim LOTHARIVS rem publicam suo arbitrio, at patris tamen nomine, constituit, ac proinde *eius vitae* auctor (r) *eum solo nomine imperatorem, illam aestatem transegisse*: NITHARDVS (s) vero *sub libera custodia cum* CAROLO *filio* (t), *habitum* esse, tradunt. Miserrima ergo fuisset imperatoris conditio, nisi id vnum habuisset tot malorum adleuamentum, quod LVDOVICVM, Boiariorum regem, huc vsque ab illa factione alienum esse, sciret. Quum enim hic solus a fratrum consiliis dissideret: in eo etiam spem omnem collocaverat pater infelicissimus, idque est, quod obseruat THEGANVS (u), dilectum *filium eius aequiuocum prohibuisse, quo minus dominum imperatorem de regno expellerent*. Quod quomodo contigerit, NITHARDVS (x) potissimum prodidit memoriae. Admittebatur nimirum ad imperatorem, eiusque filium, monachorum turba, quae partim consolandi defungeretur officio, partim puero vitae monasticae praestantiam exquisitissimis argumentis commendaret. Hi homines, pertaesi improbitatis, cuius noua quotidie exempla animaduertebant, operas suas addicebant imperatori, si restitutus in integrum, se bene rei publicae praefuturum, et cultum in primis diuinum curae cordique habiturum polliceretur. Id vero quum non difficulter sponderet, repertus est GVNTBALDVS, monachus (y), qui sub religionis specie cum ad PIPPINVM,

(q) *Vita Ludouici pag.* 303. *Annal. Bertin. ad a.* 830. Nithard. *lib. I. pag.* 436.

(r) *Pag.* 303.

(s) *Lib. I. pag.* 436.

(t) Ait Nithardus: *et Lotharius quidem, eo tempore re publica adepta, patrem et Carolum sub libera custodia seruabat, cum quo monachos; qui eidem vitam monasticam traderent, et eamdem vitam illum adsumere suaderent, esse praeceperat*. De patre ne haec intelligenda sint, an de filio, paene ambiguus haereo, quia verborum nexus posteriorem interpretationem videtur requirere: at quia Carolus tum adhuc infans erat, qui certi quid de rebus suis statuere per aetatem nondum poterat: potius id de patre accipiendum esse, aliquis existimauerit. Nihilominus de Carolo hunc locum capio. Monachorum enim institutione vix indigebat Ludouicus, qui *tradere illis vitam monasticam*, quam ab illis traditam accipere rectius potuisset. At puero necessaria videbatur illa institutio, quem cucullum pro purpura eligere, eo magis intererat Lotharii, quo minus ei placebat postrema illa regni partitio, quoque magis verendum erat, ne ei in posterum a patre multo plus, quam reliquis fratribus tribueretur.

(u) *Cap.* 36. *pag.* 310.

(x) *Lib. I. pag.* 437.

(y) Fuisse hic monachus videtur Aquitanus, qui PIPPINVM in ea expeditione, more illius saeculi, fuerat comitatus: et hinc eius opera opportune vsus est LVDOVICVS imperator ad

qui non procul hinc aberat, tum maxime ad LVDOVICVM in Boioariam proficiscebatur, et utrique spem faciebat amplioris regni, si patrem a LOTHARII fratris iniuriis vindicarent. Quibus promissis excitati hi filii, suam quisque gentem, in procinctu esse iusserunt, omnesque vocabant ad signa, qui saluam esse cuperent rem publicam. Interea de indicendis comitiis cogitatum. Quae quum Lotharius patri; hic filio inimica esse cuperet: de loco, quo conuocandi essent proceres, diu disceptatum est. Nam, teste *vitae Ludouici* auctore (z), ii, qui patri male cupiebant, conuentum illum in Francia haberi volebant. Imperator, *qui diffidebat Francis, magisque se Germanis credebat*, id agebat per suos, vt in Germania, vel ambarum prouinciarum finibus vtriusque Franciae optimates confluerent, eaque sententia, magno illius bono praeualuit (a). Electa ergo Neomagum, vrbs ad Vahalim celeberrima, quo kalendis Octobribus non modo magna seditiosorum turba, sed et multo maior Germanorum multitudo, imperatori auxilio futura confluxit. Iam antea prudenter per suos cauerat imperator, ne quid nouarum turbarum in Gallia oriretur, ea cura LAMBERTO comiti, et HELISACHARI abbati demandata. Nec minus opportune edicto cautum fuerat, ne quis ibi, nisi *cum simplici commeatu*, id est, sine armatis hominibus adesset. Quod edictum quum nihili fecisset HILDVINVS, abbas potentissimus, sed suspectae fidei homo (b), isque copias armatas adducere non dubitasset,

ad Pippinum sibi conciliandum. Iam in monasterio Karoffensi Aquitanico saeculo VIIII. floruit GVNDBALDVS *abbas*, cuius mentio fit in *Nominibus monasteriorum, quibuscum Augiense saeculo illo societatem habuit*, apud Mabillon. *Analect. tom. IIII. pag.* 644. Et potuit sane monachus noster, tam bene de imperatore meritus hanc abbatiam remunerationis caussa accepisse.

(z) *Pag.* 393.

(a) *Ibid.* et *Annal. Bertin. ad a.* 833.

(b) Celeberrimus hic illo tempore abbas, monasterio S. Dionysii iuxta Parisios praefuit, S. Walloni abbati successor datus anno 814. postea et monasteria S. Medardi Suessionensis et S. Germani prope Lutetiam rexit, ipsa archicapellani dignitate functus circa annum 818. denique quum magna Ludouici imp. gratia floruisset, subito ab eo ad Lotharium defecit, et hinc in Saxoniam hoc anno relegatus dicitur. Coint. *Annal. eccles. Gall. ad annos* 814. 817. 818. 830. *seqq.* Quae ipsa est haec relegatio, cuius iam ex *auctore vitae Ludouici pag.* 393. fecimus mentionem. Restitutus tamen anno insequente pristinae dignitati *Areopagitica* illa scripsit, quae *Coloniae* 1562. prodierunt, quibusque inter primos ostendere conatus est, Dionysium illum Areopagitam, cuius *Act. XVII.*, 34. fit mentio, eumdem esse cum illo, quem Galli apostolum venerantur, eumdemque genuinum scriptorum, quae sub eius nomine circumferuntur, auctorem habendum. Cuius futilissimi operis patrocinium contra Bosquetum aliosque viros doctissimos magno quidem cum adparatu, at infeliciter, suscepit Andr. du Saussay *de mystic. Gall. script. pag.* 346. *sequ.* quum caussam omnem Io. Dallaeus *libro de scriptis Dionysii Gen.* 1666. iam pridem perorarit. Obiisse dicitur homo ingratissimus, et pessime de domino suo meritus in monasterio S. Medardi anno 842. Sed id falsum esse oportet, si is est idem *Hilduinus*, qui apud Lotharium imp. archicancellarii munere functus est, cuius vice Rudmundum et Rinaldum anno 844. et 848. diplomata istius principis recognouisse, docet Bern. Mallinkrot *de* can-

set: imperator, tantis auxiliis fretus lacertos mouit, et hominem ingratissimum grauiter obiurgatum e palatio exisse, iussum iuxta Paderbornam sub tentoriis hibernare coegit: nec minus VValam, perfidiae procul dubio non minus suspectum, Corbeiam in monasterium suum relegauit, eoque exemplo ita perterruit seditiosos, ut, quo se verterent nescii, noctem totam apud Lotharium peruigiles agerent, eique, vt aut manum cum patris copiis illico confereret, aut secum insalutato patre discederet, persuadere conarentur. At pater se iam superiorem esse animaduertens, LOTHARIO summo mane per certos homines denunciat, vt deserta perfida illa factione, ad se sine mora veniat, et secum communes hostes persequatur. Paret filius, quamuis fremente rebellium turba, et viribus suis diffisus, patrisque de pietate ac mansuetudine certus, palatium statim ingreditur. Pater vero supplici tam facile ignouit, vt ne acrius quidem increparet tam indignum tanto patre filium. Vix vero interiores palatii partes intraverat, quum iam in furorem actum promiscuum vulgus concurreret. Veritis enim seditiosis, ne quid tristius LOTHARIO accidisset, iis vero, qui imperatori fauebant, ad quemuis tumultum sedandum paratis, res procul dubio ad manus venisset, nisi imperator una cum filio in publicum processisset. Quorum conspectu, accedente graui imperatoris oratione, tanta subito facta est rerum commutatio, vt nemo quidquam audendum sibi existimaret. Quem quidem rerum euentum reputanti, numquam mihi clarius emicuisse videtur optimi principis maiestas, quam quum omni paene imperio spoliatus abbates potentissimos oratione in exsilium ageret, LOTHARII pertinaciam paterno iussu frangeret, plebem furibundam sola oculorum acie compesceret, totumque consensionis globum sine vi belloque disiiceret. Actum iam fuisset de rebellibus, nisi eorum crimine maior fuisset imperatoris clementia. Iam enim prehensi coniurationis auctores in vinculis erant, iam in comitiis accusati ac conuicti, communibus omnium procerum, ipsiusque LOTHARII suffragiis, feralem sententiam audiuerant, nihilque reliqui videbatur, quam vt inauditum scelus dirissimis suppliciis expiarent, quum imperator sui memor, omnibus eatenus ignosceret, vt clerici aeque ac laici in monasteria detrusi de

 se

cancell. et archicanc. imp. pag. 18. Quibus nos addimus diplomata Lotharii anni 848. apud Baluz. *Capitular. tom. II. pag.* 1458. anni 855. apud Calmet. *Probat. hist. Lotharing. tom. I. pag.* 506. Saltim in eo alucinatus est doctissimus Mallinkrotius, quod Hilduinum nostrum postea ad episcopatum Virdunensem euectum existimat. Hilduinus enim Virdunensis ab Abbate illo diuersissimus, per omnem vitam Ludouico Pio adhaesit, eoque mortuo Caroli Calui partes sectatus, et, vt Bercar. in *Hist. breui episc. Virdun. cap.* 17. notat, *magno odio habitus*, vita excessit circa annum 854. Calmet *dans l'histoire de Lorraine tom. I. liv.* XIII. *pag.* 636. At idem Calmet in *probat. tom. I. pag.* 303. adfert diploma Lotharii scriptum anno 840. in quo iam successorem HILDVINI in abbatia S. Dionysii vocat *virum venerabilem et propinquum suum* HLVDOVVICVM, HILDVINVM autem *venerabilem vocatum archiepiscopum, hericque palatii sui notarium summum.*

se ipsis supplicium sumerent (*c*). Haec nemo adcuratius litterarum consignauit monimentis, quam saepe laudatus astronomus, cuius diligentia destituti hodie pleraque ignoraremus. At id mireris merito, virum diligentissimum, et comperta scribentem, vix paucissimorum, qui tum perduellionis crimine se polluerint, nomina expressisse. Siue inuidiam metuerit, siue famae eorum, quorum vitae imperator pepercerat, parcendum putarit: minus solidam ea verecundia gratiam iniit a posteris, qui hic vix quidquam hodie, nisi per nebulam vident (*d*). Nec rectius et hic, et reliqui annalium scriptores paene omnes, interfuisse his comitiis LVDOVICVM nostrum, eumque praecipue LOTHARII fratris consilia turbasse dissimulant, quod tamen recte obseruans THEGANVS (*e*): *ibi*, inquit, *fuit* AEQVIVOCVS FILIVS *eius*, *qui in omnibus laboribus patris adiutor eius exstitit*. Exitus ergo comitiorum is fuit, vt damnatis perduellibus, LOTHARIVS fidem patri iuraret, regnoque Italiae in praesens contentus esse iuberetur (*f*), Ludouicus vero pristinum fastigium, plenamque auctoritatem veluti postliminio reciperet.

§. X.

Represso tam ferali tumultu, imperator, veluti sibi redditus, Aquisgranum cum LOTHARIO filiisque reliquis repetiit, ibique hiemem illam exigere statuit. Vt vero omnia in priorem locum restitueret

(c) Inter hos triste exsilium fuit Walae, abbatis Corbeiensis, a Ludouico relegati in lacum Lemanum, et *altissimae artissimaeque specui, quo nullus esset accessus, conclusi*. Paschas. Ratbert. in *Vita Walae* apud Mabill. *Annal. Bened. saec. IIII. part. I. pag.* 502. Sed solet hic auctor omnia, quae illi homini contigerunt, ita exaggerare, vt vix ullus confessor plura passus videri posset, quam perduellis ille pertinacissimus.

(d) Fuere in eo numero HVGO, Lotharii socer, cuius stemma genealogicum supra *cap.* 4. §. 14. (m) *pag.* 790. dedimus. Quare vix dubitandum, quin et reliqui eius propinqui, et maxime LVTARDVS et ADALARDVS filii, nec non GERARDVS, ERMENGARDIS, LOTHARII vxoris, consobrinus in eadem factione fuerint. Deinde inter rebelles istos numerantur IESSE, episcopus Ambianensis, quem Theganus *cap.* 36. in hoc ipso conuentu sacerdotio priuatum esse testatur, itemque WALA et HILDVINVS, abbates, quorum de personis fatisque iam alibi diximus. Denique memorantur MATFRIDVS, comes Aurelianensis, quem malorum omnium incentorem cum aliis seditiosis in Italia anno 836. decessisse, tradunt auctor *Vitae Ludouici pag.* 412. Theganus *de gest. Lud. cap.* 55. *Annal. Bertin.* et reliqui *ad a.* 836. LAMBERTVS comes siue Andegauensis, siue Nannetensis, eodem anno mortuus. *Vit. Ludou. ibid.* Vid. Murator. *ad Ermold. Nigell. de reb. Ludou. Pii lib. III. not.* 98. et WARINVS, comes Aruernorum, dux vocatus a Nithardo, *lib. IIII. pag.* 483. marchio in diplomate Caroli Calui, de quo, quod dicam, non habeo, nisi quod in mox sequutura rebellione a Ludouico Pio, eoque mortuo a filiorum natu minorum partibus stetisse videatur. Vid. *Vit. Ludouici pag.* 405. Chron. e *Biblioth. Memmiana ad a.* 841. Interfuit etiam rebellium istorum turbae HELISACHAR abbas et archicancellarius, de quo infra plura dicemus.

[e] *Cap.* 37.

[f] Thegan. *ibid.* Nithard. *lib.* I. *pag.* 427.

fueret, nihil prius, nihilque antiquius habuit, quam ut IVDITHAM, eiusque fratres, ab inimica factione in monasteria detrusos, reuocaret. Quam mense Februario anni 831. aduentantem benignissime quidem, vt credere par est, excepit, at non prius recepit in torum, quam adulterii suspicionem, vt superiore anno Neomagi decretum fuerat (g), eo, quem leges praescripserant, modo a se esset amolita. Conuocatis ergo proceribus, primum ea, quae Neomagi decreta fuerant, firmantur, hinc IVDITHA admissa in concilium, paratam se esse testabatur, ad omnia crimina, quae de se in vulgus sparsa essent, diluenda. Quum ergo publice citatis illis, qui augustam probri conuincere vellent, nemo, vt fit, adesset: imperatrix imperatore et filiis eius praesentibus praestito conceptissimis verbis iureiurando purgauit pudorem suum, et iussu GREGORII, papae, de communi principum ecclesiasticorum sententia, iustae vxoris honorem recuperauit (h). His peractis, imperator PIPPINVM in Aquitaniam, Ludouicum in Bauariam dimisit, nouumque conuentum in Maium mensem Ingelhemium indixit; ipse vero Aquisgrani dies paschatos festo adparatu, vti consueuerat, celebrauit. Ingelhemii et Lotharium honorifice excepit, et rebelles capitis antea damnatos, libertatique et fortunis postea restitutos in gratiam recepit (i), laudabili quidem, at perniciosa, si euentum reputemus, indulgentia (k). Soluto eo conuentu LVDOVICVM Pium in Vosagi iugis venationibus et piscationibus vacasse, LOTHARIVM iussu patris in Italiam discessisse, ait *Vitae Ludouici* auctor (l): *Annales* vero *Bertiniani* (m) eum adhuc comitiis auctumnalibus Theodonisuillae eodem anno habitis interfuisse, scribit. Quod ego magis crediderim, quia et THEGANVS (n) refert, adfuisse tum BERNARDVM, Septimaniae ducem, crimina singulari certamine purgaturum coram imperatoriis filiis LOTHARIO et LVDOVICO, si accusator aliquis esset adfuturus, nullo vero, qui id certamen obire vellet, reperto, eum iureiurando calumniam elisisse (o). His ergo demum solutis comitiis, et patre reuerso Aquisgranum, Lotharius in Italiam videtur profectus.

§. XI.

[g] *Annal. Bertin. ad a.* 830.
[h] *Annal. Bertin. ibid.* Thegan. *cap.* 37. *Vita Ludou. pag.* 305.
[i] At fuere tamen quidem, quos biennio post demum ab exsilio reuocarunt imperatoris filii, veluti WALA et HELISACHARVS, abbates, et MATFRIDVS, comes. Nithard. *de dissens. fil. Ludou. lib. I. p.* 438. Sed sciendum, hos adeo pertinaces fuisse, vt adspernati sint hanc imperatoris clementiam. Memoriae enim prodidit Paschas. Ratbert. in *Vita Walae*, *pag.* 502. Walam libertatem ea lege sibi oblatam, vt se peccasse fateretur, et in posterum imperatori pareret, repudiasse, caussatum conscientiam. Ob quam rem eum primum in nouum monasterium, in insula quadam versus Pictauos situm, atque inde in coenobium quoddam Germanicum relegatum, postremo Corbeiam remissum, sed ita, vt ibi amissa dignitate abbatis priuatus viueret.
[k] *Vit. Lud. ibid. Annal. Bertin. ad a.* 813.
[l] *Ibid. pag.* 305.
[m] *Ibid. pag.* 187.
[n] *Cap.* 39.
[o] *Vit. Ludou. Annal. Bert. ibid.*

§. XI.

Quamuis vero iam defunctus omni periculo videretur pater infelicissimus: mox tamen nouum incendium, male sopitum, in flammas tanto perniciosiores erupit. Promiserat pater Pippino et Ludouico nauatae sibi operae praemium, regni augmentum, idque promissum iure quodam suo sibi vrgere videbantur. Iam patrem quidem stetisse promissis, et vtriusque regnum auxisse testatur NITHARDVS (p): sed aut priuatim id factum esse oportet, aut accessio illa tam exigua fuit, vt non satisfieret iuuenum ferocissimorum cupiditati. Saltim sibi non eam gratiam, quam meruisse sibi existimabant, relatam, vterque querebatur. Accedebat nouus in palatio tyrannus, GVNTBALDVS, monachus, qui, quod pro liberando principe strenuam operam nauasset, in aula loco BERNARDI dominabatur, rationesque omes PIPPINI et LVDOVICI, se primo in posterum loco apud patrem futuros, sperantium, facile turbauit (q). Quod adeo momordit iuuenes, vt sese a patris amicitia plane seiungerent. Alienum a patre animum iam hoc ipso anno 831. primus prodidit PIPPINVS, dum ad comitia Theodonisuillensia venire iussus, parere primum noluit, postea que, frequentibusque legationibus accitus, tardissime, et quum iam pridem diffluxisset procerum concilium, paucis ante natalem Christi diebus adsuit (r). Imperator nouam hanc pertinaciam aegre ferens, eum parum honorifice, teste *annalium Bertinianorum* conditore exceperat, et inuitum diutius, quam vellet, Aquisgrani detinere decreuerat. At ille morae impatiens, ineunte anno 832. ipso Innocentium die, intempesta nocte e palatio, tamquam e carcere, fugit, et inconsulto patre rediit in Aquitaniam. Dici non potest, quam ea res perturbarit patris animum, quem prioris ignominiae memoria nihil moderabile sperare a tam insolente filio patiebatur. Statim ergo suos, quid factu opus videatur, consulere in medium iubet. Suadent omnes, vt comitia frequentissima Aurelianos indicat, ad eaque et Lotharium ex Italia, et Ludouicum ex Boioaria euocet. In his, nisi Pippinus imperata faciat, capiendum esse consilium, nec difficile fore, eum, priusquam ingrauescat malum, de communis procerum sententia in ordinem cogere. Id consilium et imperatori placet, qui statim missis legationibus et edictis propositis, illum conuentum indicit, proceresque Aureliani frequentes adesse iubet. Enimuero haec agentem, et veluti iam vasa conclamantem nouus percellit nuncius, LVDOVICVM quoque filium, quem adhuc semper obsequentissimum habuerat, cum valida Boiorum et Slauorum manu inuasisse Alamanniam, CAROLO iam pridem attributam, eius prouinciae principes sollicitare, fidei tenacioribus ferrum flammasque minari, immo ita componere rationes, vt multo maiora concupiscere, et praeter Alamanniam, etiam Franciam, et quidquid patri

(p) *Lib. I. pag.* 437.
(q) Nithard. *ibid.*
(r) *Vita Ludou. Pii pag.* 306. *Annal. Bertin.*

patri armis extorquere posset, adiicere velle videatur: quo consilio eum iam ad monasterium S. Nazarii Laureshamense peruenisse, mox iturum ulterius, nisi mature imperator rebus suis esset consulturus (s). Animaduertit pater, LOTHARIVM sibi id negotium facessere (t), con sultissimumque fore, incendium illud, priusquam inualesceret, extinguere. Conuocatis ergo ex vtraque Francia et Saxonia copiis, iisque a. d. XIIII. Kal. Maias praesto sibi esse iussis circa Moguntiam, cum vniuerso exercitu, Rheno Moenoque transmissis ad Triburiam castra posuit. Contra LVDOVICVS filius Langhardhemii, (hodie *Lambersheim* iuxta Weinheimium,) cis Rhenum haerebat, exspectans proceres Alamannorum, quos eius fidem illico veluti ex compacto sequuturos esse, illi, a MATFRIDO fuerat persuasum. Alioquin enim tumultuarium ducebat exercitum, non modo ex hominibus liberis, sed et ex seruili colluuie, quam praeter morem patrium (u) ad signa vocauerat, conflatum, ideoque facile animaduertit, imparem se fore patri,

(s) Thegan. *de gest. Ludouici Pii cap.* 39.

(t) Hunc quoque motum excitauit LOTHARIVS, qui in Italiam veluti relegatus, et eo regno contentus esse iussus, non desiit patri facessere negotium, fratresque aduersus eum irritare. Testem huius rei Theganum habemus, qui *cap.* 39. *pag.* 311. *alio vero anno*, inquit, *post pascha auditum est, quod aequiuocus filius eius* CVM CONSILIO LOTHARII *voluisset visitare patrem inhoneste, et venit vsque ad monasterium S. Nazarii*. Nescio ergo, an satis prudenter imperator filium sibi infensum, et parte regni mulctatum miserit in Italiam, vbi promta illi esset res nouas moliendi occasio. Eiusdem tragoediae pars non minima fuit MATFRIDVS, cui imperator superiore anno gratiam supplicii fecerat, multis vanis promissis iactans Ludouicum, eique spem faciens, fore, vt omnes Alamanniae et Franciae orientalis proceres a patre deficerent, seque Ludouico dederent. *Annal. Bertin. ad a.* 832. Adeo periculosum est ignoscere rebellibus, quibus plerumque cum vita et libertate noua omnino peccandi licentia datur.

(u) Numquam Germani, et Franci maxime, seruilis conditionis homines militare patiebantur, non sine ratione veriti, ne fraena morderent, si armis adsueti Spartatum aliquem ducem inuenirent. Hinc semper honorificum apud Germanos fuit *militis* nomen, quia id numquam cum faece illa hominum communicari videbant. Guntherus sane in *Ligurino*, *lib. II. v.* 151. *seqq.* eo nomine miratur gentem Langobardicam, quae nullum ea in re delectum habuit,

Vtque suis omnem depellere finibus hostem
Posset, et armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia foedum
Iudicat, accingi gladio concedit equestri.

Quid? quod notae sint ipsae Francorum leges, seruos vel rusticos arcentes a militia, liberosque dumtaxat admittentes, quibus quatuor mansorum erat possessio, *Capitular. a.* 812. §. 1. apud Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 489. seruos vero ne lanceam quidem ferre permittentes. *Capitular. lib. V.* §. 227. et *lib. VI.* §. 271. Aliquando tamen et serui in re trepida ad signa vocabantur, quemadmodum Trasimundus marchio apud Mabillon. *Annal. Benedictin. saec. VI. part. I. pag.* 488. *plures populares et rusticanos depraedandi caussa in comitatu habuisse* legitur. Quod eo minus mirandum, quo notius est, ne Romanos quidem, si Hannibal esset ante portas, seruos armare dubitasse. Lips. *de milit. Rom. lib. I. dial. II pag.* 22. et in *Analect. ad h. l. pag.* 414. *tomo III. Oper.*

tri, ad quem vndique copiae lectiſſimae et rebus omnibus inſtructae confluxerant. Hinc quum praeterea non paucos ſuorum fuga dilabi, et ad imperatorem deficere intelligeret, motis caſtris praecipiti itinere in Boioariam redit, futurum ſperans, vt ibi novis copiis auctus patris impetum vtcumque ſuſtineat (x). At pater filio nullum ad reſpirandum tempus relicturus eum e veſtigio perſequitur, et ducens exercitum per Alamanniam, quam vbique ferro flammiſque vaſtatam cum dolore vidit, Auguſtam Vindelicorum peruenit. Belli exitus fuit, vt filius patri ſupplex fieret Auguſtae, et impetrata venia, fideque in poſterum iureiurando promiſſa, in Boioariam rediret, imperator, dimiſſo exercitu, Salzam (y), vbi imperatrix ipſi occurrebat, atque inde nauibus Moguntiam, demum, vt ex Thegano (z) patet, Francofurtum proficiſceretur. Adfuit ibidem et Lotharius, quem ex Italia euocatum diximus, quo praeſente, et ſuſpicionem omnem concitati fratris a ſe male amoliente, comitia Aurelianenſia, tumultu iſto Bojoarico turbata, in futuras kalendas Septembres indicuntur (a).

§. XII.

Ad conuentum iſtum imperator cum ſuis mature proficiſcebatur, data etiam hoſtibus facultate eo veniendi, ſi quam ſibi iuſtam querendi cauſſam habere viderentur (b). Euocatus fide publica fuerat etiam Pippinus, cuius inſolentiam tum pater vel ideo maxime pertime-

(x) Thegan. *cap.* 30.

(y) *Annaliſta Bertinianus ad a.* 832. Ludovicum imperatorem *per* AVSTRIAM *ad* SALZ, *et inde nauali itinere Moguntiam veniſſe* ſcribit. SALZA, quae veteribus etiam *Salſa*, *Saliſa*, *Saloisla*, *Saliſa*, et *Selz* in *Itinerario* Antonini Pii *Saliſco*, a Dithmaro Merleburgenſi *lib. IIII. pag.* 336. *Celſa*, hodie *Selze* dicta, notiſſimum eſt oppidum et olim palatium, ad Rhenum, intra Alſatiam, vbi olim Adelheidam auguſtam, Ottonis M. viduam, celebre monaſterium condidit, de cuius fatis conſulendi Odilo in *Vita Adelheid. cap.* 7. *pag.* 265. apud Leibnit. *Script. rer. Brunſu. tom.* I. Freher. *Orig. Palat. parte II. pag.* 77. et Toelner. in *Hiſtor. Palat. pag.* 108. Eo perueniſſe imperator dicitur per AVSTRIAM. Iam Auſtriam plerique interpretantur de pago vel tractu Herbipolenſi, de quo plura Paullini *in Geograph. pag.* 18. Eccard. *Corp. hiſt. tom. I. pag.* 601. et abbas Gottwicenſis in *Prodrom. lib. IIII. pag.* 553. Sed quis crediderit, Ludouicum imp. *Salzam* petiturum tranſmiſſo Danubio ad Moenum, ac inde ſuperatis Nicro et Rheno Salzam iuiſſe, vt nauibus Moguntiam veniret, quum recta, et multo breuiore, via Herbipoli Moguntiam iter facere potuiſſet? maxime quum in mora eſſet periculum, neque imperatori tunc liceret quaſi per otium luſtrare prouincias. Aut ergo Auſtria hic eſt tota orientalis Francia, aut in mundo cubat ille locus, legendumque *Albigouia*. Per eum enim pagum, Salzae cis Rhenum oppoſitum, de quo idem abbas in *Prodr. Gottwic. ibid. pag.* 534. iter faciendum fuit Ludouico imperatori, Auguſta Vindelicorum recta via Salzam ituro. Nihil facilius fuit, quam pro tractu ignoto, notiorem in chartam conficere.

(z) *Cap.* 40.

(a) *Annal. Bertin. ad a.* 832.

(b) *Annal. Bertin. ibid. adnunciatum eſt, ibi vnumquemque hoſtem libere aduenire.*

timescebat, quod BERNARDI, Septimaniae ducis, imperatori iam infensi, consiliis vti diceretur (c). Sed is patris conspectum fugiens, in Aquitania haerebat, nec vllis cohortationibus moueri patiebatur, vt supplex fieret patri, fratrumque exemplum sequeretur. Hinc pater, solutis comitiis cum expedita manu, transmisso Ligeri, in Limouicinum ad palatium Iocundiacense mouit. Tum demum PIPPINVS, desperatis rebus suis, inuitus patri obuiam proficiscitur. Sed hic iam solito seuerior, filio non solum fugam verbis tristioribus exprobrat, verum etiam eum cum familia in Franciam ire iubet, ibi certo loco, quo visum patri fuerit, tamdiu moraturum, donec emendati animi certiora indicia adparerent (d). Nec minus succensens BERNARDO, duci, tamquam sibi filium et in'ano furiosum reddenti, et pristinorum beneficiorum immemori, eum, quamuis non adeo certis argumentis conuictum, honoribus ac beneficiis exuit, atque iis rebus confectis in Franciam redire statuit. Sed PIPPINVS, obsequium simulans, cum custodibus sibi adiunctis Treueros, quo exsulatum eum mittere pater decreuerat, proficiscitur. Vix vero ad Theoduuadum (e) palatium peruenerat (f), quum, deceptis custodibus, fugam iterum capesseret, et per Aquitaniam hac illac vagaretur, sperans procul dubio, imminente hieme coactum iri patrem, vt exercitum re infecta in hiberna reducat, seque, eo absente occasionem, res suas stabiliendi, nacturum. Neque fefellit eum opinio, Imperator enim omnia ad mensem vsque Nouembrem expertus, vt filium perditissimum ad officium reduceret, inclementissima hieme exercitum ex Aquitania reducit, et transito ad Restim Ligeri, sed tanta cum clade, vt adstricta glacie humo plerisque equis soleae deciderent, ipseque demum circa Christi natalem cum copiis suis haud parum deminutis ad Cenomanos (g), inde celebratis feriis natalibus, Aquisgranum festinato itinere veniret (h).

(c) *Vita Ludou. pag.* 396.

(d) *Annal. Bert. ibid. Vita Ludouici ibid.* Thegan. *cap.* 41.

(e) THEODVVADI, palatii passim mentionem faciunt veteres, et quidem praeter Theganum *cap.* 41. Auctor *Vitae Ludouici Pii ad a.* 706. *pag.* 344. et Ermold. Nigell. *de rebus Ludouici Pii, lib. II. v.* 94. vbi ille ita describitur:

Trans fluuium Ligeris locus est, quippe vber et aptus,
Cingitur hinc siluis, hinc quoque planicie.
At medius placido fluuiorum gurgite vernat,
Piscibus est habilis, est locuplesque feris.
Quo Hludowicus ouans praecelsa palatia struxit,
Quaeris inest Theoduuat, nomen amice sibi.

Vestigia nominis et palatii superesse et hodie dicuntur in dioecesi Andegauensi in vico, quod hodie *Doadum*, seu *Doue* adpellatur. De eo plura Hadr. Vales. *Notit. Gall. sub illa voce*, Mabillon. *de re diplom. lib. IIII. cap.* 142. et Ludou. Ant. Murator. *ad Ermold. Nigell. loc. laudat. nota* 15. Et sane tabulae geographicae hunc vicum sistunt vltra Ligerim infra Andegauorum vrbem, vt adeo Ligerim nondum superarit PIPPINVS, quum fuga eum in Aquitaniam auferret.

(f) Thegan. *ibid.*

(g) *Vita Ludouici pag.* 397. *Annal. Bertin. ad a.* 832.

(h) *Vita Ludouici ibid. Bertin. ad a.* 833. Thegan. *cap.* 41.

§. XIII.

Antequam signum receptui daret imperator, circa missam S. Martini, id est, a. d. III. Id. Nouembr. conuentum populi in Aquitania, teste ASTRONOMO (*i*), habuit. In quo quid actum sit, ex iis, quae iam diximus, non difficulter intelligitur. Offensus enim filii pertinacia ei Aquitaniam ademit, et prouinciae proceres illi in posterum dicto audientes esse vetuit. Quod quidem vitio fortassis verti non posset patri adflictissimo, nisi ea occasione denuo ostendisset, se totum a IVDITHAE augustae nutu pendere. Regnum enim illud amplissimum iam CAROLI portioni adiecit, eiusque ordines in filii istius natu minimi verba adegit, atque adeo totum imperium inter LOTHARIVM et CAROLVM ita diuisit, vt hic Alamanniam, Burgundiam, et Aquitaniam; ille, praeter Boioariam, reliqua omnia, patre mortuo, sortiretur. Testes eius rei locupletissimos habemus NITHARDVM (*k*) et ASTRONOMVM (*l*), quorum ille: *per idem tempus*, inquit, *Aquitania*, PIPINO *demta*, KAROLO *datur*, *et in eius obsequio primatus populi, qui cum patre sentiebat, iurat*: hic vero, rem paullo adcuratius his verbis exprimit: *et tunc quidem imperator, inter filios suos*, LOTHARIVM *atque* CAROLVM, *quamdam diuisionem regni constituit, quae tamen ingentibus impedimentis, quae dicenda sunt, pro voto minime cessit*. Et sane non potuisset imperator vllum consilium rebus suis perniciosius capere. Nam primo ipse LOTHARIVS ideo patri succensuerat, quod Alamanniam et Burgundiam, portioni suae subtractam, Carolo attribuisset. Quanto aegrius eum laturum probabile erat, fratri iam et Aquitaniam, partem Galliae non minimam, addi ei? Deinde LVDOVICVM nostrum non minus grauiter ferre oportebat eam diuisionem, in qua nec sui habitam rationem, et fratrem natu minimum sibi maiori nouercae artibus praelatum esse, indignabatur. Praeterea ita promtissima occasio erat cum PIPPINO, tum rebellibus, nouos excitandi tumultus, persuadendique aliis, patrem nouercalibus furiis instinctum abiurare naturam, male iudicare de sanguine suo, Pippinum, filium non male antea de se meritum, armis persequi, Treueros deportare, quin et regno exuere non dubitasse: neque alio consilio, ceu euentus ostenderit, id factum esse, quam vt spoliis istis locupletaretur CAROLVS. Hinc nullam LVDOVICI rationem esse habitam: LOTHARIVMque non ex beneuolentia quadam paterna, sed tantum, vt tanto plus attribui possit CAROLO, in partem vocatum. Rem ipsam monere, dandam aliquando esse operam, ne quid res publica, pessime per tot annos administrata, detrimenti capiat. Talia enim eo tempore iactata esse, restatur *vitae Ludouici* auctor (*m*): *humano porro generi pacique contrarius diabolus nequaquam ab infestatione imperatoris feriebatur: sed per satellitum suorum versutias filios sollicitabat*,

(*i*) *Vit. Ludouici pag.* 397.
(*k*) *Lib. I. pag.* 437.
(*l*) *Ibid. pag.* 397.
(*m*) *Ibid. pag.* 397.

bat, persuadens illis, quod pater illos vltro perdere vellet, nec considerantes, quod qui mitior hominibus externis esset, immanis non poterat effici suis. Sed quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, et lapidum etiam duritiem mollis aquae guttula saepius illisa terebrare solet: tandem ad id ventum est, vt filios imperatoris in unum cum copiis, quibus poterant, coire facerent. Cui adstipulatus NITHARDVS (n) *quod quidem*, inquit, *hi, quos supra retulimus, grauiter ferentes, vt res publica inutiliter tractaretur, diuulgant, populumque quasi ad iustum regimen sollicitant.* Et hic fuit exitus expeditionis Aquitanicae, qua tantum abest, vt tumultus ille a PIPPINO excitatus repressus sit, vt vel hac ipsa seueritate incredibile, non modo filiorum, sed et procerum ciuiumque odium aduersus imperatorem exarserit, insequente statim anno 833. in bellum istud ferale, quod LVDOVICVM Pium in summum periculum adduxit, erupturum.

§. XIIII.

Nimirum iam annum ingredimur 833. quem singulari elogio in fastis suis signauit *Monachus Sangallensis* apud DVCHESNIVM, (o): *annus 833. Francorum dedecus*. Eo enim anno eamdem tragoediam spectarunt Franci, quem Hebraeorum res publica in DAVIDE vidit, nisi quod LVDOVICO imperatori non vnus ABSOLOMVS, sed eorum triga domi esset. Quamuis admiranda in eo eluxerit diuini numinis prouidentia, quod ex ipsa filiorum rebellium multitudine fructum aliquem caperet pater infelicissimus. Solutis comitiis Aurelianensibus, LOTHARIVS in Italiam, LVDOVICVS in Boioariam redierant. Sed audita illa inofficiosa diuisione, a patre facta, statim vterque cum PIPPINO aduersus patrem, nouercam, et fratrem consanguineum coniurauit. Neque deerant huic factioni flabella. IVDITHA enim tam exosa erat omnibus, vt apud plerosque plus huius Medeae odium, quam summa optimi principis merita, valerent. Quum ergo satis animaduerterent coniurati, opus ad eam rem esse idoneis hominibus: primum VVALAM, HELISACHARVM (p), MATFRIDVM, et similes,

Q 2 in his

(n) *Lib. I. pag.* 436.

(o) *Tom. III. pag.* 468.

(p) Celeberrimum hoc est in eorum temporum annalibus nomen. Quum ergo de reliquis rebellibus plus satis dictum sit: huius etiam viri illustris notitiam aliquam dare operae fuerit pretium. Erat ille doctrina rerumque ciuilium vsu celeberrimus, dignusque, qui splendido archicancellariatus munere in Ludouici Pii palatio fungeretur. Vnde eius vice saepissime diplomata recognouisse legimus Arnoldum et Durandum. Bern. Mallinkrot *de archicancell. et cancell. imp. pag.* 15. Eo saepe in legationibus vsus fuerat officio, et ante biennium eum imperator reliquerat in Gallia *ad iustitias faciendas*: vt merito mireris, hominem tam amicum imperatori iam inter rebelles numerari. Sed iam tum imperatoris aduersariis accesserat, ac ideo missus fuerat in exsilium. Iam vero ingratus homo denuo filiis imp. aduersus patrem fauit. Sed erat eo sidere natus princeps, vt omnes, quos extulerat, malam illi gratiam referrent. Ceterum non modo S. Maximini, Treuerensis, vid. diplo-

in his rebus exercitatissimos, partim ex monasteriis extraxerunt, partim reuocarunt ab exsilio. (*q*) Deinde sua interesse existimabant, in partibus suis esse episcopos et clericos, quorum tanta et in comitiis, et apud populum, erat auctoritas, vt vel soli omnia pro lubitu in re publica agere posse viderentur. Id vero se non facilius consequuturos sperabant, quam si GREGORIVM Papam in partes suas pertraherent. Et huius animum facile flexit LOTHARIVS, caussatus patris iniquitatem, qua liberis e priore matrimonio susceptis regna semel data pro lubitu eripiat minuatque, impotentem nouercae dominatum, nefandas eius libidines, administrationem rei publicae pessimam, et ecclesiam simul pessumdaturam, nisi illi medela quam primum adferatur. Nec potuit profecto haec negligere pontifex, quum tot episcopi et abbates, imperatori antea deditissimi, iam easdem querelas ingeminarent, quos vix probabile erat sine caussa sontica principis alioquin pii partes deserere voluisse. Itaque facile se eo adduci passus est, vt non modo faueret liberis improbis, sed et comitem sese adiungeret LOTHARIO, expeditionem aduersus patrem suscepturo, cum eoque Alpes transscenderet. Nunciabantur haec imperatori, mense Februario adhuc Aquisgrani haerenti, filiique, quantascumque possent, conscribere copias ferebantur. Qua fama perculsus infelix pater non modo Alpium angustias, per quas LOTHARIO cum exercitu erat proficiscendum, occupari, praesidiisque firmari iussit, sed et ipse copias validissimas contraxit, fretusque vrbium Rhenanarum fide, ante mediae quadragesimalis tempus Aquisgrano primum Moguntiam, atque inde VVormatiam mouit, vbi et pascha et pentecosten festo ritu celebrauit, exercitumque sibi adesse iussit (*r*). Nec segnius filii ferale istud bellum gerebant, quorum copiae in Alsatia apud *montem Siguualai*, vti NITHARDVS (*s*) vocat, ac deinde inter Basileam et Columbariam in planicie, quam *Annalium Bertinianorum* auctor illo tempore ROTFELTH seu *rubeum campum*, reliqui scriptores aequales postea CAMPVM MENTITVM vel MENDACII dictum esse, obseruant (*t*), ex condicto conduce-

diploma Ludouici Pii a. 821. apud Calmet. *probat. tom. I. Histor. Lothar. pag.* 299. et S. Richerii Centulensis, Mabillon. *Annal. Bened. tom. II. pag.* 567. sed et plurium aliorum monasteriorum, et in his S. Albini Andegauensis abbas fuit, Ermold. Nigell. *de reb. Ludouici Pii, lib. III. v.* 306. quamuis numquam fuerit monachus, sed ordinis Canonicorum. Calmet *Hist. Lothar. lib. XIII. pag.* 623. *tom. I.* Laudatur ab Amalario, archiepiscopo Treuerensi, *in praefatione Antiphonarii*, tamquam *sacerdos Dei, adprime eruditus, et studiosissimus in diuino cultu, nec non et inter primores primus palatii excellentissimi HLudouuici imperatoris, qui in versibus illius operis emendandis laborarit ac sudauerit.* Fertur et mulieres aditu coenobii S. Richerii prohibuisse, Mabillon. *Annal. Bened. tom. II. pag.* 567. et in summa imperatoris gratia decessisse anno circiter 837. Calmet *ibid. pag.* 623.

(q) Nithard. *Lib.* 1. *pag.* 438.

(r) *Annal. Bertin. ad a.* 833.

(s) *Lib. I. pag.* 458.

(t) Hunc campum ROTFELTH *iuxta Columb* situm fuisse, testatur *Annalista Bertinianus ad a.* 833. *Columb* procul dubio est Columbaria vel Colmaria, notissima Alsatiae superioris

ducebantur. Aderat iam et LOTHARIVS cum pontifice Romano, qui per Alpium angustias, siue adiuuantibus fratribus, siue praesidiis nefarie diffugientibus, viam sibi facile aperuerat. Imperator, simulac pontificem aduenisse audiuit, in spem pacis erectus, legatos tum ad filios, tum ad ipsum pontificem misit, illos ad obsequium hortatus, hunc amice obiurgans, quod cum se reconciliandae pacis caussa aduenisse ferat, se conuenire cesset. Qui id memoriae prodidit, *Vitae Ludouici* auctor (*u*) vnum ex hac legatione vocat BERNARDVM episcopum. At quum praeter Viennensem tunc nullus reperiatur, qui id nomen tulerit, is vero, teste ADONE VIENNENSI inter reos coniurationis fuerit: NIC. SCHATENIVS (*x*), BADVRADVM Paderbornensem, imperatori semper fidum, castraque eius procul dubio sequutum, intelligendum esse suspicatur. Sed ait ADO VIENNENSIS, Bernardum illum Viennensem inter primos fugisse. Itaque cum in castris Ludouici Pii esse, et ad filios mitti potuit, tunc demum discessurus, quum frustrata spe pacis omnes defectionem meditari intelligeret. Vtcumque se res habeat, legatione illa nihil aequi ab exacerbatis filiis impetratum est. Papa vero moras, vti antea, nectit, et hinc iustam suspicionem mouet imperatori, non conciliandae pacis, sed filios auctoritate sua iuuandi caussa, eum aduenisse (*y*). Abiecta spe pacis imperator VVormatia

ris ciuitas. Prope illum campum hunc detexisse videtur scriptor *Historiae Alsaticae* nouissimus, P. Ludouicus Aguille *lib. X. pag.* 112. ubi obseruat, vix tribus leucis ab illa vrbe abesse planiciem, hodie dictam *Rotffac*, vel *Rubeacum*, eamque adlui amne, qui *Rotbach*, et hodie *Ohnbach* adpelletur. Hunc ergo esse ipsum campum *Rothfeld*, vel mendacii, et nomen et situs nos credere omnino iubent. Io. Schilterus tamen in *Epistola*, quam Mabillon. *tomo II. Annal. Benedictin. adpend. pag.* 739. edidit, eum campum inter Colmariam et Brisacum situm, hodie *Rotleube* vocari, tradit. Iidemne sint *Rufflac* et *Rotleube*, an de diuersis loquantur Laguillius et Schilterus, alii viderint. Vtinam et in *montem Siguualdi* eadem diligentia inquisiuissent viri doctissimi. Sed huius illos ne meminisse quidem video. Ceterum nisi me omnia fallunt, non alius est ille *Siguualdi mons*, quam qui inter *Landseronam* et *Lauffam* visitur. Neque enim alii ibi occurrunt montes versus Basileam et Colmariam tendentibus. Et commodus is erat locus, vbi venientes ex Aquitania, Boioaria, et Italia copiae confluerent,

(u) *Ad a.* 833. *pag.* 398.

(x) *Annal. Paderb. lib. II. pag.* 93. *tom. I.*

(y) Auctor *vitae Ludouici pag.* 398. satis perspicue docet, imperatori suspectum fuisse papam, partim quod in castris filiorum, se insalutato, haereret, partim quod fama percrebuisset, eum excommunicationis fulmen minatum esse omnibus, qui suae filiorumque imperatoris voluntati essent aduersaturi. At idem auctor πολιτικώτατος refert, episcopos, qui, se ab imperatoris partibus stare, simularint, omnem et metum eximere conatos esse, adfirmantes, *nullo modo se velle pontificis voluntati succumbere, sed, si excommunicaturus aduenisset, eum excommunicatum abiturum, quum aliter se habeat antiquorum canonum auctoritas*. Et Agobardus quidem *de comparatione vtriusque imperii* refert, se iussum esse ab imperatore aduersus papam scribere, ipsum imperatorem litteras dedisse ad episcopos omnes, qui imperio suo subessent, eosque fidei, quam sibi debeant, admonuisse, denique ipsos episcopos, quos secum tum habuerit, verbis satis duris ac minacibus scripsisse ad GREGORIVM papam, et inter Agobardi

maria Alsatiam versus mouet, et in eodem mendacii campo, vbi iam antea filii castra habebant, hostibus exercitum suum circa Ioannis Christi praecursoris natalem opponit. Tum demum pontifex, vbi castra castris opposita, remque iam iam ad manus venturam, animaduertit, ad imperatorem ire constituit, a quo satis frigide exceptus, et in castrense deductus tentorium, multis verborum lenociniis persuadere conatus est imperatori, non ob aliam caussam se iter hoc molestissimum suscepisse, quam quod inexorabile odium aduersus filios concepisse diceretur: sibi vero iustum visum esse arbitri ac sponsoris partes suscipere, vt, si qua fieri possit, pax inter patrem filiosque sua opera coalesceret. Quamobrem et mandata filiorum exposuit. Reponebat imperator, quod praesens tempus poscere videbatur, nihil eorum, quae filii postulabant, indulgens (z), et papam aliquot dies secum retentum, et multis muneribus, qualia et ipse papa obtulerat, honoratum, cum certis mandatis ad filios remittit (a). At nec rediit bellus iste pacis arbiter, et paullo post re ipsa compertum est, omnes illos, qui adhuc pro imperatore steterant, partim pecunia corruptos, partim illectos promissis minisue territos defectionem meditari (b). Hinc certatim episcopi et proceres ad filios transfugere, populus, duces sequutus turmatim, et vti *Vitae Ludouici* auctor (c) ait, *more torrentis defluere*, omnes denique principem, tamquam bidental, fugere, praeter DROGONEM, fratrem imperatoris, WILIRICVM et ALDERICVM, episcopos, cum aliis quibusdam episcopis et abbatibus, quibus fides ac honestas ante fortunam erat (d). Vna sane nocte maxima

bardi epistolas exstat GREGORII papae responsoria, verbis non minus acribus concepta. Sed euentus docuit, ludibrio hos homines habuisse optimum principem, et fortassis id egisse, vt imperatorem tanto magis aduersum papam irritarent, et huic eo iustior caussa esset, illum tamquam laesae maiestatis pontificiae reum vel diris deuouendi, vel exuendi imperio. Postquam enim intra teli iactum ventum fuerat, illi primi omnium desciuerunt ad hos, et se haec omnia decipiendi principis caussa iactasse, re ipsa ostenderunt.

(z) Thegan. *cap.* 42.

(a) *Vit. Ludouici Pii pag.* 309. Thegan. *ibid.*

(b) Disertis verbis id notauit *vitae Ludouici* auctor, eique suffragatur cum *annalista Bertin. ad a.* 833. qui *populum prauis persuasionibus et falsis promissionibus deceptum esse* ait, *ita vt omnes eum desererent*, tum maxime Theganus *cap.* 42. *pag.* 312. *dum scribit: tunc consiliati sunt nonnulli, vt imperatorem derelinquerent, et ad filios ejus pervenirent*. Addit, id eos potissimum fecisse, *qui illum antea offenderint*. Et quinam vero, nisi HELISACHAR, WALA, et MATFRIDVS, quos ideo a Lothario arcessitos esse memorat Paschas. Ratberius in *Vita Walae*, *pag.* 508. Walam suum tum comitatus, vt pontificis et populi animos sibi conciliarent. Et hinc mira est audacia Ratberti, scribentis *pag.* 515. defectionem illam *sine vllius, quantum rescire potuerit, persuasione aut exhortatione* factam esse.

(c) *Ibid. pag.* 309.

(d) DROGONEM, filium Caroli M. naturalem, Metensem episcopum fuisse, nemo ignorat. ALDRICI, Cenomanensis episcopi, *gesta* edidit Steph. Baluz. *Miscell. tom. III.* quocum coniungendus Mabillon. *Analect. tom. III. pag.* 276. *seqq.* ubi et *epistola* GREGORII papae, qua iubet, vt si quis Aldricum accusauerit, eius caussa non ab

xima pars hominum tentoriis vacuis relictis clam ad filios imperatoris transfugit. Reliquos fidei tenaciores insequente mane ipse princeps sibi consulere iussit, pie professus, se nolle eorum quemquam propter se de vita, membris, fortuna periclitari (e). Die S. Paullo sacra tanta iam erat castrorum solitudo, vt gregarii, qui supererant, ipsi quoque bene de filiis imperatoris merituri irruptionem in praetorium minarentur. Quorum insolentiam pertimescens infelicissimus princeps deditionem facit, direptionem tantum et iniuriam deprecatus. Hi laeti obuiam fiunt patri, eiusque maiestatem et in illa fortuna venerantes equis desiliunt, et osculis excepti patrem spem bonam habere iubent, simulque eum in castra sua deducunt (*f*), et quidem vxore filioque CAROLO comitatum.

§. XV.

Iure meritoque campum istum a mendacio nomen accepisse, statim adparuit. Vix enim intra castra sua patrem receperant filii, quum illi subduceretur IVDITHA vxor, et in LVDOVICI tabernaculo custodiretur. Ipse cum CAROLO filio in LOTHARII praetorium abductus, in paucorum, sed obnoxiorum LOTHARIO, hominum custodia mansit (*g*). Interea fratres potiti victoria, sed foeda, et nullos triumphos habitura, suae factionis homines congregant, eosque, perinde, ac si legitima essent illa comitia, sententiam dicere de re publica iubent (*h*). Nec mora prodit senatusconsultum, quo, abrogato patri imperio, Lothario soli augusta dignitas decernitur, reliqua regna inter tres ERMINGARDAE filios, prout visum est, diuiduntur. Vbi sane digna posteritatis memoria est simulatio LOTHARII, qui Tiberio per omnia similis recusabat in speciem imperium, quod cupidissime adpetebat, et quasi a purpura patri detracta abhorreret, decus illud modestissimis verbis deprecabatur. Cui orationi quamuis plus dignitatis quam fidei inesse nemo non animaduerteret: proceres tamen ad questus et preces conuersi, eum obtestabantur, ac per omnia sacra orabant, ne rem publicam veluti in sinum suum confugientem desereret, neue spem suam destituere velit: denique et indignationem miscentes, nisi ipse imperium suscipiat, se alium electuros imperatorem, minabantur (*i*). Adeo nihil recti ac sinceri agebatur in illo mendacii campo, de quo iure repetas illa VIRGILII (*k*):

> *Pallentes habitant curae, tristisque senectus.*
> *Et metus, et malesuada fames, ac turpis egestas,*
> *Terribiles visu formae, lethumque laborque*

Tam

ab alio, quam a Romano pontifice definiatur: ex quibus patet, Aldricum sede sua aliquamdiu deiectum restitutumque postea XXIIII. annis ecclesiae suae praefuisse.

(e) Thegan. *ibid. pag.* 513.

(f) *Vita Ludouici pag.* 399.

(g) *Vita Ludou. ibid.*

(h) Paschas. Ratbert. *Vit. Walae pag.* 513.

(i) Ratbert. *Vit. Walae pag.* 515.

(k) *Aen. lib. VI. v.* 275.

Tam consanguineus lethi sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque aduerso in limine bellum
Ferreique Eumenidum thalami, et discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Denique ita discessum est, vt LOTHARIVS, congratulantibus omnibus, augustus renunciaretur, PIPPINVS et LVDOVICVS, magnam prouinciarum accessionem acciperent, et GREGORIVS papa, tam praeclare confecto negotio, Romam reuerteretur. Hinc PIPPINVS in Aquitaniam; LVDOVICVS, nouerca prius Tartonam in Italiam in exsilium missa in Boioariam, pontifex, tanta filiorum impietate grauiter offensus cum magno moerore, si auctori *vitae Ludouici Pii* astronomo (l) credimus (m), ita Italiam discesserunt.

§. XVI.

Digressis pontifice maximo et fratribus, LOTHARIVS quoque itinere indicto, vasisque conclamari iussis, primum quidem *Merlegium*, villam regiam in Alsatia inferiore, non procul a Kirchemio vel Kilchemio situm, hodie *Marleu* vel *Marlheim* (n), profectus est, inde transactis aliquot diebus per monasterium Mauri, Metas, Virdunum, denique Suessionem peruenit, tractis vbique secum patre et fratre CAROLO, non iam vllis pristinae fortunae insignibus, vel ministerio conspicuis, sed ad priuatorum sortem redactis, et seorsum a LOTHARIO, sub firma custodia iter facientibus (o). Suessione patrem in monasterio S. Medardi inclusum tenet, Carolum Prumiam, celebre in Arduenna coenobium misit, hoc vno in fratrem benignior, quod ei comam adimi nondum iussit. Hinc porro rei publicae proceres et episcopos maxime Compendium in mensem Octobrem euocauit, ibique id egit, vt non modo imperio patri sollenniter abrogato, ipse iterum consentientibus omnium suffragiis rex et imperator renunciaretur, verum etiam ita firmaretur imperium suum, ne patri spes recuperandae potestatis vlla superesset. Confluxit eo tota factiosorum hominum colluuies, imperii Francici sentina, in eoque consessu Lotharius primum

(l) *Vit. Ludou. pag.* 400.

(m) Probabile omnino est, non sine horrore haec nefanda filiorum Ludouici Pii facinora spectasse pontificem, ac proinde facile credimus Nithardo *lib. I. pag.* 438. adfirmanti, *eum, itineris poenitudine correptum, tardius, quam voluerit, Romam reuertisse*. Enimuero ideo non magis excusandum est GREGORII istius papae IIII. iter, quam vel Iudae proditio, vel Petri abnegatio Christi, quod vtrumque postea facti poenituit. Cur enim, nondum satis cognita caussa, filiis adsensus est? Cur non de pace conciliando laborauit, antequam Ludouicus Pius in liberorum potestatem veniret. Cur denique auctoritate illa, qua vsurum se aduersus imperatoris socios minabatur, non vsus est ad compescendam filiorum impietatem? Laudandus sane pontifex, quem facti poenituit, at reprehendendus quam maxime, qui vltro quid egit, cuius eum non posset non poenitere.

(n) *Prodr. Chron. Gottwic. lib. III. cap. 70. pag.* 491.

(o) *Vita Ludouici ibid. pag.* 400.

mum legatos THEOPHILI, imperatoris Constantinopolitani, tristissimae ipsius tragoediae spectatores futuros audiuit, deinde eos omnes, qui fidem adhuc LVDOVICO imperatori seruauerant, tamquam perturbatores pacis hostesque rei publicae accusari iussit, quos periculi metus facile subegit, vt manus darent LOTHARIO, et obsequium in posterum iureiurando promitterent. Denique et ipse pater in concessu episcoporum plurimorum criminum aduersus ecclesiam et rem publicam admissorum accusatur, petiturque, vt ad poenitentiam publicam et canonicam per totam vitam agendam episcoporum suffragiis damnetur, id est, vt illi spes omnis recuperandi imperii in posterum praecidatur (*p*). Numquam detestabilius conciliabulum vidit ecclesia, quam illud Compendiense, in quo impietas, quid possit, videtur experta. Nam ne episcopi quidem beneficiis quamplurimis ornati ab imperatore, vllam aequitatis habebant rationem. EBBO, archiepiscopus Rhemensis, vile olim mancipium, et qui soli imperatori tantam dignitatem ac fortunam debebat (*q*), libellum accusationis alta voce intonans publice praelegit. Patres concilii illico vrnas mouent, et, principem inauditum ad publicam illam et canonicam poenitentiam per omnem vitam agendam, condemnant. Certior de ferali sententia redditus, Suessionem ducitur, eumque sequuti episcopi hortantur, vt poenitentiam illam humili obsequio obeat. Ille nihil obloquutus, se ad id paratum esse respondet, dum prius LOTHARIVM filium amplectendi cum eoque in gratiam redeundi facultas. Nec mora, adest filius improbus, osculo a patre exceptus, at eo non inflexus ad mentem saniorem. Hinc pater ductus in ecclesiam S. Medardi, vbi magnus episcoporum consessus erat, coram summo altari in cilicio pronus iacet, peccata, quorum accusabatur, ex libello recenset, libellumque offert Episcopis (*r*). Tum porro iussus arma, cingulum ipsasque, quibus adhuc

orna-

(p) Poenitentia illa per omnem vitam agenda nihil aliud erat, quam perpetua ab imperio exclusio. Quod recte obseruat *Vitae Ludouici Pii auctor pag.* 400. *sequ. Verentes*, inquit, *sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retrolapsa ferrentur, gesta quae erant: callido, vt sibi visum est, cum aliquibus episcoporum vtuntur argumento, vt de his, de quibus iam poenitudinem gesserat imperator, iterum publica poenitentia, armis depositis* IRREVOCABILITER *quodammodo ecclesiae satisfacere iudicaretur*. Vnde et Calmet *dans l'histoire de Lorraine, liv. XIII. pag.* 650. recte scribit: *Ce qui etoit une vraie degradation de l'Empire, les loix de l'Eglise ne permettant pas à un homme soumis a la penitence canonique, de se meler du gouvernement ni des affaires publiques*. Tam callide scenam instruxerat LOTHARIVS, vt et regno priuaretur pater, et omni spe illud vmquam recuperandi aeternum excideret.

(q) Thegan. *cap.* 44.

(r) Merito mireris, tot episcopos, quorum in numero erant viri graues, pii et eruditi tanta impudentia debacchari potuisse in principem pium, et cui plerique illi non modo honorem et dignitatem, sed et se ipsos debebant. Nihil hic sane secundum leges et canones, nihil ex rectae rationis praescripto actum. Bis eadem facta publica poenitentia expiari iubebantur. Damnabatur princeps inauditus, nec confessus nec conuictus. *Vit. Ludou. Pii pag.* 401. Reuocabantur IESSE, episcopus Ambianensis, et alii, quos antea iidem episcopi, tamquam perduelles damnauerant, *aut tunc, aut nunc*,

ornatus fuerat, vestes ponit et alia pulli coloris toga indutus, non sine lugrubri pompa reducitur in monasterium, et cellulae satis angustae includitur (s). LOTHARIVS vero, accepto ab episcopis publico instrumento, quod et hodie exstat sub titulo *Exauctorationis Ludouici* apud PITHOEVM (t) et alios, mense Nouembri Aquisgranum proficiscitur. In eo non sine iniuria imperatori exprobrant sacrilegium et homicidium, perturbationem pacis et violationem pactorum, expeditionem sacri ieiunii tempore susceptam, hominum rei publicae studiosorum condemnationem, fenestram ab eo apertam periuriis, bella sine necessitate gesta, diuisiones regnorum suo arbitrio, et non adhibitis in consilium proceribus factas, et huius generis alia, ob quae illi iure impositam aiunt poenitentiam per omnem vitam agendam, ea lege, *vt post tantam talemque poenitentiam numquam vltra ad militiam saecularem rediret*.

§. XVII.

nunc, teste Thegano *cap. 44. falsum iudicium exhibentes*. Quae omnia ita comparata sunt, vt ne a pagano quidem iudice, cui vel vllus honestatis sensus inest, exspectanda videantur. Et tamen, teste *Vitae Ludouici auctore pag. 401. ei iudicio pauci contradixerunt, plures adsensum praebuere, maxima pars, vt adsolet in talibus, ne primores offenderent, verbotenus consensere*. Illud quoque paene inauditum, quod sacri isti homines non contenti, Ludouicum damnasse, nihil iniuriarum atque insultationis aduersus illum praetermiserunt. Quae verbis admodum lamentabilibus describens Theganus *ibid. cap. 43. sequ.* primum obseruat *omnes ei episcopos molestos fuisse, et maxime hos, quos imperator ex seruili conditione honoratos habuerit, cum his, quos ex barbaris nationibus ad hoc fastigium perduxerit*. In his eminuisse *vnum impudicum et crudelissimum, Ebbonem, Remensem episcopum, qui fuerit ex originalium seruorum stirpe*. Omnes illos principem *immaniter adflixisse, inaudita loquutos, inaudita fecisse quotidie improperantes ei. Ablatum illi gladium de femore, indicio seruorum suorum, indutum eum cilicio*: factum esse, quod praedixerit Ieremias propheta: *serui dominati sunt nostri*. Hinc conuersus ad EBBONEM illum, graui ἀποστροφῇ illi exprobrat ingrati animi vitium, crudelitatem, intolerabilem superbiam, laesae maiestatis crimen, mendacia, iniustitiam, et adloquutus seruatorem: *o domine Iesu*, inquit, *vbi erat angelus tuus, qui omnia primogenita Aegypti vna nocte deleuit? et ille, qui in castris Assyriorum sub Sennacherib, rege iniquo, centum octoginta quinque millia perfidorum exstinxit, testante Esaia propheta? Aut ille, qui Herodem iuuenem concionantem percussit, et statim scatere coepit vermibus? Et tu terra, quae eum sustinuisti illo in tempore, quare non aperuisti os tuum, vt deuorares eum, sicut iam olim fecisti Dathan et Abiron?* Denique facit indignatio versus, Ebbonem enim, mortalium perditissimum, imitatorem fuisse ait eius, de quo poeta *libro VI. Aeneidos* canat:

Infelix Theseus Phlegiasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per vmbras.
Discite iustitiam moniti et non temnere diuos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit, fixit leges pretio, atque refixit.

Sed nullum est dubium, quin et EBBO, et reliqui episcopi, qui ad conciliabulum illud confluxerant, pontificis maximi freti auctoritate, in optimum illum principem saevierint. Quidni enim ipsi fauissent caussae, quam GREGORIVS papa suo praeiudicio probauerat?

(s) *Acta ex auctorat. Ludouici Pii Concil. tom. VII. pag. 1686.* Thegan. *cap. 44. Vita Ludou. pag.* 401.

(t) *Annal. et hist. Franc. script.* [illegible] *XII. pag. 322. sequ.*

§. XVII.

Sic demum LOTHARIVS patrem a se non modo victum, sed et ita prostratum esse existimabat, vt nulla resumendi imperii spes illi posset superesse. At quemadmodum fieri vix potest, vt scelere quaesitum imperium bonis artibus retineatur: ita ille mox praerepta patri potestate tam immoderate vsus est, vt et ii, qui virtutem LVDOVICI Pii incolumem oderant, eam nunc sublatam ex oculis quaererent inuidi, et de illo in integrum restituendo consilia conferrent. Cuius rei caussae erunt paullo altius repetendae. Est nimirum ita natura comparatum, vt ipsa ira vertat in misericordiam, si innocentiae nimium illudatur. Id et hic contigit. Tanta enim erat Imperatoris calamitas, vt et truculentissimos homines moueret. Quamdiu in monasterio S. Medardi relinquebatur, tam arcta tenebatur custodia, vt nemini vel colloqui cum eo, vel quid rerum agatur, eum certiorem reddere licebat. Quin iussi erant custodes quaeuis tristia nunciare, IVDITHAM mortuam, et CAROLVM attonsum et cucullo indutum. Quod ipse pro vero accipiens suorum fato mille lacrymis parentauit, et in primis IVDITHAE suae animam clericis, quoties templo exiit, (nunquam autem sine numeroso praesidio ad illud veniebat, vel ex illo ad cellam suam reducebatur,) vehementer commendauit. Misertum demum est ipsos monachos miserrimi principis, quumque cum eo sermones caedere non liceret, vnus eorum, nomine HARDVINVS, quum sacram eucharistiam praebuisset, compressis eius manibus, pauca verba: *pone altare est*, insusurrauit, simulque schedulam eo clam proiecit. Imperator, exeuntibus templo reliquis hominibus, quum se solum animaduerteret, sublatam schedulam legit, ex eaque demum, falsa esse, quae de IVDITHAE suae morte et CAROLI monachatu iactata sint, immo potius plerosque incredibilem ex calamitate sua dolorem percipere, et de eo liberando consilia capere, comperit (u). Quis vero talia patienti principi, et e tanta fortuna in hanc miseriam filii scelere coniecto non condoluisset. Volabat ergo fama per ora hominum, eaque hieme, teste *vitae Ludouici* auctore (x), *gregatim populi, tam Franciae, quam Burgundiae, nec non Aquitaniae, sed et Germaniae, coeuntes, calamitosis querelis de imperatoris infortunio querebantur*. Deinde ipsi, qui aduersus LVDOVICVM Pium coniurauerant, dum rem paullo adcuratius, adhibita in consilium ratione, expendunt, veriti, ne ad se aliquando res omnis redeat, paullatim se consiliis illis nefariis subducunt. Ipsos sane WALAM et RATBERTVM iuratos alioquin imperatoris hostes, videntes, rem in neruum erumpere, tristes ex Alsatia rediisse Corbeiam, legimus (y). Sed et BERNARDVS, dux Septimaniae, et WARINVS; comes, ei antea parum aequi, iam in Burgundia populum ad capienda arma et opem imperatori ferendam sollicitabant (z). Praeterea

(u) *Conquestio Ludouici imp.* apud Duchesn. *tom. II. pag.* 336.
(x) *Vita Ludouici Pii pag.* 401.
(y) Paschas. Ratbert. in *Vita Walae pag.* 515.
(z) *Vita Ludouici Pii pag.* 401.

terea iam diffidere inter se coeperant LAMBERTVS et MATFRIDVS, praecipui eorum tumultuum auctores, qui dum singuli primo loco apud LOTHARIVM esse, et rem publicam suo arbitratu constituere cupiunt, eam negligunt ambo, nouasque conquerendi caussas populo, iam tum rerum nouarum cupido, praebent (a). Denique LOTHARIVS ipse sibi quam maxime nocuit, dum nulla amplius fratrum habita ratione solus omnia egit pro lubitu, atque ita, nihil se eorum, sed sui omnia caussa voluisse, re ipsa ostendit. Quod denuo obseruans NITHARDVS (b). PIPINVS, inquit, et LODHVVICVS, *videntes, quod* LODHARIVS *vniuersum imperium sibi vindicare, illosque deteriores efficere vellet, grauiter ferebant*. Et hoc ipsum imperatori, quam maxime profuit, vt ii, quorum antea improbitate in hanc calamitatem inciderat, primi essent, qui de illo bene mereri, et patrem LOTARIO eripere conarentur. Id vero quo ordine gestum sit, iam paullo adcuratius erit dicendum.

§. XVIII.

LOTHARIVS rem suam sibi praeclare videbatur stabiliuisse, quum sub finem anni 833. Aquisgranum proficisceretur, eoque et patrem captiuum secum abduceret, quo eum pridie kal. Decembres aduenisse, in *Annalibus Bertinianis* (c) proditum est. Interea DROGO, Metensium episcopus, qui a reliquorum episcoporum consiliis suam semper seiunxerat sententiam, fratremque magis, quam eius fortunam amauerat, ad LVDOVICVM, Boiorum regem, confugerat eumque a fratribus corruptum sapienter pertraxerat in miseri parentis partes, vt hic iam non minus de patris optimi salute esset sollicitus, quam antea illum perdere studuerat. Postquam ergo LOTHARIVM Aquisgranum venisse intellexit, ipse Francofurtum iuxta Moenum iter fecit, atque inde legatos ad fratrem misit GOZBALDVM, abbatem (d), et MORHARDVM, palatii comitem, expostulaturos cum eo, quod communem patrem adhuc durius, quam deceret filium, habuisset, et vt eum benignius in posterum haberet, rogaturos. His parum benignie auditis, et nihil aequi impetrantibus, alios patrem salutaturos misit: sed ne videndi quidem illius, nedum adloquendi, copia data est (e). Nec felicior deprecator paullo post ipse LVDOVICVS fuit, qui quum LOTHARIVM Moguntiam profectum conueniret, nihilque faceret reliqui, vt eum

(a) Nithard. *lib. I. pag.* 438.
(b) *Ibid. p.* 438.
(c) *An. a.* 833.
(d) Fuit tum GOZBALDVS abbas Altahensis monasterii in Boioaria, LVDOVICO nostro carissimus, et cuius gratia hic Altahense monasterium innumeris beneficiis locupletauit, ceu tot diplomata apud Hundium et Geuuoldum, infra in codice diplomatico collecta, in quibus semper GOZBALDI abbatis perhonorifica fit mentio, demonstrant. Vid. Hund. *Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 8. *sequ.* Postea ecclesiae Herbipolensi praefectus est episcopus circa annum at monasterii sui administrationem nihilominus retinuit, liberamque abbatem eligendi facultatem ei a Ludouico impetrauit. Hund. *ibid. pag.* 8. *n.* 5.
(e) Thegan. *cap.* 45.

...eum ad patrem benignius habendum moueret, repulsam ferens tristis discessit, LOTHARIO redeunte Aquisgranum; ibique natalem Seruatoris festo adparatu celebrante (f). Quum ergo adeo occaluisset Lotharius, vt nihil aequi ab eo sperari posse videret LVDOVICVS, quoduis pro patre periculum adire certus, HVGONEM, abbatem (g), in Aquitaniam ad PIPPINVM fratrem misit, qui suo et DROGONIS episcopi nomine apud illum de Lotharii inhumanitate conquereretur, eumque ad honestissimi belli pro patre suscipiendi societatem inuitaret: cui, quippe LOTHARIO iampridem infenso, res facile persuasa est (h). Quo fratrus auxilio insequente Ianuario anni 834. GRIMOALDVM venerabilem abbatem, et GEBEHARDVM, nobilissimae perspectaeque fidei ducem, iterum Aquisgranum ad patrem misit. Quibus quidem permissum, vt cum eo colloquerentur, at non nisi praesentibus OTGARIO, Moguntino, et RICHARDO *perfido*, vt a THEGANO (i) vocatur, *homine* (k). OTGARIVS enim vna cum aliis viris ecclesiasticis frequentes aderant captiuo principi, vt eum ad suscipiendum habitum monasticum pellicerent, quibus vero prudenter ille, se votum nisi sui iuris vmquam concepturum negauit (l). His vero arbitris, ea quae sibi a LVDOVICO, Boioariae rege, mandata fuerant, exponere veriti legati, in genua prouoluti eum tantum LVDOVICI filii verbis humanissime salutant, at signis tamen et nutu, quoad eius fieri posset, alie-

(f) Thegan. *ibid. Annal. Bertin. ad a.* 833.

(g) Illustris et hic praelatus, eoque tempore celeberrimus, quippe CAROLI M. ex regina concubina filius, LVDOVICI PII et DROGONIS, episcopi Metensis, frater, abbas S. Bertini, S. Vedasti, Noualiensis et ab anno 835. S. Quintini, Alberic. *Chron. ad hunc annum*, et in imperatoris palatio archinotarius, vti eum eodem anno vocat Ludouicus Pius apud Mabillon. *de re diplom. lib. VI. pag.* 613. anno 844. in praelio caesus a Pippino, Pippini filio. *Annal. Bertin. ad a.* 844. Eius elogia vide apud Frothar. *Epist.* 21. *et* 41.

(h) *Vita Ludou. pag.* 401. *Annal. Bertin. ad a.* 834.

(i) *Cap.* 47.

(k) Operae pretium fuerit, et horum hominum notitiam dare. GRIMOALDVS, vir eo tempore prudentissimus, canonici quidem ordinis, et abbas S. Galli, et postea Ludouici regis archicancellarius, de cuius gestis plura habet Ratpert. *de casib. S. Galli, cap.* 8. *pag.* 6. Obiit Id. Iun. a. 871. OTGARIVS, archiepiscopus Moguntinus, Ludouico nostro ad mortem usque inimicissimus, infra erit memorandus. GEBEHARDVS dux et *cap.* 54. laudatur a Thegano, vbi eum cum BARVDADO id est cum BADVBADO, episcopo Paderbornensi, et BERENGARIO sapiente, ad LOTHARIVM missum, refert. Fuit hoc nomen postea inter Franciae orientalis comites, ex quibus CONRADVS I. rex Ananiae produit, frequentissimum, vid. tabulam apud Eccard. *Orig. Habsburg. lib. II. cap.* 1. §. 2. *pag.* 73. vt paene suspicer, eum filium EVERARDI comitis, nepotem BEGONIS, qui ALPAIDEM, Ludouici Pii filiam, vxorem duxerat, fuisse. Ex quo simul patet, cur toties *nobilissimus dux* vocetur. RICARDI duo in hac Ludouici Pii historia occurrunt, LOTHARIO deditus alter, qui hic ideo *perfidus* adpellatur a Thegano, et postea cum LOTHARIO in Italiam aufugiens, vna cum reliquis perduellibus, paene lue absumtus est, et paullo post tamen et ipse decessit, teste auctore *Vitae Ludouici Pii pag.* 412. Alter Ludouico fidem seruauit, et circa eadem tempora, quibus ille perfidus cum LOTHARIO in Italia haerebat, a Ludouico eo legatus missus est cum FVLCONE et ADREBALDO, abbatibus. *Vita Ludouici pag.* 411.

(l) *Annal. Bertin. ad a.* 834.

alienum esse LVDOVICVM a fratris consiliis, significare conantur (m). Abeuntibus legatis mox fama Boios, Saxones, Alamannos in armis; et ne in Gallia quidem ac Aquitania omnia quieta esse nunciat. Quo nuncio territus LOTHARIVS, adpetente iam vere, Aquisgrano per pagum Hasbaniensem Lutetiam Parisiorum proficiscitur, eoque et patrem fratremque CAROLVM, Prumia arcessitum, magna custodum turma cinctum, abducit, vbi iam omnes Francos de patre sibi extorquendo laborare re ipsa comperit. LVDOVICVS enim frater veluti fugientem cum numerosissimo exercitu e vestigio sequitur: PIPPINVS ex Aquitania cum non minoribus copiis ad Sequanam vsque venerat, eum transiturus illico, nisi vi tempestatum pontes deiecti, nauesque demersae fuissent. Porro ex Burgundia delectam manum adducebant BERNARDVS, dux Septimaniae, et WARINVS comes, qui, tametsi aeris intemperie vexati, et, quid rerum a sociis agatur, nescii, rei gerendae occasionem non haberent, aliquamdiu tamen ad Matronam fluuium, prope BONOGILVM, hodie *Pogny*, consederunt (n). At alacriores reliquis EGGEBARDVS, comes (o), et GVILIELMVS, comes stabuli, se cum haud exigua manu LOTHARIO in ipso itinere obiiciunt, parati signa conferre, nisi imperator libertati restituatur. Neque ab initio praelium abnuere videbatur LOTHARIVS, venissetque res ad manus, nisi ipse imperator, abhorrens a suorum clade, comites precibus ab instituto dimouisset (p). Sic ergo ventum ad S. Dionysii monasterium, vnde Lutetiam Parisiorum excursurus erat futuro mense Maio, comitia, quae indixerat, habiturus. Sed consilia eius omnia turbabant tot coniuratorum, quibus se vndique peti videbat, exercitus. In primis sub initium ieiunii quadragesimalis a BERNARDO et WARINO aderant legati REBALDVS, abbas, et GANZELMVS, comes, qui patrem custodia emitti poscerent, polliciti simul, Bernardum et VVARINVM dignitatem LOTHARII defensuros, si postulata faciat, bellum contra minati, nisi patrem libertati illico restituat. Quibus LOTHARIVS, neminem se, ait, paternae calamitati magis indolescere, neminem se illum quam felicissimum videre malle, iniuria sibi exprobrari calamitatem patris, quem ipsi et deseruerint, et prodiderint: nec suo, sed episcoporum iudicio illum adhuc in illo carceris squallore vixisse. Denique legatos responsum referre iussit, si ad se mittantur HVGO et FVLLO, abbates, et VVARINVS ac ODO, comites, et crastini, ante quem diem ad se venturi sint, sibi renuncietur, se cum iis, quid facto opus sit, et quo pacto illis satisfieri possit, deliberaturum (q). At tantum abest, vt nouos legatos expectarit LO-

(m) Thegan. *cap.* 47.
(n) *Vit. Ludou. Pii pag.* 402.
(o) Hunc eumdem cum EVERARDO BEGONIS et ALPAIDIS filio esse putat GVNDLINGIVS, eumque adeo comitem Parisiensem fuisse contendit. Vid. *Gundlingiana, part. XX. dissert. II.* §. 3. *pag.* 421. At non satis constat, Lutetiensis ille pagi comes fuerit, an Hasbaniensis. *Annales* enim *Reuberiani* vel *Eginardi ad a.* 834. obscurius loquuntur: et magnum discrimen esse videtur inter EVERARDI et EGGENBARDI nomina.
(p) *Vita Ludouici Pii pag.* 402.
(q) *Vita Ludouici pag.* 403.

LOTHARIVS, vt patre in monasterio S. Dionysii relicto, cum amicis et consiliorum suorum consciis sese clam subduxerit, et praecipiti fuga in Burgundiam, atque inde Viennam vsque discesserit. Id quod ipsis Kalendis Martiis contigisse, obseruat auctor *Bertinianorum annalium* (r).

§. XVIIII.

Et hic ipse dies fuit, quo LVDOVICVS Pius sibi redditus nouam veluti vitam auspicari videbatur. Vix enim fuga euaserat LOTHARIVS., Deo omnibusque exosus, quum omnis generis, dignitatis, sexusque homines ad monasterium confluerent, principi congratulari hanc rerum mutationem, cuius desiderio ac commiseratione adhuc contabuerant, fidemque de nouo spondentes. Auctores illi erant omnes, vt illico resumeret purpuram, et se augustum esse, posita pulla veste, ostenderet. Sed tanta erat eius religio, vt exauctorationis et condemnationis etiam iniustissimae haberet rationem, nec disciplinae ecclesiasticae suam auctoritatem constitutam crederet, nisi quibus episcoporum iudicio spoliatus esset, imperii insignia de communi episcoporum sententia et ex eorum manibus recepisset. At quamuis EBBONEM, perfidiae suae sibi conscium fuga abstulisset (s): tamen et ille retractus, principi sistebatur, et tanto laetiores tamen concurrebant reliqui episcopi, qui imperatorem multis adhibitis caerimoniis resecrabant, purpuraque vestitum et reliquis ornatum imperii insignibus, armis denique incinctum solio regio imponebant, tanto plebis omniumque hominum plausu, vt nullum vmquam drama laetiore exitu finitum esse videretur. Obseruatum tum est ab hominibus, et inania mirantibus, quum iam foedissimae tempestates, perpetuae procellae, ventique vehementissimi saeuiissent aliquamdiu, et excrescentia flumina multum damni dedissent, illo die *ita quodammodo visa esse coniurasse elementa, vt mox et venti saeuientes mitescerent, et caeli facies in antiquam et multo tempore inuisam serenitatem redierit* (t). Quod tametsi vere adpetente non rarum, tamen quia eo ipso die contigit, in omen acceptum est, quasi ipsa natura post tot rei publicae clades mera halcyonia mortalibus denunciaret. Enimuero vana haec fuisse auguria, paullo post euentus docuit. Imperator enim, siue tot curis hebetior, siue amore IVDITHAE suae in transuersum actus, ne tot quidem calamitatibus cautius mercari didicit, sed paullo post iisdem scopulis, in quibus antea naufragium fecerat, adlisus est. Statim, ex quo se libertati restitutum viderat, non parum peccauit contra prudentiae praecepta, dum viribus, quibus, pollebat, non vtebatur ad persequendum LOTHARIVM, factionemque eius illico opprimendam. Id enim nisi neglexisset, vna expeditione potuisset efficere, vt et LOTHARIVS in potestate eius esse vellet, et perduelles, desperatis rebus

(r) *Ad a.* 834.
(s) Thegan. *cap.* 48.
[t] *Vita Ludouici pag.* 404.

bus suis, in deditionem venirent. At noluit Caesar meliora suadentes audire, *nec filium abeuntem, licet multis hortantibus, persequi* (u): sed a monasterio S. Dionysii Nontogilum, atque inde Carisiacum, in villam regiam, hodie Cressiacum ad Isaram (x), profectus est. Hic tum PIPPINVM cum suis, quos trans Matronam adhuc tempestates detinuerant, tum LVDOVICVM, filium, eosque, qui ad illum, tyrannidem LOTHARII fugientes, confugerant, et in his maxime DROGONEM et HVGONEM fratrem praestolatur. Tempus ibi laetitiae datum, suadente ipso hymno, qui tum illo die sacro canebatur: *laetare, Hierusalem, et diem festum agite omnes, qui diligitis eam* (y). Dimissis praesentibus, ipsoque PIPPINO in Aquitaniam proficiscente, at mox tamen inde redituro, cum LVDOVICO et CAROLO, filiis, Aquisgranum rediit. Non dubium est, quin illud imperii sui domicilium non minus laetus adspexerit, quam nauta portum, in quem innumeris iactatus procellis, demum ratem exarmatam ac paene submersam feliciter reduxit. Et sane iure quodam suo laetabatur. Nam ibi demum et imperium et filios, (nam et PIPPNVS paullo post redierat,) sibi redditos animaduertebat, et mox illi adducebatur, quam perdite amabat, IVDITHA, quam ille tamquam mortuam a se pridem defletam, et nunc veluti in vitam diuino munere redeuntem summa cum voluptate amplectebatur. Paschate ibi celebrato Arduennam venationis caussa pererrat, et inde reuersus Aquisgranum, exactis pentecostes feriis per Romerici iuga capiendis feris ac piscibus quasi per ocium vacat.

* * * * * * * *

CODEX

[u] *Vita Ludouici Pii pag.* 404. Nithard. *lib. I. pag.* 439.

[x] Sirmond. *ad Caroli Calui Capitularia, pag.* 41.

[y] *Vit. Ludou. pag.* 404.

CODEX DIPLOMATICVS

SEV

FASCICVLVS DIPLOMATVM,

LVDOVICI GERMANICI

HISTORIAM

ILLVSTRANS.

I.

Diploma apud Guillimann. *Episcop. Argent. cap.* 5. *pag.* 32. a Schiltero cum authentico collatum, et recusum apud Eccard. *Origin. Habsburg. pag.* 107.

ANNO 856.

„ IN nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludewicus, fauente
„ gratia Dei Rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis
„ aliquid conferimus beneficii, et necessitates Ecclesiae Dei per peti-
„ tiones religiosarum personarum releuamus munimine, atque imperio-
„ so tuemur iuuamine: id nobis et ad mortalem vitam temporaliter
„ peragendam, et ad aeternam feliciter adipiscendam profuturum esse,
„ liquido confidimus. Ex quo nouerit omnium fidelium nostrorum,

,, tam praesentium, quam futurorum solers discretio, quod nobilis
,, atque venerabilis sanctimonialis, Abbatissa Basilla Sancti Stephani,
,, infra muros Argentoratenses siue Strasburc, nostram adiens Maiesta-
,, tem, praesentauit obtutibus nostris auctorabiles emunitatis firmitates
,, praedecessorum nostrorum, Regum et Imperatorum; qualiter prae-
,, dictus locus Sancti Stephani a Duce Alberto fundatus erat, et per
,, constitutionem Chylderici regis emunitatis, et per Pipinum Maior-
,, domum locupletatus et munitus crescebat, et per munificentiam
,, Lotharii Imperatoris primi et coniugis Yrmengardis dotatus polle-
,, bat, ac demum etiam auctoritatem domini et genitoris nostri, Ho-
,, dewici bonae memoriae, piissimi Augusti, in qua continebatur in-
,, sertum. Quod non solum idem genitor noster, verum etiam prae-
,, decessores eius reges videlicet Fraencorum apud locum iam di-
,, ctum beato Stephano et congregationi Canonicorum quatuor sacer-
,, dotum et sanctimonialium triginta cum necessariis ministris dedica-
,, tum, sub suo munimine ac defensione cum omnibus sibi subperti-
,, nentibus, tam municipiis, quam praediis, tam infra ciuitatem, quam
,, foris constitutis, eorum immunitatum auctoritatibus, hactenus ab
,, inquietudine totius iudiciariae potestatis eadem munita et defensa
,, fuisset Abbatia. Pro huius itaque rei firmitate exorauit praedicta
,, Abbatissa, Basilla, vt paternum, seu praedecessorum nostrorum re-
,, gum clementiam, sequendo, huiuscemodi nostrae emunitatis prae-
,, ceptionem, ob amorem Christi, et reuerentiam Sancti loci, circa
,, idem monasterium fieri censeremus. Cuius postulationibus facilem
,, tribuimus assensionem, et hanc nostrae Maiestatis paginam erga
,, ipsum locum, immunitatis et tuitionis caussa, pro diuini cultus
,, amore, et animae nostrae remedio, fieri decreuimus. Per quod
,, praecipimus atque iubemus, vt saluo per omnia honore sui sacro-
,, sancti praesulis, nullus iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria
,, potestate in personas, vel ecclesias, vel oratoria, aut loca, aut
,, agros, vel quascumque reliquas possessiones, quas, ab antiquo, vel
,, moderno tempore, in quibuslibet territoriis, vel pagis, vel comi-
,, tatibus, infra ditionem nostram, iuste et legaliter memorata tenet
,, vel possidet Abbatia, vel ea quae postmodum in iure ipsius mona-
,, sterii voluerit diuina pietas augere, ad causas audiendas, vel freda,
,, vel tributa, vel thelonea exigenda, aut mansiones vel paratas fa-
,, ciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae, tam
,, ingenuos, quam seruos, super terram ipsius commorantes, iniuste
,, distringendos, nullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requiren-
,, das nostris vel futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quae
,, supra memorata sunt, penitus exigere praesumat, sed liceat memo-
,, ratae Abbatissae, suisque successoribus, auctoritate Episcopali, vel
,, dispensatione illius, quem ex numero fratrum ipsins loci constitue-
,, rit oeconomum, ipsam sedem cum omnibus sibi subiectis et rebus,
,, vel hominibus ad se pertinentibus, sub tuitionis atque emunitionis
,, nostrae defensione, remota totius iudiciariae potestatis inquietudine,

,, quie-

„ quieto ordine possidere, et pro nostro fideliter Deum exorare im-
„ perio, et incolumitate nostra et coniugis, atque prolis. Nec li-
„ ceat alicui, sub praetextu aduocatoriae occasionis, sibi vel in homi-
„ nibus vel quibuslibet rebus vel possessionibus eorum, aliquod ius
„ vindicare, nisi quem pro aliqua, sicut aliquando fieri euenit, ne-
„ cessitate, ipsa Abbatissa cum congregationis voto per consilium
„ Antistitis, apud palatium expostulauerit, qui nec palemundum, vel
„ aliquas exactiones exercere praesumat. Si quis vero temerarius, con-
„ tra hanc nostrae constitutionis auctoritatem venire praetemptauerit,
„ praedictae Ecclesiae quinque libras auri, fiscoque regio decem auri
„ purissimi persoluere cogatur, et insuper offensam regiam incurrat.
„ Vt autem haec auctoritas pleniorem in Dei nomine vigorem obti-
„ neat, et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae et nostris veris et certius
„ perpetuo tempore credatur, propria manu subtus signauimus, et
„ anuli nostri impressione signari iussimus. Data II. Idus Septembris,
„ anno Christo propitio XXIII. (*) Domini Hlodeuuici Serenissimi
„ Regis in Alsatia, indictione quarta. Actum Strazburc, palatio re-
„ gio, in Dei nomine feliciter. Amen.

„ Signum Chlodeuuici Serenissimi Regis.

„ Otgarius ad vicem Grimoldi, Archicancellarii recognouit.

II.

Diploma Ludouici Germanici ex vetustissimo exemplo desumtum apud Eccard. *Geneal. Sax. pag.* 21.

Anno 856.

„ IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina
„ fauente gratia Rex. Notum sit omnibus Sanctae Dei ecclesiae
„ fidelibus nostris, praesentibus scilicet et futuris, qualiter Wal-
„ brecht Comes noster deprecatus est celsitudinem nostram, vt ob
„ mercedis nostrae augmentum, Collegium nostrum, quod vocatur
„ Wialteshuson, vbi Sanctus Alexander corpore requiescit, sub no-
„ strae immunitatis tuitione et defensione susciperemus, vt sicut prae-
„ fatum oppidum Wialteshuson in vtraque parte fluminis, quod vo-
„ catur Hunta, consistit, et sicut Huntatores eiusdem loci resident,
„ vt nullus Comes, neque Centenarius, neque Vicarius, neque Iu-
„ dex, nec quisquam ex iudiciaria potestate, potestatem habuisset eos
„ astringere, aut ad vllum placitum cogere, aut compellere, vt ve-
„ nissent, nisi tantum in praesentia praefati Walberti suique successo-
„ ris iustitiam acquisissent et fecissent: cuius petitioni ob memoriam
„ Domini nostri Iesu-Christi libenti animo assensum praebentes de-
„ creuimus ita fieri, et iussimus fieri hoc nostrae auctoritatis praece-

S 2 ptum

[*] Numerantur anni regni in Alsatia ab anno 833.

„ ptum, per quod decernimus, atque iubemus, vt res eiusdem col„ legii sub nostra immunitatis protectione et tuitione et defensione „ consistat, vt nullus Iudex, neque Vicarius, neque Decanus, „ neque quisquam ex iudiciaria potestate potestatem habens praefa„ tos homines constringere, aut ad vllum placitum compellere, vt „ veniant, nisi Walbertus Comes, qui moderno tempore, Domino „ fauente Rector eiusdem Collegii esse videtur, suique filii VVicber„ ti scilicet diaconi nostri, eiusdemque successoris in eodem loco, Do„ mino opitulante, successorumque suorum. Et vt haec auctoritas „ firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius „ credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra eam firma„ uimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus.

„ Data XIII. (*) regni Domni Ludouici Serenissimi Regis in „ orientali Francia regnante. Indictione 4. Actum Francofurti „ palatio Regio. In Dei nomine Amen.

III.

Diploma Ludouici (**) Germanici apud Aub. Miraeum *Donat. piar. pag.* 33. *edit.* Io. Franc. Foppens.

„ IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. LOTHOWICVS Dei „ gratia Rex. NOTVM sit omnibus fidelibus nostris tam praesen„ tibus, quam futuris, quod dilecta coniux nostra HEMMA Regina, „ adiens nostrae Celsitudinis praesentiam humiliter deprecata est, vt „ cuidam nostro fideli, scilicet THEODERICO Comiti forestum (1) WAS-

(*) Numerantur anni ab anno 842. quo fratres regna patria inter se diuiserunt.

(**) Forte Lotharingiae. MIRAEVS.

NOTATIONES AVB. MIRAEI.

(1) WASDA, hodie *Wasia*, non Zelandia, neque Zelandiae pars Walachria.

IANVS Dousa *lib. V. Annalium Hollandiae* suspicatur, *Theodoricum*, comitem, ad quem ista Ludouici Germaniae regis, liberalitas pertinuerit, fuisse auum Theoderici I. Hollandiae comitis, et patrem *Gerolfi*, qui eiusdem Theoderici Primi pater fuerit. Atque id quidem ex Reginone colligi posse videtur, qui a. 885. *Gerolfum* et *Gardolfum*, Frisonum comites, *a Godefrido*, Normannorum rege, legatos ad Imperatorem missos, et a. 898. *Eberhardum* ducem a *Walgario* seu *Walgero*, Frisone, Gerolfi filio in venatione per fraudem trucidatum fuisse scribit. Quem eumdem esse cum *Walgero*, Theodorici I. Hollandiae comitis fratre, idem Dousa censet.

THEODERICVS autem, Gerolfi pater, nisi coniectura me fallit, fuit Ludouico Balbo, Caroli Calui filio, cubicularius, ipsique idem Balbus comitatum Augustodunensem supremis tabulis anno 879. legauit: vt apud Aimonium *lib. V. cap.* 39. legitur.

WALGERVM istum Dousa et alii, Teisterbantiae comitem nuncupant.

Ceterum illud Ludouici diploma mihi suspectum est, quod ipsi titulus augusti aut imperatoris non tribuatur.

Vide comites Hollandiae in stemmate Belg.

„ WASDA in eodem Comitatu, cum pratis, aquis, terrisque aratoriis, exitibus et regressibus, cumque rebus pertinentibus ad praedictum forestum perintegre nostro daremus praecepto.
„ Cuius petitionibus, (prout dignum est,) fauentes, praedicto Comiti praedictum damus atque largimur forestum, vt habeat, teneat, possideat, cum suis ad se pertinentiis, tam ipse, quam sui heredes seu cui ipse suique heredes vendere vel mancipare voluerint, sine omni contradictione.
„ Et vt firmius maneat inconuulsumque seruetur, hoc ei praeceptum fieri iussimus, et manu propria subter firmantes sigillo nostro iussimus sigillari.
„ SIGNVM Domini LOTHOWICI gloriosissimi Regis.
„ GEZO Cancellarius ad vicem Domini Vthelrici (*) Archiepiscopi summique Cancellarii recognouit et subscripsit. Datum anno Domini 868. Idus Aprilis, regnante Domino LOTHOWICO anno 14. Indictione 14. (**).

IIII.

Diploma Ludouici Germanici Vltraiectinum apud Guil. Hedam *Episc. Vltraiect. pag.* 55. et Aub. Mir. *Donat. Belg. pag.* 501.

A N N. 869.

„ IN nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. LVDOVICVS diuina fauente clementia Rex. Cum petitionibus sacerdotum Dei iustis et rationabilibus diuini cultus amore fauemus, superna nos muniri gratia non diffidimus. Nouerit interea industria seu vtilitas omnium fidelium nostrorum, tam praesentium, quam et futurorum, quia HVNGERVS, Veteris Traiecti ecclesiae Episcopus, quae est constructa in honorem S. Martini Confessoris, et aliorum Sanctorum, obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini et genitoris nostri bonae memoriae, LVDOVICI, piissimi Augusti, in qua erat insertum, quod non solum idem Dominus et genitor noster, verum etiam praedecessores eius Reges Francorum eidem Ecclesiae, cui HVNGERVS ipse, auctore Deo praeesset, sub tuitione et defensione eorum, cum omnibus sibi subiectis, et rebus vel hominibus ad se pertinentibus, vel adspicientibus consistere fecerunt, et eorum immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine iudiciariae potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesiae.
„ Sed pro rei firmitate postulauit a nobis praedictus Episcopus, vt Paternum seu Praedecessorum nostrorum Regum morem sequentes, huiusmodi nostrae immunitatis nostrae praeceptum erga ipsam ecclesiam, immunitatis atque tuitionis gratia, ob amorem Dei et reverentiam ipsius loci, circa ipsam ecclesiam fieri censeremus.

„ Cuius

[*] Alias *Orbeldric.* MIR.
[**] Data prorsus est vitiosa, ait *Gomicurtius*, MIR.

„ Cuius petitioni libenter assensum praebuimus, et hoc nostrae au-
„ ctoritatis praeceptum fieri decreuimus, per quod praecipimus atque
„ iubemus, ut nullus iudex publicus, neque quislibet ex iudiciaria po-
„ testate, aut nullus ex fidelibus nostris in ecclesias, aut loca, vel
„ agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibusli-
„ bet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri iuste et rationa-
„ biliter memorata tenet vel possidet ecclesia, et ea, quae deinceps
„ iure ipsius sancti loci diuina pietas augere dignabitur, ad caussas
„ audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas facien-
„ das, vel fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae tam in-
„ genuos, quam et seruos, super terram ipsius commanentes, iniuste
„ distringendos, neque vllas redhibitiones, aut illicitas occasiones re-
„ quirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea,
„ quae superius memorata sunt, exigere praesumat. Sed liceat memo-
„ rato Praesuli, suisque successoribus, res praedictae ecclesiae cum
„ omnibus sibi subiectis sub tuitionis et immunitatis nostrae defensio-
„ ne quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio: atque
„ pro incolumitate nostra, coniugis ac prolis, seu etiam totius regni,
„ a Deo nobis collati, et eius clementissima miseratione per immen-
„ sum conseruandi, vna cum clero et populo sibi subiecto, Domini im-
„ mensam clementiam exorare: et quidquid de praefatis rebus eccle-
„ siae ius Fisci exigere poterat, integrum eidem concessimus eccle-
„ siae, scilicet, vt in perpetuo tempore ei ad peragendum Dei ser-
„ uitium augmentum et supplementum fiat. Hanc itaque auctorita-
„ tem, vt pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fideli-
„ bus sanctae Dei ecclesiae et nostris diligentius conseruetur, manu
„ propria subter firmauimus, et anuli nostri impressione signari fe-
„ cimus.

„ Signum Domini LVDOVICI, piissimi Regis.

„ HARDBERTVS (*) ad vicem RATLERII recognoui. Datum XV.
„ Cal. Iunii anno 29. Domini et Serenissimi Regis, LODOVICI
„ in orientali Francia regnante, Indictione secunda. Actum Fran-
„ conefurd Palatio Regio, In Dei nomine feliciter Amen.

V.

Diploma Ludouici Germanici apud Calmet *Hist. eccl. Lotharing. tomo I. in probat. pag.* 312, et Mabillon. *Annal. Benedictin. tom. III. pag. 679.*

Ann. 875.

„ IN nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina
„ fauente gratia Rex. Quidquid enim locis Sanctorum venerabi-
„ lium, ibique degentium fratrum ob amorem Domini nostri Iesu
„ Chri-

(*) *Hubertus* BVCHEL.

„ Christi, pia augmentatione conferimus vel confirmamus, hoc procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus, et profuturum nobis ad praesentis vitae curricula felicius transienda, nec non et beatitudinis praemia securius obtinenda, non dubitamus. Quapropter comperiat omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium, nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, quia fratres ex coenobio sancti Martini, nec non et beati Vdonis Confessoris Christi, nostram adeuntes clementiam, reclamando, quod substantia victus illorum minus deerant necessaria, (*) innotuerunt. Vnde precantes nostram mansuetudinem, vt pro amore Dei et reuerentia Sanctorum inibi Domino quiescentium, nostra largitas ex rebus eiusdem ecclesiae aliquid restitueremus, et restituta in augmentum salubre victus ac vestitus pro remedio genitoris nostri nostraeque coniugis, seu sobolorum nostrorum, deinceps ad emolumentum proficerent. Quorum petitionibus aures misericordiae nostrae libenter adquiescentes, quia ipsa ecclesia in nostris manibus habebatur per consensum ac consulium Bertulfi, Treuerensis venerabilis archiepiscopi ceterorumque nostrorum, ad eorumdem fratrum vsus concessimus, ac praecepto nostrae auctoritatis constituimus, id est, villam Grinstad in VVarmacense, cum omni integritate, eo scilicet rationis tenore, vt deinceps nostris futurisque temporibus potestatem habeant ipsi monachi ordinandi legitimo duntaxat iure de suis vsibus, quidquid rationabiliter elegerint vel voluerint; et nulla regia vel episcopalis vmquam potestas hoc nostrae auctoritatis praeceptum infringere vel violare audeat; sed vt superius dictum est, pro mercedis nostrae augmento, ac genitoris sobolorumque nostrorum attentius Domini implorent misericordiam. Et vt haec nostrae auctoritatis confirmatio futuris temporibus stabilior ac firmior habeatur, manu propria subter eam firmauimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus.

„ Signum Ludouici, Serenissimi Regis.

„ Luidbrandus Diaconus ad vicem Luithberti archicapellani recognoui et subscripsi. Data vndecimo Kal. Decembris anno XXXVIII. (**) regni Ludouici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis, Indictione nona. Actum Metis ciuitate, in Dei nomine feliciter Amen.

§. VI.

[*] Forte: *quod substantia victus eorum nimis deerat necessaria.*
[**] Inchoauit hanc epocham ab anno 838. quo orientalem Franciam viuo patre armis vindicauit.

VI.

Diploma Ludolphi, ducis Saxoniae apud Bodon. *Syntagm. de eccles. Gandersh.* apud Meibom. *tom. II. pag.* 481. et ex ipso authographo emendatum apud Leukfeld. *Antiqu. Gandersh. cap.* 3. §. 4. *pag.* 22. et de nouo collatum a Io. Christoph. Harenberg. *Hist. Gandersh. pag.* 60.

„ † QVia scriptum est, pretium animae viri diuitiae eius. Idcirco „ ego LVDOLFVS, Dux Saxoniae notum esse cupio omni- „ bus Christi Fidelibus, tam praesentibus, quam futuris, quod „ (ego post inchoationem monasterii puellarum) (**) quod diuina in- „ spiratione commonitus, simulque dilectae coniugis meae ODAE sua- „ dela inductus in honore praecursoris Stephanique prothomartyris in „ Brunnistashusen aedificare coepi, literis Domini nostri LVDOVICI, „ Romanorum regis inuictissimi ad Sanctissimum SERGIVM Papam „ acceptis, cum praedicta coniuge mea anno dominicae incarnationis „ octingentesimo quinquagesimo tertio (*), indictione prima, Ro- „ mam iui, et in praesentia ipsius summi Pontificis praenominatum „ monasterium et omnem proprietatis meae hereditatem, quam ha- „ bui, videlicet Gandesemiamarku, Aluunge marcu et Ruderinge „ marcu, et Dengdia marcu, & Lachtiandorp marcu, et alia loca „ plurima cum familiis vtriusque sexus, Apostolorum Principi pro „ remedio animae meae et eorum simul, quibus debitor extiti, in „ ius et proprietatem integraliter tradidi, sanctorum etiam Romano- „ rum Pontificum, Anastasii et Innocentii pignora gloriosa nobiscum „ deportanda pio nobis caritatis affectu tradens, petiit, et accepit a „ nobis promissum, Ecclesiam in honore praedictorum confessorum fa- „ bricandam, et lumen ante ipsorum pignora indeficienter administran- „ dum. Vt autem haec omnia per succedentia sibi secula firma et „ indissolubilia persistant, priuilegium plenae ac perpetuae libertatis in „ papyro conscriptum, vbi omnia praedicta continentur, monasterio „ nostro libere vtendum contradidit. Nos autem (**) in continenti „ duas stolas albas, XXX. aureis intextas, eidem beato Sergio Pa- „ pae tradidimus, statuentes, vt Abbatissa, que pro tempore fuerit, „ eumdem censum sanctae Romanae ecclesiae in signum libertatis sin- „ gulis annis persoluat. Cum autem, diuina cooperante gratia, pro- „ spere domum redissemus, gratanter a sancto Collegio recepti, eum- „ dem locum sacro collegii (†) puellarum coetui videntes nimis an- „ gustum, in quadam silua hereditatis nostrae, iuxta fluuium Gande, „ qui alio nomine Ettherna nuncupatur, an. ab incarnatione Domi- „ ni DCCCLVI. (††) indict. quarta Ecclesiam in honore praedi- „ ctorum Confessorum non longe a loco priori, celebriori aedificio „ con-

[**] Haec parenthesi inclusa desunt apud HARENBERG.

[*] HARENB. DCCCXXXXIIII. Indictione VII.

[**] HARENB. *etiam* ...

(† HARENB. omittit *collegii*.

[††] HARENB. anno DCCCVI.

„ construximus. Precamur igitur vos legentes vel audientes huius no-
„ strae donationis paginam, vt caelestis regni clauigerum pro nobis
„ suppliciter exoretis, quatenus post funera carnis nostrae Paradisi ia-
„ nuas tradita sibi potestate nobis aperiat, atque in extremo examine
„ ante tribunal aeterni Iudicis supplex pro nobis aduocatus existat.
„ Amen. †

VII.

Diploma Ludolphi, Saxoniae ducis apud eumdem Leukfeld *Antiqu. Gandersh. cap. 4. p. 28.* et Herenberg. *Hist. Gandersh. diplom. pag. 47.*

„ QUia scriptum est, pretium animae viri diuitiae eius. Idcirco ego
„ LVDVLFVS simul cum Coniuge mea ODA, quantam heredi-
„ tatis nostrae partem Dei ancillis tradendam pro redemtione
„ animae nostrae, et eorum simul, quibus debitores sumus, iudicaui.
„ Proinde omnes vbique in Christo fideles, tam praesentes, scilicet,
„ quam futuros, nosse volo, me ad ecclesiam Gandeshemensem, san-
„ ctimonialibus ibidem Deo seruientibus tradidisse, quicquid in Gan-
„ deshemia marcu, et in Ruderia marcu, et in Aluunga marcu ha-
„ bui, in terris, siluis, campis, (pratis, pascuis, aquis aquarumque
„ decursibus, propriis vel communibus domibus, (*) aedificiis vel prius
„ habitis, vel postea constructis, mancipiis quoque diuersi generis vel
„ conditionis, mobilibus et immobilibus, et in quibuscunque rebus
„ cum omni integritate earum. Et vt haec traditio firmior esse, et
„ indissolubilem per succedentia sibi secula auctoritatem habere posset,
„ filiam meam HATHVMODAM nomine, sacro velamine ibidem con-
„ secrari faciens, tam Imperiali auctoritate, quam Apostolicae sedis
„ literis, et Episcopali benedictione munire curaui, et Sanctorum
„ Christi Confessorum Anastasii Papae et Innocentii Papae corpori-
„ bus, et tam sancti Saluatoris, quam eius sanctae Genitricis et duo-
„ decim Apostolorum dignis reliquiis a venerabili SERGIO acceptis,
„ adornare studui. Cuius literas, quamuis in papiro secundum pristi-
„ nam Apostolicae sedis consuetudinem scriptas habeam, hic tamen
„ propter eos, qui illas habere non possunt, ponere dignum duxi: Vn-
„ de parumper legentes vel audientes, a me ad illius verba se con-
„ vertant.

„ SERGIVS Episcopus, Seruus seruorum Dei, omnibus vene-
„ rabilibus confratribus nostris, Archiepiscopis, seu reuerendis-
„ simis et sanctissimis Episcopis, religiosis Abbatibus, gloriosis
„ Ducibus, Clericis, comitibus atque cunctis fidelibus sanctae
„ Dei ecclesiae praesentibus et futuris. Omnis itaque Christiano-
„ rum militia sciat, ac sine vlla dubitatione indubitanter agno-
„ scat. Quia mandante nobis Domino atque inuictissimo Rege

(*) Omittit haec HARENBERGIVS.

„ nostro HLVDOVVICO, vt pro coenobio, quod auus, et eius
„ postea carissimus genitor in honore omnipotentis Domini dedicauerunt, ad eumdem locum de Sanctorum Christi corporibus
„ mandare deberemus. In qua videlicet petitione congrua et satis iusta hunc venerabilem et gloriosum Comitem LIVTVLFVM
„ nomine, qui eidem sacro loco praeest, cum Imperiali Epistola
„ ad nos dirigere studuit. Nos quoque tam saluberrimam dignamque postulationem cum magna laetitia et exultatione suscepimus, et pro salute patriae et magno caritatis amore, quem
„ erga Christianissimum Imperatorem et Dominum nostrum habemus, beatissimorumque Christi Praesulum corpora Innocentii et Anastasii PP. nec non et reliquias Domini ac Saluatoris
„ nostri, sanctaeque suae Genitricis Mariae, atque duodecim Apostolorum ad praedictum sanctum locum deferenda libenter praebuimus; Propterea has vobis omnibus in Christo pie viuentibus nostras Apostolicas sillabas monstrari iussimus, vt non, quod
„ absit, increduli, sed modis omnibus existatis veraces, quod
„ nos praedicto huic Luitulfo, glorioso Comiti praedictorum Sanctorum corpora Innocentii et Anastasii PP. siue reliquias
„ dedimus.

„ Haec sunt verba Epistolae, quam mihi Venerabilis Papa SERGIVS, in papiro, (vt diximus scriptam et suo sigillo) (*) munitam
„ dedit quam ita ideo huic traditioni meae inserere volui, vt, quicunque haec legeret, sciat, vel quanta auctoritate locus iste in monasterium sit fundatus et consecratus, vel quorum sanctorum corporibus et pignoribus illustratus, vel ad quorum Sanctorum memoriam
„ haec traditio, quam ad ecclesiam Gandeshemensem ancillarum
„ Dei vsibus deputaui, sit facta.

VIII.

Diploma Ludouici Germanici ex authentico excriptum a Nic. Schatenio *Annal. Paderborn. lib. II. ad a.* 845. *pag.* 130.

ANNO 845.

„ IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS diuina fauente gratia Rex. Cum in nomine vnicae et perpetuae
„ Trinitatis pro regimine S. Matris et vniuersalis Ecclesiae, etiam
„ et pro statu regni nobis diuinitus et paterno iure commissi Patherbrunnen peruenimus, aderant inter ceteros fideles nostros quidam
„ Monachi cum venerabili eorum Praeposito Vualanae (**) ex monasterio, quae noua Corbeia nuncupatur, coramque familiaribus
„ Consiliariis nostris in praesentiam culminis nostri adducti attulerunt

[*] Haec quoque omisit HARENBERGIVS.

[**] MSC. *Walent.*

„ runt Domni ac Genitoris nostri Hludouici, excellentissimi Im-
„ peratoris quoddam praeceptum, in quo continebatur, qualiter
„ idem Christianissimus Imperator praefatum monasterium in honorem
„ S. Stephani protomartyris Christi super fluuium Wisera, in villa
„ regia, in loco dudum nuncupante Hucxeri Adalhardo cuidam seni
„ Abbati germanoque suo Walanae (*) construi ac fabricari praece-
„ pisset, obsecrantes clementiam Serenitatis nostrae, vt pro maiori
„ firmitate ac certiori studio securitatis nostrae mansuetudinis super
„ hoc praeceptum paterno ac regali affectu confirmari deberet. Quo-
„ rum petitioni iustae, et rationabili aurem libenter accomodauimus,
„ ac praescriptam villam Hucxeri (**), quam Serenissimus Augustus
„ ad praefatum monasterium tradiderat, cum omnibus finibus vel ter-
„ minis suis, terrisque, siluis, aquis, aquarum decursibus, seu cun-
„ ctis adiacentiis, nec non adpendiciis suis, siue res et possessiones,
„ quae a Deum timentibus vel gratiam diuinam diligentibus ibi conla-
„ tae sunt, etiam et res, quae ad Corbegiam antiquiorem, ex cu-
„ ius vocabulo illud monasterium nomen vsurpat, traditae fuerunt
„ (I), intra fines regni Saxoniae, terris, siluis, campis, pratis, pa-
„ scuis, aquis aquarumque decursibus, propriis vel comunibus aedifi-
„ ciis, prius habitis vel postea constructis, mancipiis quoque diuersi ge-
„ neris vel conditionis, mobilibus et immobilibus datum vel traditum
„ erat cum omni integritate praefato monasterio, et Monachis ibidem
„ Deo soli (II) militantibus ad possidendum fruendumque per hanc
„ nostram auctoritatem in eleemosinam praefati piissimi genitoris no-
„ stri ac nostram confirmare atque stabilire decreuimus. Libuit etiam
„ nostrae Celsitudinis pietatem erga diuae memoriae Genitoris nostri
„ Nobilissimi institutionem, quando diuina vocatione Abbas (III)
„ praedicti monasterii vitam finierit mortalem, quamdiu ipsi mona-
„ chi inter se talem inuenire huiusce vitae quiuerint, qui ipsam con-
„ gregationem secundum regulam S. Benedicti, primi instructoris il-
„ lius normae, regere valeat, per hanc nostram auctoritatem licen-
„ tiam habeant eligendi Abbatem, quatenus ipsos seruos Dei, qui il-
„ lic vni Deo diu noctuque seruiunt, pro nobis proleque nostra et sta-
„ bilitate regni a Deo nobis conlati iugiter Dei misericordiam exora-
„ re delectet. Illud vero inserere hoc praecepto nostrae placuit regiae
„ auctoritati, vt licentiam habeant Rectores et ministri eiusdem mo-
„ nasterii, cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legali-
„ ter commutare, videlicet vt quidquid pars iuste et rationabiliter al-
„ teri contulerit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem iure
„ firmissimo teneant atque possideant, et quidquid exinde facere vo-
„ luerint, libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi, quid-
„ quid elegerint. Et vt haec auctoritas largitionis atque confirmatio-
„ nis nostrae per diuturna tempora inuiolabilem atque inconuulsam

T 2 „ ob-

[*] MSC. *VValone*.
[**] MSC. *Huxeri*.
[I] MSC. *fuerant*.
[II] Abest *soli* in vet. MS.
[III] Vet. MSC. *Abba*.

„ obtineat firmitatem, manu propria subter firmauimus et anuli no„ stri impressione signari iussimus.

Signum  Hludouici Gloriosissimi Regis.

„ Dominicus Notarius ad vicem Radleici recognoui. Data IIII. „ Idus Decembris anno Christo propitio septimo (*) regni Do„ mni Hludouuici Regis in orientali Francia. Indict. VIII, „ Actum Patherbrunnen in Dei nomine feliciter. Amen.

VIIII.

Diploma alterum eodem die datum Corbeiensibus apud Schaten. *ibid. pag.* 131.

ANN. 845.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVVICVS di„ uina fauente gratia Rex. Si de rebus terrenis, quibus diuina „ sumus largitate grauati, Laicorum, propter amorem Dei eorumque „ in istis locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, hoc no„ bis procul dubio ad aeternae remunerationis praemia capessenda pro„ futurum, liquido credimus. Idcirco nouerit omnium fidelium S. Dei „ ecclesiae nostrique praesentium et futurorum sollertia, quia nos pro „ mercedis nostrae augmento concessimus ad monasterium, quod no„ ua Corbeia nuncupatur, quod est constructum in honorem S. Ste„ phani, Protomartyris Christi, super fluuium Wisera in villa regia „ in loco nuncupante dudum Huxeri, mansa vndecim, quae sunt in „ pago Augueae, in villa, quae dicitur Hemli: cum omnibus appen„ diciis vel ad se pertinentibus in terris videlicet cultis et incultis, „ filuis, aquis aquarumque decursibus, adiacentiis, peruiis, exitibus „ et regressibus, quaesitum et ad inquirendum, vel quantumcumque „ infra praescripta villa, vel quae ad ipsa vndecim mansa pertinere „ videntur, vt nostri iuris atque possessionis in re proprietatis est, „ totum et integrum praescripto monasterio Corbeiae et mona„ chis ibidem Deo soli militantibus perpetualiter ad possidendum „ fruendumque concessimus, atque de nostro iure in ius et domina„ tionem praefati monasterii liberalitatis nostrae munere contulimus; „ ita videlicet, vt quidquid exinde ab hodierna die vel tempore Re„ ctores

(*) Ab anno 838. quo Franciam orientalem viuo patre armis vindicauit.

„ ctores et ministri eiusdem monasterii facere, ordinare atque dispo-
„ nere voluerint, per hanc nostram auctoritatem liberam in omnibus
„ habeant potestatem faciendi, quidquid egerint. Et vt haec aucto-
„ ritas largitionis atque confirmationis nostrae per curricula annorum
„ inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, manu propria
„ subter firmauimus, et anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum  *Hludouici Gloriosissimi Regis*,

„ Dominicus Notarius ad vicem Radleici recognoui. Data IIII.
„ Idus Decembris, anno Christo propitio VII. (*) regni Do-
„ mini Hludouici, Regis in orientali Francia. Indict. VIII.
„ Actum Patherbrunnen in Dei nomine feliciter. Amen.

X.

Diploma Ludouici Germanici Corbeiense apud Schaten. *ibid. pag. 132. sequ.*

ANNO 845.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS, di-
„ uina fauente gratia Rex. Si erga loca diuinis cultibus mancipata
„ propter amorem Dei eorumque in eisdem locis sibi famulantibus
„ beneficia opportuna impendimus, atque de rebus terrenis diui-
„ na miseratione nobis collatis largitionis nostrae munere quidquam
„ conferimus, hoc nobis procul dubio non solum ad stabilitatem
„ regni pertinere, verum etiam ad aeterna beatitudinis praemia ca-
„ pessenda profuturum, liquido credimus. Idcirco notum fieri volu-
„ mus omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum
„ sagacitati, qualiter nos ob amorem Dei, et emolumentum animae
„ nostrae quasdam proprietatis nostrae res concessimus ad monasterium,
„ quod dicitur noua Corbeia, quod est situm super fluuium VVise-
„ ra, constructum in honore sancti ac beatissimi Stephani Protho-
„ martyris, vbi praesenti tempore venerabilis vir VVarinus, aucto-
„ re Deo Abba praeesse videtur, sunt enim praedictae res in pago
„ Guottinga in villa, quae dicitur Amplidi, hoc est, mansum do-
„ minicatum cum casis et reliquis aedificiis, cum aliis mansis vi-
„ ginti ibidem aspicientibus ac deseruientibus. Has itaque res, si-
„ cut

(*) Anni eodem modo, ac in superiore diplomate, numerantur.

„ cut diximus, cum domibus, aedificiis, mancipiis vtriusque sexus, „ salinariis, terris cultis et incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, adiacentiis, peruiis, exitibus et regressibus, quaesitis et inquirendis, quemadmodum Banzleibs Comes in beneficium hactenus habuit, et nostri iuris atque possessionis in re proprietatis est, totum et ad integrum praedicto monasterio concessimus, et de iure in jus, et dominationem eius liberalitatis nostrae munere contulimus, ita, vt de iisdem rebus et mancipiis Rectores et ministri praedicti monasterii ob vtilitatem et necessitatem ipsius, facere, ordinare atque disponere voluerint, per nostrae auctoritatis largitionem libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Hanc itaque auctoritatem largitionis nostrae, vt per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, et a fidelibus S. Dei Ecclesiae nostrisque verius credatur, et diligentius conseruetur, manus nostrae signaculis subter eam decreuimus corroborare, et anuli nostri impressione assignare iussimus.

Signum  *Hludouici gloriosissimi Regis.*

„ Adalleodus ad vicem Rathleici recognoui et ss. Data VIIII. Calend. Ianuarii anno Christo propitio VII. (*) regni Domni Hludouuici regis in orientali Francia. Indict. VIII. Actum Rosbar Villa in Dei nomine feliciter Amen.

X I.

Diploma Ludouici Germanici Corbejensibus et Heriuordiensibus datum apud Schaten. *ibid. pag.* 141. *sequ.*

Anno 853.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS diuina fauente gratia Rex. Si petitiones seruorum Dei iustas et rationabiles ad effectum perduxerimus, et ad humanam vitam feliciter transigendam, et perpetuam felicius promerendam procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse volumus, quomodo venerabilis Abbas VVarinus adiit Excellentiam nostram suppliciter orans, vt nostra munificentia prospiceremus monasteriis illi commissis, quorum vnum est monachorum, noua Corbeia nomina-

„ mina-

[*] Vide quae notauimus ad dipl. 8.

„ minatum, vbi et ille primum regulari electione Abbas extitit, et „ alterum est Sanctimonialium, Herifordt dictum, et propriae Abbatissae, cuius nomen Addila, subiectum, sed iuxta consuetudinem, „ quod ancillarum Dei congregationibus procurari solent praepositi ex „ ecclesiastico ordine, iam dicto Abbati commendauimus, vt tam in „ disciplina Abbatissam inuare, quam in cunctis negotiis, quae famulae Christi pro sexu et professione sua exequi non possunt, ipsarum prouisor et patronus existeret. Is ergo petiit celsitudinem nostram, recordari, quod piae memoriae genitor noster Hludouicus „ Imperator ambo haec monasteria exstrui iussit ad normam videlicet „ praecipuorum in Gallia monasteriorum, Nouam vtique Corbeiam „ ad similitudinem antiquae Corbeiae, Herifordense vero coenobium „ ad exemplum monasterii Sanctimonialium in Suessionis ciuitate existentium, et vt in eleemosinam suam hac totius generis sui institutionem earumdem perfectio expleretur, cellam iuris sui, quae „ vocatur Meppia, cum decimis et possessionibus vndique ad eam pertinentibus, et ecclesiam Eresburg, quam auus noster Carolus primo extruens in Saxonia decimis dotauit, circum quaque habitantium per duas Saxonicas rastas praefatus noster genitor ad nouam „ Corbeiam tradidit, ad herfordiensis autem monasterii adiumentum „ dedit, in episcopatu quidem Osnabrugensi ecclesiam buginthi cum „ subiectis sibi ecclesiis, in parochia vero Mimigerfordensi ecclesiam „ hereni, cum his, quae ad eam pertinent ecclesiis. Ita sane, vt decimarum aliorumque redituum prouentiones praefatis cederent monasteriis, et ab ipsis vicissim procurentur subiectae plebes in baptismate, in eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda, et presbyteri, qui principales ex his ecclesias tenerent, „ archipresbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quae solent fieri ab Archipresbyteris Episcoporum. Cum autem ipsi Episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica „ daretur, quod in Capitularibus antecessorum nostrorum praescriptum „ habetur. Nos igitur rata esse volumus cetera omnia, tantum expensas ad ministerium Episcopi propter aegritudinem et senectutem „ ei, quae nunc est Gozberti augere debemus. Id iuxta petitionem „ saepe dicti Abbatis VVarini ita moderari placuit, vt descripto, „ quantum satis sit ad seruitium Episcopi, hoc nullo modo subtrahatur, et episcopus vicissim ampliora non requirat, nec cum pluribus veniat, quam vt eis sufficere possint. In quibus satis esse consensit praefatus Episcopus coram nobis et archiepiscopo nostro HRhabano ceterisque cum eo in synodo agentibus. Item vt dentur ad „ singulas ecclesias porci quatuor, valentes singuli denariis duodecim „ et octo arietes, qui eadem pene summa, quod quatuor porci aestimarentur, tres porcelli, quatuor aucae, octo pulli, viginti situlae de medone, 20. de mellita cereuisia, 40. de non mellita, 120. „ panes, 100. modii de auena, manipuli 600., sitque in potestate „ Episcopi, vtrum haec per singulas ecclesias ad vnam mansionati-

„ cam

„ cam, an ad duas velit habere. Ne autem in fumma debiti his
„ plus aut minus complectatur, hoc auctoritatis noftrae praecepto cum
„ confenfu finodali decernimus atque iubemus. His etiam adiungere
„ placuit liberam vtrique loco conceffionem eligendae de propria con-
„ gregatione in regimen fuis per futura femper tempora congruae per-
„ fonae. Et vt omnis hinc dubietas tollatur, manu propria haec ro-
„ borantes anuli noftri impreffione fignari iuffimus.

Signum  *Hludouici Gloriofiffimi Regis.*

„ Hadelbertus Subdiaconus ad vicem Baldrici abbatis recognoui,
„ data II. Calend. Iunii anno Xmo. (*) regni Gloriofiffimi Re-
„ gis Hludouici in orientali Francia regnantis Indict. I. Actum
„ in palatio regio Franconofordt in Dei nomine feliciter Amen.

XII.

Diploma Ludouici Germanici Corbeienfibus datum apud Schaten. *ibid. pag.* 143.

ANN. 855.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS diui-
„ na fauente gratia Rex. Si liberalitatis noftrae munere de bene-
„ ficiis a Deo nobis conlatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id
„ nobis et ad mortalem vitam feliciter tranfigendam et ad aeternam
„ perpetualiter obtinendam profuturum, liquido credimus. Idcirco no-
„ tum fieri volumus omnium fidelium noftrorum tam praefentium,
„ quam et futurorum fagacitati, quia petente atque fuggerente Wa-
„ rino, venerabili Abbate, qui monafterium, quod dicitur noua Cor-
„ beia noftra conceffione in regimine habere dinofcitur, quod piae me-
„ moria Genitor nofter conftrui iuffit in honorem Dei et fancti Pro-
„ tomartyris Stephani vbi et S. Viti Martyris pretiofa pignora ferua-
„ ri nofcuntur, complacuit Celfitudini noftrae quamdam cellulam iu-
„ ris noftri, vocatam Fifchboeki, quae eft conftructa in pago Leri,
„ memorato monafterio adiungere, atque per hanc noftram auctorita-
„ tem ei tradere, vt perpetuo fub eius ditione cum omnibus ad fe
„ pertinentibus et afpicientibus confiftat. Hanc, vt diximus cellulam
„ fub

(*) A diuifione regni paterni anno 843. perfecta.

„ sub integritate, cum omnibus rebus, appendiciis et terminis suis, „ et cum omnibus ad se pertinentibus, id est basilicis, domibus, ceterisque aedificiis, Decimis, silvis, campis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, mancipiis diversi sexus et aetatis, memorato monasterio subditam esse facimus, atque per hanc nostram auctoritatem ita condonamus atque tradimus, vt in iure eiusdem ac monachorum inibi per tempora Deo inseruientium in diuersis necessitatibus ad diuinum cultum propensius exequendum, absque cuiuslibet diminoratione aut retractione permaneat. Et nullus fidelium nostrorum ab eorum dominatione vel potestate eam quoquo modo auferre, aut in aliam quamlibet partem quacumque occasione transferre praesumat: neque vllus iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratae cellulae, quas praesenti tempore in quibuslibet pagis et territoriis habet, ac deinceps ibidem conlatae fuerint, ad caussas iudiciario more audiendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius cellulae tam ingenuos, quam et latos (*) distringendos, aut vllas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas vllo vmquam tempore ingredi audeat, vel ea, quae supra memorata sunt, penitus exigere praesumat. Sed liceat memorato Abbati sub immunitatis nostrae auctoritate, successoribusque eius et Monachis in memorato monasterio per tempora degentibus iam dictam cellam cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus ad Dei et Domini nostri, Iesv Christi famulatum diligentius peragendum absque cuiusquam contrarietate vti, et quaecumque ad suos in Domini nostri Iesv Christi militia vsus et necessitates pertinent, ordinare, disponere, iusteque efficere. Quatenus pro pii genitoris nostri animae saluatione, et pro nobis et coniuge proleque nostra et pace nostra ac stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi alacrius eos indesinenter Domini misericordiam exorare delectet. Hanc quoque commonitionem subiungere curauimus, vt praefatus Abbas eiusque per tempora successores prouideant de praefata cellula, ne aliquando negligatur in diuino cultu, neque cuilibet personae in beneficium tribuatur, sed potius procuretur, vt ibi in perpetuum Dei cultus perseueret, et ad praefati monasterii, Monachorumque ibidem Deo seruientium vsus et necessitates perpetuum prospiciat. Et vt haec nostra auctoritas inuiolabilem et inconuulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmauimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus.

(*) Lutas *siue* litos, *luidos*. SCHATEN.

Signum  *Hludouici, sereniſſimi regis.*



„ Hadebertus Subdiaconus ad vicem Baldrici Abbatis recognouí.
„ Data XIII. Calend. Aprilis anno XXIII. (*) Sereniſſimi Re-
„ gis HLudouici in orientali Francia regnantis. Indictio III.
„ Actum in villa Lipilingas in Dei nomine feliciter Amen.

XIII.


Diploma Ludouici Germanici Paderbornenſe apud Schaten. *ibid. pag.* 149. et Conring. *Cenſur. diplom. Ludou. cap. 4. pag. 27.*

A n n. 859.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina fa- „ uente gratia Rex. Si liberalitatis noſtrae munere loca Deo di- „ cata et neceſſitates Eccleſiaſticas per petitiones pontificum atque ſa- „ cerdotum noſtro releuamus munimine, atque tuémur iuuamine, id „ nobis et ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam, et ad ae- „ ternam obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter no- „ uerit ſagacitas, ſeu vtilitas omnium fidelium ſanctae Dei Eccleſiae „ noſtrorumque tam praeſentium, quam futurorum, qualiter venera- „ bilis Epiſcopus fideliſque noſter Batheradus nomine, veniens in pro- „ cerum noſtrorum praeſentiam obtulit obtutibus noſtris praeceptum „ Domini ac genitoris noſtri Ludouuici, Sereniſſimi Imperatoris, quod „ ipſe facere iuſſit per petitionem praefati venerabilis Epiſcopi ad lo- „ cum, qui vocatur Patherbrunno, conſtructum in honore Sanctae „ Ma-

(*) Integrum diploma, niſi quod in anno regni orientalis error interuenerit ex ſcriptorum vitio, nam quod Cleinſorgius retulit, annum Ludouici regis XII. exhibet, id vero, quod ex Corbeienſibus tabulariis accepimus, annum Ludouici Regis XXIII. praefert: ex indictione tamen tertia in Corbeienſi adſcripta, ad hunc annum 855. referre viſum, qui regni orientalis Franciae paſſim XV. notatur. SCAT. Immo verus eſt hic annus regni XXIII. ſi numeres ab anno 832. quo primum arma mouit Ludouicus; id regnum vindicaturus.

„ Mariae femper Virginis et fancti Kiliani, in quo praecepto continebatur immunitas atque defenfio feu tuitio domini Imperatoris, genitoris noftri fupra praedictum locum, fed pro integra firmitate ac fecuritatis ftudio praefatus venerabilis Epifcopus Batheradus deprecatus eft manfuetudinem noftram, vt ipfam defenfionem ac tuitionem per noftrae manfuetudinis praeceptum renouare dignaremur, cuius petitioni ob amorem Domini mei Iesv Chrifti et reuerentiam praenominati venerabilis Epifcopi, feu animae noftrae remedium libenti animo affenfum praebentes tale auctoritatis praeceptum ad ipfum fanctum locum fieri decreuimus; quatenus fub quali defenfione domini genitoris noftri fuit, ita deinceps fub noftra tuitione et immunitatis defenfione cum omnibus ad fe iufte ac legaliter pertinentibus permaneat. Praecipientes ergo iubemus, vt nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria poteftate in ecclefias aut loca vel agros feu reliquas poffeffiones memoratae Ecclefiae, quas moderno tempore infra ditionem regni noftri legibus poffidet, vel quae deinceps in iure ipfius loci voluerit diuina pietas augeri ad caufas iudiciario modo audiendas aut freda exigenda, aut manfiones vel paratas faciendas, aut fideiuffores tollendos, aut homines ipfius Ecclefiae contra rationem diftringendos, nec vllas redhibitiones vel illicitas occafiones requirendas vllo vmquam tempore ingredi audeat, vel ea omnia, quae fupra numerata funt, penitus exigere praefumat, fed liceat memorato Epifcopo fuifque fucceforibus res praedictae Ecclefiae cum omnibus, quae poffidet, quieto ordine poffidere, et noftro fideliter parere imperio: quidquid vero Fifcus exinde fperare poterat, totum nos pro aeterna remuneratione praedictae Ecclefiae ad ftipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus, quatenus melius delectet clericos in eadem fede degentes pro nobis, coniuge proleque noftra, Domini mifericordiam exorare. Haec quippe auctoritas vt pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus fanctae Dei ecclefiae ac noftris verius credatur et diligentius obferuetur, manu propria noftra fubter eam firmauimus et anuli noftri impreffione adfignari iuffimus.

Signum  *Domni Ludouici Sereniffimi Regis.*

„ VValto Subdiaconus ad vicem VVitgarii Cancellarii recognoui. Data XI. Calend. Iunii anno Chrifto propitio XVIIII. (*) re-

V 2 „ gni

(*) Apud Conring. *Cenf. dipl. Ludou. cap.* 4. *pag.* 98. legitur *ann. XVII.* male. Signum etiam aliud eft, nempe tale:

„ gni Ludouici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis
„ Indict. VI. Actum Francofurt palatio regio in Dei nomine
„ feliciter Amen.

XIIII.

Diploma Ludouici Germanici Heruordiense apud Schaten. *Annal. Paderb. lib. III. pag.* 157.

A N N. 865.

„ IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina
„ fauente gratia Rex. Si enim liberalitatis nostrae munere locis
„ Deo dicatis quicquam conferimus, et necessitates ecclesiasticas no-
„ stro subleuemus iuuamine, atque regali tueamur munimine, id nobis
„ ad aeternam vitam felicirer obtinendam profuturum, liquido credi-
„ mus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum industria,
„ praesentium scilicet et futurorum, qualiter nos ob amorem Dei et
„ remissionem peccatorum nostrorum, Augustissimorum Imperatorum
„ ad monasterium, quod dicitur Heriuurt, quod est constructum in
„ honore Sanctae Mariae semper virginis, situm in Ducatu Saxoni-
„ co, vbi praesentibus temporibus Hadewic abbatissa et Rectrix esse
„ videtur, quasdam res proprietatis nostrae in pagis Dreini et Boro-
„ ctra cognominantibus, et in comitatibus Burchardi et VVarini con-
„ iacentes, id est, casas dominicatas duas cum territorio dominicali,
„ vnam scilicet in Seliheim, et alteram in Stockheim, nec non ad
„ mansos triginta pertinentes ad loca praenominata, et quidquid di-
„ ci aut nominari potest, quae ad praedicta loca iure pertinere no-
„ scuntur, cum familiis sexaginta, quae lingua eorum lazi dicuntur,
„ totum et integrum per hanc nostram auctoritatem ad memoratum
„ monasterium perperualiter in proprium tenendum concessimus, et
„ de iure nostro in ius et dominationem eiusdem monasterii transfun-
„ dimus et condonamus, ea scilicet ratione, vt perpetuo Sanctimo-
„ nialibus ibidem Domino iugiter famulantibus in cibariis et victua-
„ libus reliquisque vsibus earum per futura tempora Christo propitio
„ consistant, et in beneficio res ipsae nulli concedantur, sed solum-
„ modo absolute ad mensam earum iugiter deseruiant, et nullus succes-
„ sor noster hanc auctoritatem largitionis nostrae aliter immutare pos-
„ sit, neque vllus publicus iudex, aut aliqua iudiciaria potestas ali-
„ quam molestiam aut contrarietatem in his rebus illis facere praesu-
„ mat; Sed liceat ipsis suas res libere et absolute domino adiuuan-
„ te et nostra munitione tuente possidere, omni iudiciaria remota
„ potestate. Et vt haec auctoritas largitionis nostrae per futura tem-
„ pora firmior habeatur, et a fidelibus nostris melius conseruetur ve-
„ riusque credatur, subter eam manu propria nostra firmauimus et a-
„ nuli nostri impressione adsignari iussimus.

Signum

Signum  *Hludouici Serenissimi Regis.*

„ Hadebertus Subdiaconus ad vicem Vuitgarii Cancellarii recogno-
„ ui et ss. Data Idus Iunias, anno Christo propitio XXVI. *)
„ HLudouici Serenissimi regis in orientali Francia regnantis. In-
„ dictione XIII. actum in villa Franconouurt palatio regio in
„ Dei nomine feliciter Amen.

XV.

Diploma Ludouici Germanici Heruordiense apud Schaten. *lib. III. pag.* 160.

Ann. 866.

„ IN nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina
„ fauente clementia Rex. Si enim locis Deo dicatis quidquam
„ ex rebus, quas diuino munere possidemus, largitatis gratia confe-
„ rimus, hoc nobis procul dubio ad aeternam vitam promerendam
„ profuturum, liquido credimus. Quapropter nouerit omnium fidelium
„ nostrorum, praesentium scilicet et futurorum, industria, qualiter
„ nos ob amorem Dei et pro absolutione peccatorum Antecessorum
„ nostrorum Augustissimorum Imperatorum ac pro remedio animae
„ nostrae quasdam res proprietatis nostrae, quas Folcheri fidelis noster
„ hactenus in beneficium tenuit, in Ducatu VVestfalorum, conia-
„ centes in pagis Grainga et Treewiti, nec non in comitatibus Bur-
„ chardi, VValtberti et Albrici atque Letti. Id sunt mansi XIIII.
„ cum familiis viginti, qui lingua eorum Luti dicuntur, ad mona-
„ sterium, quod vocatur Heriuurt, quod est constructum in honore
„ Sanctae Mariae semper Virginis, Vbi Haduwic praesentibus tem-
„ poribus Abbatissa et rectrix esse videtur, cum omnibus appendiciis
„ totum et integrum ad praefatum monasterium, in proprium perpe-
„ tualiter tenendum tradimus, et de iure nostro in ius et dominatio-
„ nem ipsius monasterii sollemniter condonamus. Ita videlicet, vt nul-
„ lus successor noster easdem res vlterius subtrahendi licentiam ha-
„ beat, sed ab hodierno die Rectrices atque Sanctimoniales ipsius mo-
„ nasterii easdem res recipiant, atque deinceps per hoc nostrum prae-
„ ceptum data licentia Christo propitio habeant potestatem vtendi pro
„ com-

(*) Desumitur hic initium annorum Ludouici ab anno 840. quo Ludouicus Pius obiit. SCATEN.

„ communi vtilitate eorum, qualitercumque eis libuerit. Et vt haec
„ auctoritas nostrae largitionis atque traditionis per futura tempora fir-
„ mior habeatur, et a cunctis fidelibus nostris melius conseruetur,
„ veriusque credatur, subter eam manu propria nostra firmauimus,
„ et impressione anuli nostri roborari iussimus. „

Signum  *Hludouici Serenissimi Regis.*

„ Hadelbertus Subdiaconus ad vicem Vuitgarii Cancellarii recogno-
„ ui et ss. Data VII. Calend. Maii anno XXVII. regni HLu-
„ douici Serenissimi regis in orientali Francia regnantis Indictio-
„ ne XIIII. Actum in Francovurt palatio regio in Dei nomine
„ feliciter Amen.


XVI.

Diploma Ludouici Germanici Heruordiense apud Schaten. *Annal. Pa-derb. lib. III. pag.* 167.

A n n. 867.

„ IN nomine sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina
„ fauente gratia Rex, si de rebus terrenis, quas diuina sumus
„ largitate consecuti locis sanctorum ob amorem Dei quiddam confe-
„ rimus; hoc nobis procul dubio ad aeternae remunerationis praemia
„ capessenda profuturum, liquido credimus. Idcirco nouerit omnium
„ fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et
„ futurorum industria, qualiter nos concessimus quasdam res proprie-
„ tatis nostrae ad monasterium, quod dicitur Herifurt, siue ad reli-
„ quias Sanctae Mariae semperque Virginis in eodem monasterio con-
„ secratas, in pago videlicet Grainga, in villa, quae vocatur Kelue-
„ ri, id est mansum in dominicatum cum domibus, aedificiis et omni-
„ bus adiacentiis, terris cultis et incultis, filuis, pratis ac pascuis,
„ de reliquo beneficio, quod Hrodradus comes habuit, dimidiam par-
„ tem cum familiis supermanentibus vtriusque sexus numero viginti
„ nouem. In alio autem pago, quod dicitur Sutherbergi, in villa,
„ quae vocatur Lodre, octo familias et nouem mansos. Et in eodem
„ pago in villa, quae vocatur Arpingi vnum mansum cum familia
„ supermanente. Has itaque res, sicut superius diximus, cum domi-
„ bus, aedificiis, mancipiis vtriusque sexus, ac terris, pratis, filuis,
„ pa-

„ paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, totum et integrum praedi-
„ cto monaſterio ad proprium conceſſimus atque confirmauimus. Qua-
„ propter hos apices ſerenitatis noſtrae circa ipſum monaſterium fieri
„ decreuimus, per quos praecipimus atque iubemus, vt nullus iudex
„ publicus in hominibus ipſius loci aſpicientibus poteſtatem vllo vm-
„ quam tempore habeat, praeter aduocatum eorum, neque fideiuſſo-
„ res illorum tollendo, nec in wadiis aut publicis placitis aliquam
„ diſtrictionem in eos faciendo, ſed ob Dei amorem noſtramque con-
„ ceſſionem in futurum omnes res ſuperius inſertas ad iam dictum
„ monaſterium plenlter deſeruiant, abſque alicuius contrarietate aut
„ impedimento. Et vt haec auctoritas donationis ſeu confirmationis
„ noſtrae firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus
„ ſanctae Dei eccleſiae noſtriſque verius credatur, atque diligentius
„ conſeruetur, manu propria noſtra ſubter confirmauimus, et anuli
„ noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.

Signum  *Domini HLudouici Sereniſſimi Regis.*

„ Comeatus Notarius ad vicem Radleici recognouit et ſſ. Data VI.
„ Idus Decembris anno Chriſto propitio XXIIII. (*) regni Do-
„ mini HLudouici glorioſiſſimi Regis in orientali Francia Indi-
„ ctione XV. actum in eodem monaſterio Heriſurd in Dei no-
„ mine feliciter Amen.

XVII.

Tabularum ſynodi Wormatienſis ſub Ludouico Germanico habitae ſubſcriptio apud Schaten. *Annal. Paderb. lib. III. pag.* 165.

A n n. 868.

„ DAtum in VVormatia anno incarnationis Domin. DCCCLXVIII.
„ Imperii vero glorioſiſſimi Regis Ludouici anno XXVIII.
„ Indict. I.

„ Signum Luidberti, Moguntiacenſis Epiſcopi. Signum Ada-
„ luuini, Salzburgenſis Epiſcopi. Signum Rymberti. Hamma-
„ burgenſis Epiſcopi. Signum Altfridi, Hildenesheimenſis Epi-
„ ſcopi. Signum Guazonis, VVormatienſis Epiſcopi. Signum
„ gen-

(*) Hic annus deſumtus a diuiſione regnorum facta anno 844. SCHATEN.

„ Salomonis, Constantiensis Episcopi. Signum Annonis, Frisin-
„ gensis Episcopi. Signum Landfridi, Sabionensis Episcopi. Si-
„ gnum Ermenrici, Patauiensis Episcopi. Signum Otgeri, Ru-
„ belacensis Episcopi. Signum Luitgarii, Augustburgensis Episco-
„ pi. Signum Luidberti, Mimigardnifordiensis Episcopi. Signum
„ Thiadrici, Mimindensis Episcopi. Signum Hildegrini, Hal-
„ uerstadiensis Episcopi. Signum Luthardi, Paderbornensis Epi-
„ scopi. Signum Eralt, Foridensis Episcopi. Signum Aegiberti,
„ Osnabrugensis Episcopi. Signum Bernardi, Chorepiscopi. Si-
„ gnum Heionis, Abbatis et presbyteri. Signum Adalgari, Ab-
„ batis et presbyteri. Signum Thiatrici, Abbatis et presbyteri.
„ Signum Thiadorici, Abbatis et presbyteri. Signum Branwardi
„ Abbatis, Signum Egilberti Abbatis.

XVIII.

Diploma Ludouici Germanici Herisiense apud Schaten, *ibid. p.* 169.

A n n. 871.

„ IN nomine sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina fa-
„ uente gratia Rex. Notum sit omnibus S. Dei Ecclesiae fideli-
„ bus, nostrisque praesentibus et futuris, qualiter Luithardus, Vene-
„ rabilis Ecclesiae Paderbornensis Episcopus, suggessit Serenitati no-
„ strae, vt ei liceat construere quoddam monasterium Sanctimonialium
„ in loco, qui dicitur Herisi, vna cum decreto Luidberti Archiepi-
„ scopi nostri, atque omnium Consynodalium suorum Episcoporum,
„ simulque omnium Consacerdotum et Clericorum Paderbornensis Ec-
„ clesiae, ea videlicet ratione, quod ipse et Soror eius, nomine Wal-
„ burg in sanctimoniali proposito permanens, tradiderunt suam pro-
„ prietatem ad praefatam sanctam Ecclesiam Paderbornensem, quae
„ est constructa in honore S. Dei genitricis Mariae, qualiter eaedem
„ res perpetualiter in eiusdem monasterii potestate consisterent. Po-
„ stea vero deprecatus est nostram Celsitudinem praefatus venerabilis
„ Episcopus Luithardus, vt praefatum monasterium Herisi et res ad
„ illud pertinentes sub nostrae munitatis factione et defensione susci-
„ peremus. Cuius petitioni ad amorem Domini nostri Jesu Christi
„ libenti animo assensum praebentes, decreuimus atque iubemus, vt
„ praescripta super (*) Luithardi Episcopi nomine Walburg, praefa-
„ tum monasterium, quod vocatur Herisi, omnibus diebus vitae suae
„ securiter per hoc nostrae auctoritatis praeceptum habeat. Post huius
„ vero obitum licentiam habeant inter se eligendi Abbatissam, vna
„ cum consensu et conscientia praefatae Paderbornensis ecclesiae prae-
„ sulis et mundiburdium et defensionem de Rectore praefatae Paderbo-
„ nensis Ecclesiae habeat praefatum monasterium Herisi, et per vnum
„ quemque annum quatuor solidos ad eamdem Dei Ecclesiam persol-
„ uat,

(*) lege *Soror.* SCHATEN.

„ uat, simulque mansi X. in villa nuncupata Hayonhus, quae illuc „ venerabilis Episcopus perpetualiter pertinenda concesserat, cum de„ cimis villarum, quae vocantur Herisi, Schmachtum, Dortgardinum „ et Suthgardinum cum appendiciis seu villulis supradictarum ancilla„ rum Dei tradidit per hoc nostrae auctoritatis praeceptum plenius in „ Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante „ perpetuis temporibus permaneant, absque aliquo contradicentis ob„ staculo. Volumus etiam atque praecipimus, vt saepe iam dicti mo„ nasterii ancillarum Dei homines non alio modo a iudiciariis pote„ statibus distringantur, nisi eorum aduocato a nobis constituto, sicut „ Episcopo Paderbornensi praeceptum concessimus. Episcoporum quo„ que synodale decretum cum scripto et signo subscriptionis super prae„ fatum monasterium puellarum Dei, Herisi nomine nostrae largita„ tis concessione firmatum permaneat. Et vt haec auctoritas largitio„ nis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus no„ stris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu propria sub„ ter eam firmauimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus. „ Data Idibus Iunii Anno Christo propitio XXXII. regni Domini Lu„ douici, serenissimi Regis in orientali Francia regnantis, indict. IIII. „ actum Triburias in Dei nomine feliciter, Amen.

XVIIII.

Subscriptio tabularum Alfridi, episcopi Hildesiensis, quibus monasterium Essendiense fundauit, apud Schaten. *ibid. pag.* 173. et plenius apud Dithmar. *Cod. dipl. Cliu. Iul. n.* 58. *p.* 51.

A N N O. 873.

„ ANno incarnationis Dominicae DCCCLXXVII. (*) sub piis„ simo Rege Ludeuuico, anno imperii eius XXXVI. (**) „ apud Coloniam ciuitatem V. Calend. Octobr. in ipso die dedica„ tionis Basilicae S. Petri. Ego Alfridus Episcopus hoc priuilegium „ coram domino VVilberto, (***) praedictae ciuitatis Archiepiscopo re„ citaui, nec non coram Luitberto Moguntiacensi Archiepiscopo, „ et Bertolfo Treuerensi Archiepiscopo, et Berhardo, Verdunensi „ Episcopo, atque Thiederico Mimidonen Episcopo, et Herolfo „ Ferdensi Episcopo, et Luithardo Paderbornensi Episcopo, atque Hil„ degrino Haluerstadiensi Episcopo, et Odolfo Mimigernafurdensi Epi„ scopo, et Othiboldo Traiectensi Episcopo, et coram Luitberto Osna„ brugensi Episcopo, nec non coram aliis quam plurimis sacri ordi„ nis viris, qui ob supradictae Ecclesiae dedicationem conuenerant.

(*) LXXIII. SCHATEN. rectius, quia Ludouicus anno 876. obiit.
(**) XXXIIII. SCHAT.
(***) DITHMARVS Wiliberto.

XX.

Diploma Ludouici Germanici Corbeiense apud Schaten. *ibid. pag.* 177.

A n n. 873.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina „ fauente gratia Rex. Conuenit Regiae dignitati semper studere, „ ne Ecclesiarum Christi status aliqua occasione labefactari incipiat. „ Ex hoc enim et praesens vita sub maiori prosperitate transigitur, „ et aeternae beatitudinis merces maxima acquiritur. Quapropter ex- „ pedit nobis saepius retractare concessiones antecessorum nostrorum, „ simul et nostra praecepta de immunitate Ecclesiarum ab exactioni- „ bus publicis confirmare, vt et, quae prius concessa sunt, nusquam „ infringi patiamur, et de his, quae forte minus expresse annotata „ sunt, et ideo in antiquis praeceptis non contineri contenditur, per „ nouorum confectionem omnem in futurum dubietatem tollamus. „ Notum ergo esse volumus omnibus tam praesentis aeui, quam suc- „ cedentium temporum Christi fidelibus, quia nouae Corbeiae mona- „ sterium iussu gloriosi Genitoris nostri constructum est in honorem „ S. Stephani protomartyris Christi, et per voluntatem eiusdem Im- „ peratoris corpore est B. Viti Martyris insignitum. Sed et ex inte- „ gro ab omnibus publicae exactionis officiis et expeditione hostili „ tam de litis, quam de ingenuis hominibus, terram eius incolenti- „ bus absolutionem promeruit, in quo et nos comprehensum existi- „ mauimus, et hactenus obseruatum comperimus, vt decimae de do- „ minicatis eiusdem monasterii mansis non darentur Episcopis. Sed „ ad portam monasterii darentur in eleemosinam praefati Genitoris „ nostri, et totius prosapiae eius, vt videlicet esset, vnde ministra- „ retur peregrinis et hospitibus, qui numquam desunt monasterio; „ nunc vero exorta quaestione per quosdam Episcopos vtrumnam hoc „ eidem monasterio Genitoris nostri nostroque praecepto concessum „ sit: quanquam, vt ipsi dicunt, nominatim non sit expressum, sub „ generali tamen confessione (*) liberae dispositionis rerum suarum „ etiam hoc comprehensum fatemur. Sicut et seniori Corbeiae, ad „ cuius normam haec noua instituta est et praecipuis quibusque mo- „ nachorum monasteriis antecessores nostros concessisse comperimus, „ et ne deinceps aliqua dubietas fiat, rogatu venerabilis viri, Adal- „ garii Abbatis eiusdem monasterii per hoc nostrae potestatis praece- „ ptum decernimus atque iubemus; vt et omnia, quae prius habuit, „ immunitatis praecepta rata et inconuulsa habeantur, et per hanc „ conscriptionis nostrae Chartam specialiter ei concessum sciatur, vt „ de Dominicatis mansis vel nunc habitis, vel post acquirendis a red- „ dendis decimis plenam hoc monasterium habeat immunitatem, ni- „ si, sicut hactenus fuit, vt dentur ad portam monasterii in susceptio-

„ nem

(*) Fortass. *concessione*.

„ nem hospitum et peregrinorum. His omnibus adstipulari recens Adria-
„ ni Apostolici praefato Abbati collatum priuilegium cognouimus,
„ dum huius apud nos controuersiae quaestio ventilaretur. Et vt haec
„ auctoritas nostrae largitionis firmior habeatur, atque per futura tem-
„ pora a fidelibus nostris verius credatur, manu propria subter eam
„ firmauimus, atque anulli nostri impressione assignari iussimus.

Signum Domini  *Hludouici Serenissimi Regis.*

Heberardus Cancellarius ad vicem Luitberti archi-Capellani recognoui et ss.

„ Data XVI. Calend. Iulii anno ab Incarnatione Dominica
„ DCCCLXXIII. Regni autem Domini Hludowici, Serenissi-
„ mi Regis in orientali Francia regnante anno XXXIIII. In-
„ dict. VI. Actum Aquisgrani palatii in Dei nomine feliciter,
„ Amen,

XXI.

Diploma Ludouici Germanici Corbeiense eiusdem anni apud Schaten. *ibid. pag.* 178.

A N N. 873.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina
„ fauente gratia Rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis
„ quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas nostro re-
„ leuamus iuuamine, atque Regali tuemur munimine, id nobis et
„ ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam vi-
„ tam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter
„ comperiat omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futu-
„ rorum sollertia, qualiter nos ob nostrae mercedis augmentum et
„ pro remedio animae Domini aui, ac Genitoris nostri, nec non fra-
„ tris nostri HLotharii, suique filii et aequiuoci concessimus quasdam
„ res proprietatis nostrae ad monasterium, situm in Saxonia, quod
„ nuncupatur noua Corbeia, id est, villam, quae vocatur Lizzicha,
„ vbi sunt homines L qui picturas faciunt et picturae Vinearum quin-
„ quaginta et septem particulae Vinearum. Vbi duae Carradae colli-
„ gi possunt, et sunt ibi 30. feminae, quae dant censum, vnaqua-
„ que sex siclas vini, et de lino XII. fusos, III pullos et XV oua,

 „ et

„ et de terra aratoria ad L modios, et de pratis ad Carradas X. Has
„ itaque praescriptas res cum omni integritate totum et ad integrum
„ ex iure et dominatione nostra in ius et dominationem praescripti
„ monasterii tradimus atque transfundimus. Ea videlicet ratione, vt ab
„ hodierna die et deinceps per hoc nostrae auctoritatis praeceptum ple-
„ nius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo au-
„ xiliante perpetuis temporibus ibi permaneant, absque vlla contradi-
„ ctione, vel eis pro nostra ac Coniugis cariffimaque prole, salute
„ Domini clementiam facilius exorare delectet. Et vt haec auctori-
„ tas largitionis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a fi-
„ delibus nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu pro-
„ pria subter eam firmauimus, et anuli nostri impressione assignari
„ iussimus.

Signum  *Domni Ludouici Serenissimi Regis.*

Hebarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti Archicapellani recognoui et ss.

„ Data VII. Calend. Octobris anno XXXIIII. regni Domini HLu-
„ douici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis. Indict.
„ VI. Actum Aquisgrani palatii in Dei nomine feliciter Amen.

XXII.

Diploma Ludouici Germaniei Germanice versum, et hinc inde suspectum apud P. Ignatium Gropp. in *Aetate mille annorum monasterii Amorbach*, *pag.* 192.

Ann. 856.

„ IN dem Name der heyligen vnd der vngeteylten Driualtikeyt
„ Amen. VVir Ludewig von Gotlicher Gnade Romischer Ku-
„ nig sind geneyget, vnd habin Gnade zu erhorende rechte bede der
„ Dyner Godes, end der dy sich uben yn Gotlicher myne vnd ubun-
„ ge, vnd haben wyllen zugebin, vnd mit zu teylen, der Gabe, dy
„ vns von Gode ist verlyhen; Darum soll sin kunt vnd wissen allen
„ unsern Getruwen unseres Riches, dy yzunt sin, oddir hernach ku-
„ men, wy der Erbir Man, Spatto genant, Apt des Closters, daz
„ da heizzet Amorbach mit synen Brudern desselben Klosters quam
„ zu

„ zu unser Mechtekeyt, und flehet, und bat demudeclichen, daz
„ wir durch dy Liebe unser Frauwen dv Gebererin Godes ewig Magt,
„ vn der Ere daz vorgeuante Gotshuss ist gewyhet, und auch durch
„ dez Ewigen Lones willen, geben vnd verlyhen den Brudern, dy
„ Gote daselbes dynen, etliche hilfe Waldes und Fisch VVeide von
„ dem, daz da by dem vorgenantem Kloster nahe gelegen ist. Des
„ haben wir in gatige vnd rechte Bede angesehen, vnd auch dauon,
„ daz ez uns vnd unser Fursten fugsam duchte: So geben wir aus
„ Unser Gunst, vnd mit unsern gewalt, und auch mit der strenge-
„ keyt unseres Gebodes geben wir yn den VValt, der da heizzet
„ VVolckmar, mit der Fische weyden, die sich aneheben, da sich
„ dy Bach Moda teylet, vnd eyn VVerdelin odder eyn Inseln ma-
„ chet, daz man heyzzet der Munc VVert, davon daz dieselbe Her-
„ ren, der Apt und Bruder des vorgenanten Closters VVysten uns
„ vor viel Fursten, dy gegenwertig waren, gude Urkunde, diz sy
„ hetten von unsern Eltern, und bezugeten, daz dazselbe des Clo-
„ sters eygen vvere, und rechtlich Erbe. VVir geben yn auch dy
„ Fische VVeyde biz an dy Statt, da dyselbe Bach yn fluzzet daz
„ VVazzer yn den Meyn, und dy Statt ist genant Vachhusen. Und
„ vvir geben yn auch an derselben Stat eyn VVerdelin und Flecken
„ mit den Zugehorende der Fische-VVeyde, und auch des VVal-
„ des, daz zu demselben VVerdelin und Flecken gehoret. Daz ist,
„ daz vvir yn geben von derselben Stad, biz uber daz Tal, oddir
„ den Graben, genant Strichental, und daz Bruneis, daz man heyz-
„ zet den turren Brunnen. Vnd daz dyse unser Gevvalt und Gebun-
„ ge also by unser vnd Unser Nachkumen Ziten mit Godes hilfe
„ muge unversert und unverbrochen blyben, so haben vvir mit Un-
„ ser eygen Hand, daz hy vnden gesestend, und haben dyse Sache
„ heyzzen gezeychent mit yndruckung unsers Ingesiegl.

**„ Daz ist das Zeychen Herrn Ludevviges des allerlutersten Ku-
„ niges.**



**„ Ragenbert bekante an Rodeleyn Stat. Dyser Briff ist gegebin,
„ da man zalte von Christes Geborte Achthundert Iar vnd dar-
„ nach in dem Sechs vnd zvvenzigisten Iare, yn Sechzzehenden
„ Iar des Riches des aller luterſten Kunigs vnd Herren, Herrn
„ Lu-**

„ Ludevviges, (*) und geschach zu Vorcheym in Godes Namen.

XXIII.

Diploma Ludouici Germanici Lamspringense apud Harenberg. *Hist. Gandersh. diplom. diss. II. de aduocatis monast. Gandersh. pag.* 139. et Leukfeld. *Ant. Gandersh. pag.* 290.

ANNO 873.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS, Dei
„ fauente clementia Romanorum Rex (**). Si petitionibus seruo-
„ rum et ancillarum Dei iustis et rationabilibus diuini cultus amore
„ fauemus; superna nos muneris gratia non diffidimus. Ideo notum
„ facimus tam praesentis aeui, quam futuri vniuersis fidelibus, mo-
„ nasterium ancillarum Dei, quod in loco, qui LAMSPRING dicitur,
„ situm est, prudenti fundatoris instantia obtinente, fideliter nos in
„ nostram regalem tuitionem et mundiburdium suscepisse, quatenus
„ in vigore sanctae religionis omnipotenti Deo ibi famulantes femi-
„ nae secura deuotione beatae contemplationi valent operam dare.
„ Hoc enim monasterium ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS, et per omnia
„ nobis et regno fidelis RIDDAGVS Comes eiusque sapientissima con-
„ iux IMHILDIS nomine, consilio diuae memoriae Domini SERGII
„ Papae et nostro consensu Domino Deo vniuersorum, perpetuaeque
„ Virgini Beatae Mariae in honores pretiosi martyris ADRIANI de
„ patrimoniorum suorum iustis possessionibus pia deuotione construxe-
„ runt, et ob irrefragabile stabilimentum omnium rerum suarum,
„ quas immobiliter ibi contulerunt Deo dilectam filiam suam RICK-
„ BVRGAM, quam meritis eiusdem gloriosi martyris vnico pigno-
„ re solam heredem habere meruerant, Domino ibidem virgi-
„ nem sacram deuouerunt, primam quoque loci abbatissam fieri san-
„ xerunt, ob conciliandum vero munimenti fidele patrocinium et oppor-
„ tunum in posteros praesidium ac securitatis per omnia beneficium
„ ad principalem sanctae Hildesemensis Ecclesiae sedem in beatae Ma-
„ riae semper Virginis tutissimam protectionem eumdem locum simul
„ cum

(*) Apud alios scriptores reperire est eius modi chartas, quae annos regni Ludouici regis ab 840. numerent. Eamdem epocham in praesenti etiam in praesente nostro diplomate obseruatam esse iudicamus. Annus incarnationis et regni simul iungitur. Iuxta eam vero annus decimus sextus regni Ludouici regis, quem diploma refert, anno Christi 856. respondet .-- Qui primus hoc diploma in linguam Germanicam vertit, hic quoad annum non videtur errasse. Sed alius quis negligentior scriba non inspectis bene litteris f in z mutauit, qui error in antiquis chartis facillimus est; eoque admisso pro *fuenzigsten* scripsit zuenzigsten, quo vno totum diploma maxime vitiauit. Itaque pro anno *Sechs vnd zwenzigsten* legendum *sechs vnd funfzigsten*. Vno hoc errore emendato, reliqua sua se veritate tuentur. GROPP.

(**) Aduocatus potius. HARENBERG.

„ cum fuis omnibus oblatione follemni fpe futurorum bonorum tran-
„ ftulerunt, eo fcilicet pacto, vt fine praeiudicio aut impedimento
„ EPISCOPI SVI confultu et affenfu benigno earumdem ancillarum
„ Chrifti congregatio perfonae fibi competentis in Domino liberam
„ electionem femper habeant, atque fub eius paterna defenfione fua
„ omnia firma quiete et inconcuffa ftabilitate perenni pace poffideant,
„ ad teftimonium huius fideliffimae actionis ad iudicium veritatis et
„ monumentum pietatis tradendum pofteris Dominus Alfridus Hilde-
„ femenfis Praeful venerabilis communi confenfu congregationis fuae
„ in beneplacito totius Ecclefiae fuae pro augmento feruitutis diui-
„ nae de manu fua eidem loco decimas banni fui auctoritate firman-
„ do contradidit, pro quibus tamen vice aeterna, vt in pace bona
„ vtrobique fapienter fuauiterque difponerentur omnia, de Dote illius
„ Ecclefiae praecipua quaedam praedia cum aedificiis fuis in Hilden-
„ femenfibus Campis et in VILLA ODENHVSEN, praeterea omnem
„ Foloberti conftirpationem recepit (VVolperode.) Nihilominus et
„ hoc inuiolabiliter fancitum eft, ac facramento firmatum eft, vt fi
„ quando, machinante Diabolo, malignitate prauorum hominum te-
„ merari contingat hanc pontificalis Doni conceffionem, illa etiam
„ ex integro ad dictae Ecclefiae fuae, cuius dos erant, primariam
„ redeunt poffeffionem cum omnibus aedificiis fuis et culturis, im-
„ mobilis ergo firmitatis gratia regalis noftrae auctoritatis iufta fuper
„ haec damus praecepta, quae omnimodis voluimus effe inuiolabilia,
„ confenfus namque cunctorum Regni procerum ftatuendo firmamus,
„ praecipiendo mandamus, quatenus ex hoc et per omnes futurorum
„ temporum fucceffiones inuariabilis maneat haec vniuerfa conftitu-
„ tio decretorum: et vt nulla deinceps auctoritas, aut poteftas vel
„ temeritas aliquam praefumat praefato S. Adriani monafterio violen-
„ tiam, feu rapinam aut calumniam vllo ingenio, feu qualibet occa-
„ fione inferre, nec homines illius diftringere, aut fredas fiue redhi-
„ bitiones vel thelonea exigere, aut in expeditionem cogere, fed fub
„ noftra et fucceflorum meorum, et proprii, Epifcopi et fucceflorum
„ horum, nec non regni noftri Principum fideli defenfione omni fu-
„ turo tempore abfque perturbatione Chrifti famulantium fancta con-
„ gregatio cum omnibus fuis poffeffionibus, praediis, decimis, terris
„ cultis et incultis, mancipiis vtriufque fexus, villis, areis, pra-
„ tis, pafcuis, filuis, venationibus, aquis aquarumue decurfibus,
„ pifcationibus, viis et inuiis, quaefitis et inquirendis, habitis et ha-
„ bendis, ceterifque omnibus appendiciis et vtilitatibus, quae quomo-
„ documque nominari poffunt, iucunda quiete iugiter imperturbata
„ confiftat, ac pro nobis et pro ftatu regni nec non pro omni fancta
„ Ecclefia Dei fuperam mifericordiam libera deuotione fine intermif-
„ fione fuppliciter exoret, huic noftrae fecundum iuftitiam Dei iuftae
„ conftitututioni fi quis temere contraire praefumferit, et horum ali-
„ quid infringere aufus fuerit, fi non digne in beneplacito incolarum
„ loci quantocius per omnia fatisfecerit, primo eum vt inimicum
„ Dei diftrictiffimae vltioni diuinae militari gladio fancti Adriani ter-
„ ribi-

,, ribiliter feriendum tradimus: deinde vt publicum hostem Regni
,, omni gratia, honore ac iustitia priuamus, et iudicialis gladii nostri
,, animaduersione persequendum, et de terra exterminandum, nemine
,, parcente, aut miserente, foras mittendo, publicae damnationi ex-
,, ponendo, proscribimus. Porro iniuriam patientibus Dei iustitia et
,, regale iudicium ad sua requirenda nequaquam deficiet. Et vt haec
,, auctoritas nostra firma stabilitate insolubiliter atque ineuitabiliter ra-
,, ta atque permanens habeatur, manu propria super eam firmando
,, anuli nostri impressione in nomine Domini signamus. Actum Do-
,, minicae Incarnationis Anno octingentesimo septuagesimo tertio glo-
,, riosissimi Ludouici Regis anno trigesimo quarto. Datum Aquisgra-
,, ni in Palatio Regio coram Regni principibus, Idibus Iunii, Indi-
,, ctione sexta.

Signum Hludouici Serenissimi Regis Romanorum.

Sigillum Ludouici.

,, Euerhardus Cancellarius ad vicem Lamberti Archi-Capellani
,, recognoui. In Dei nomine feliciter Amen.

XXIIII.

Diploma Ludouici Germanici Fuldense inter *Traditiones Fuldenses* ex autographo editum a Schannat. *Tradit. Fuld. n. 469. pag. 189.*

ANN. 845.

,, IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis, HLVDOVVICVS di-
,, uina fauente gratia Rex. Si enim ea, quae fideles regni nostri
,, pro eorum opportunitatibus inter se commutauerint, nostris confirma-
,, mus edictis, Regiam exercemus consuetudinem, et hoc in poste-
,, rum iure firmissimo mansurum esse volumus: idcirco nouerit omnium
,, Fidelium nostrorum, tam praesentium, quam et futurorum indu-
,, stria, quia vir venerabilis HATTO, Abbas ex monasterio Sancti
,, Bonifacii, vbi praeclarissimus Martyr corpore requiescit humatus,
,, nec non et quidam vir Inluster Comes HESSI, atque Fideles no-
,, stri, dixerunt nobis, eo quod pro ambarum partium opportunitate
,, de quibusdam rebus et mancipiis nuperrimam commutationem fe-
,, cissent: dedit igitur memoratus Abbas ex ratione monasterii sui
,, eidem Hessi Comiti ad partem regis tenendum in duabus villis Blei-
,, hueld

„ hueld et Gruonbah nuncupatis atque terminis earum hobas viginti „ quatuor et mancipia quadraginta his nominibus Gozmar, Geruuart „ ---- et e contra in compensatione huius rei dedit praefatus Hessi „ Comes eidem Abbati ad partem monasterii sui in futurum tenen„ dum de rebus Beneficii sui, quod proprietas Regis erat, in duabus „ villis, quae vocantur Quirnaha et Espinaueld et in terminis earum „ hobas viginti quatuor et mancipia quadraginta, quorum haec sunt „ nomina. Harp. Albrih, Zeizhilt. cet. --- vnde et duas commuta„ tiones pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum ro„ boratas ad relegendum nobis ostenderunt, sed pro integra firmitate „ ac securitatis studio petierunt Celsitudinem nostram, vt easdem „ commutationes per nostrum mansuetudinis praeceptum confirmare „ deberemus, quorum petitionem denegare noluimus, sed sicut vni„ cuique fidelium nostrorum iuste petentium, ita nos illis concessisse „ atque in omnibus confirmasse omnium fidelium nostrorum cognoscat „ magnitudo, praecipientes ergo iubemus, vt quidquid pars iuste et „ rationabiliter alteri competit parti, per hanc deinceps nostram au„ ctoritatem iure firmissimo teneat atque possideat: ea videlicet ra„ tione, vt res, quas Hatto Abbas dedit, in nostra dominatione in „ futurum permaneant, et res, quas Hessi Comes dedit memorato „ Abbati, ad suum monasterium consistant; et vt haec auctoritas „ concessionis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora ve„ rius credatur diligentiusque conseruetur, de anulo nostro subter „ eam iussimus sigillari.

„ COMEATVS notarius ad vicem RADLEICI recognoui. Data V. „ Kal. Nouemb. anno Christo propitio XII. regni Domni HLV„ DOVVICI Regis in orientali Francia (*). Indict. VIII. actum „ Reganesburg ciuitate in Dei nomine feliciter. Amen.

XXV.

Diploma Hattonis, abbatis Fuldensis apud Schaten. *Tradit. Fuld. n.* 470. *pag.* 190.

ANN. 846.

„ IN Christi Nomine. Ego HATTO humilis Abbas ex monasterio „ Sancti Bonifacii, vbi ipse praeclarissimus Martyr Corpore re„ quiescit humatus, tradidi de rebus Sancti Bonifacii vna cum con„ sensu et conhibentia monachorum, in eodem monasterio degentium, „ do-

(*) Hucusque Ludouici in orientali Francia annos passim ab obitu Ludouici Pii numerari obseruauimus, quemadmodum in sequentibus traditionibus. Nunc duo haec concambia autographa excipienda sunt, vbi alia calculi ratio ineunda est, non quidem ab anno 833. vt post longam disquisitionem verosimilius statuit Mabillonius, sed anno 834. Nam praeterquam quod in vtraque charta annus et indictio nouae huic nostrae epochae apprime conueniant, fauet insuper aliud eiusdem regis diploma, alias suo loco exhibendum, quod datum est Francofurti *Non. Febr. anno Christo propitio primo, regni Domni HLudouuici regis in orientali Francia indictione XII.* indictio XII. correspondet anno 834. SCHANNAT.

„ domno Hludouuico, serenissimo Regi, secundum suam licentiam
„ in tribus villulis, quae nuncupantur Zutilinga et Vuillihershus, et
„ Thuna omnia et ex omnibus, quidquid in praescriptis villis et
„ marchis ad eas pertinentibus vel aspicientibus et ad praefatum mo-
„ nasterium tenere visus fui, praeter vnum curtilem, et in Mechi-
„ tamulinero-marcha de terra curtilem vnum id est, mansis, domi-
„ bus, aedificiis desuper positis, mancipiis vtriusque sexus et aetatis,
„ terris cultis et incultis, campis, siluis, pratis, pascuis, aquis aqua-
„ rumque decursibus, molendinis, adiacentiis, viis, exitibus et re-
„ gressibus, quaesitum et ad inquirendum, totum et integrum Domno
„ HLudouuico Glorioso Regi ad suum proprium perpetualiter tradidi,
„ atque legaliter corroboraui, ea videlicet ratione, quia ipse piissimus
„ Dominus Rex in recompensatione earumdem rerum tradidit de rebus
„ suis propriis per suum mansuetudinis praeceptum ad Sanctum Bo-
„ nifacium in futurum firmiter tenendum quae sunt in Bochonia,
„ quas Harduuigus Vasallus ipsius Principis prius per suum benefi-
„ cium habuit in Eitrungfeldono-marcha omnia et ex omnibus quic-
„ quid illuc est, totum et integrum ad iam dictum locum concessit
„ et confirmauit.

„ † Signum Hattoni Abbatis, qui hanc traditionem fieri et
„ adfirmari rogauit.
„ † Signum Bernochi presbyteri.
„ † Signum Hunrati presbyteri.
„ † Signum Theotmari presbyteri.
„ † Signum Leobsuni presbyteri.
„ † Signum Megingozi presbyteri.
„ † Signum Hruodolfi presbyteri.
„ † Signum Hattoni presbyteri.
„ † Signum Engilberti presbyteri.
„ † Signum Marchouuardi presbyteri.
„ † Signum Hruotgarii presbyteri.
„ † Signum Hruotberti presbyteri.
„ † Signum Ortolti Diac.
„ † Signum Reginhardi Diac.
„ † Signum Engilhardi Diac.
„ † Signum Hruotleichi Diac.
„ † Signum Hermanni Diac.
„ † Signum Manouualdi Diac.
„ † Helmgozi Diac.
„ † Signum Vuolfkoz Diac.
„ † Baldhard Diac.
„ † Signum Sibigelti Diac.

„ Actum Franconofvrt Palatio Regio sub die XV. Kal. Aug.
„ Anno Christo propitio XIII. Regni Domni Hlvdovvici,
„ gloriosissimi Regis in orientali Francia. Indict. VIIII.
„ in Dei nomine feliciter Amen.

„ Ego Hermannvs Diaconus per iussionem Hat-
„ toni Abbatis scripsi et subscripsi.

XXVI.

XXVI.

Praeceptum Ludouici Germanici Fuldense apud Schannat. ***Tradit. Fuldens. n. 477. pag. 193.***

ANN. 856.

„ LVDOVICVS diuina fauente clementia Rex. Notum sit omnibus „ Fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae nostrisque familiaribus, prae- „ sentibus scilicet et futuris, quia quidam Abbas HATTO, vir reli- „ giosus et spiritualis vitae de Fuldensi Monasterio, cui speciali de- „ uotione semper et libenter annitimur propter Beatissimi Martyris „ Bonifacii merita gloriosa, qui in praefata requiescit Ecclesia. Sere- „ nitatem nostram adiens innotuit auribus nostris, qualiter quaedam „ res iuris nostri ipsius Ecclesiam circumiaceret, ac per hoc Celsitu- „ dinem nostram deprecabatur, vt illud praedium nostrum ad praefa- „ tum Fuldense monasterium conferre decreuissemus; cuius petitioni „ ob diuinum amorem et venerationem eiusdem supradicti Abbatis „ aurem pietatis nostrae accomodantes et assensum praebentes, quid- „ quid SIGIHARDVS Comes, in villa Heitungesfeldon nuncupata Be- „ neficii a nobis habuit cum duobus locis, vocabulo Roggunstat et „ Hucheleheim, et sicut nunc ad eadem loca dignoscitur de terra „ arabili pertinere vbicumque in Heitungesfeldo marcha iaceat, totum „ illud et integrum Sancto Bonifacio tradimus cum mancipiis et ter- „ ritoriis, et eamdem siluam in qua Roggunstat sita est, vt his omni- „ bus Monasterium Fuldense nunc et perpetuis temporibus feliciter „ et quiete vtatur; haec itaque Sancto Bonifacio et monachis illis, „ qui in Fuldensi monasterio Deo deseruiunt vtenda concedimus cum „ omni integritate in Elimosinam Domini et piissimi Genitoris nostri „ praecipientesque iubemus, vt quidquid de praefatis rebus Rectores „ Fuldensis ecclesiae ab hodierno die ad vtilitatem ipsius loci et ser- „ uorum Dei facere voluerint, liberam in Dei nomine habeant po- „ testatem eo tenore et conditione, vt per hoc eos melius delectet „ pro nobis et coniuge prolequae nostra et stabilitate Regni a Deo „ nobis commissi diuinam clementiam attentius exorare, et vt haec „ auctoritas donationis et confirmationis nostrae per curricula annorum „ inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, manu nostra „ propria hanc chartulam firmauimus et anuli nostri impressione insi- „ gniri praecepimus.

„ Signum Domni LVDOVICI Regis.

„ REGINBERTVS Cancellarius recognoui.

„ Data pridie Idus Februarii. Actum FORECHEIM feliciter Amen.

XXVII.

Praeceptum Ludouici Germanici Fuldense ex vetere apographo editum a Schannato *n.* 510. *pag.* 205.

ANNO 868.

„ Lvdovicvs diuina fauente clementia Rex. Notum sit cunctis
„ fidelibus nostris praesentibus et futuris, qualiter quidam vir
„ nobilis ac fidelis noster Evervvardvs nomine omnes res pro-
„ prietatis suae, quas ex meridiana parte Lippae fluminis habere vi-
„ sus fuit in pago Dorerinse, totum et integrum ad monasterium
„ sancti Bonifacii Fuldae tradidit atque firmauit, et vt deinceps ad
„ idem monasterium perpetua stabilitate donatum permaneat, opta-
„ uit denuo scilicet Thieto venerabilis eiusdem monasterii Abbas
„ atque idem vir religiosus Eueruuardus nomine, vt eamdem tradi-
„ tionem nostra regali auctoritate firmaremus; quorum petitioni li-
„ benter acquiescentes hanc nostrae auctoritatis chartam inde conscri-
„ bi iussimus, per quam memoratam traditionem ad monasterium
„ sancti Bonifacii perpetuo iure firmamus, nostroque Regali praece-
„ pto et imperiali decreto munimus, ita videlicet, vt neque ipse
„ Eueruuardus nec quaelibet persona vllius dignitatis vllo vmquam
„ tempore eamdem traditionem in nostra praesentia factam infringere
„ vel immutare possit; Sed ab hodierno tempore ad memoratum
„ monasterium praefati Eueruuardi proprietas, per hanc nostram au-
„ ctoritatem confirmata, firmiter semper et inmutata consistat, et
„ quidquid Rectores eiusdem Ecclesiae de iisdem rebus pro vtilitate
„ fratrum ibidem Deo famulantium facere voluerint, liberam in
„ omnibus habeant potestatem, et vt haec confirmationis auctoritas
„ per futura tempora firmior habeatur, ac melius a cunctis fidelibus
„ credatur, hanc chartam nostra praeceptione inde conscribi, ac anu-
„ li nostri impressione insigniri iussimus. Adalbertvs Cancellarius
„ recognouit et subscripsit. dat. IX. Kal. Apr. Vvormatiae.

XXVIII.

Praeceptum Ludouici Germanici Fuldense, ex Chartario editum a Schannat. *Tradit. Fuld.* *n.* 511. *pag.* 206.

ANN. eod.

„ Lvdovicvs diuina fauente clementia Rex. Notum sit omnibus
„ sanctae Dei ecclesiae nostrisque fidelibus, praesentibus scilicet
„ et futuris, qualiter venerabilis Thieto Abbas innotuit Celsitudi-
„ ni nostrae, quod quidam homo nobilis, nomine Ethil villam
„ proprietatis suae Ouuila nuncupatam tradidisset ad sanctum Boni-
„ facium Martyrem, vna cum consensu amicorum suorum, ea vi-

„ de-

„ delicet ratione, vt praefatus vir eamdem villam diebus vitae suae „ habeat cum omni tranquillitate, et quasdam alias res, quae ei ex „ parte sancti Bonifacii datae sunt; post obitum vero suum easdem „ res cum omni integritate melioratae vna cum praefata villa ad „ sancti Bonifacii reuerterentur potestatem: idcirco memoratus Abbas „ Thieto deprecatus est Celsitudinem nostram, vt nostrae auctoritatis praeceptum super easdem res facere, et Chartam de hoc facto „ inscriptam sigilli nostri impressione signaremus, cuius petitioni libenti animo assensum praebentes, decreuimus fieri, quod petiit. „ Iussimus igitur ei hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri, per „ quod decernimus atque iubemus, ut haec eadem traditio atque delegatio facta ad sanctum Bonifacium in Fuldensi monasterio firma „ sit et stabilis in perpetuum, et vt in posterum cunctis fidelibus „ hoc innotescat, hanc chartam inde conscribi, et Sigilli nostri iussimus impressione insigniri. Data VII. Kal. Nou. actum Franconofurt feliciter.

XXVIIII.

Diploma Ludouici Germanici Fuldense, ex veteri apographo editum a Schannato *Tradit. Fuldens. n. 516. pag. 207.*

ANNO 871.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. LUDOVVICUS Diuina fauente clementia Rex. Oportet nos qui Diuino munere „ quodammodo sumus prae ceteris mortalibus sublimati eius in omnibus parere praeceptis, cuius clementia praelati sumus, atque cuius „ munere praecellimus: Loca vtique sibi sacrata propter petitiones fidelium nostrorum nostro releuari iuuamine atque tueri munimine, „ cum id nobis ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad „ aeternam feliciter obtinendam profuturum esse liquido credimus: „ quapropter comperiat omnium nostrorum praesentium scilicet et futurorum solertia, qualiter SIGEHARDUS, venerabilis Abbas, deprecatus est Celsitudinem nostram, vt ob mercedis nostrae augmentum quasdam res proprietatis nostrae consistentes in Buchonia, in „ loco, qui dicitur Harterateshus ad sanctum Bonifacii Fuldense monasterium concederemus, et per nostrae auctoritatis praeceptum, „ per quod praefatas res in Buchonia consistentes, in loco, qui dicitur Harterateshuson cum silua illuc pertinente, omnibusque appendiciis in terris, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et regressibus totum et integrum ex iure et dominatione no„ stra, in ius et dominationem Sancti Bonifacii Martyris tradimus „ atque transfundimus, ea videlicet ratione, vt ab hodierna die et „ deinceps per hoc nostrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei „ nomine confirmatum nullo inquietante, sed Deo auxiliante perpetuis temporibus praefatae res ad praedictum monasterium permaneant

„ neant absque vllius hominis contradictione, et vt haec auctoritas „ largitionis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus verius credatur, et diligentius obseruetur, manu propria subter eam firmauimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

„ Signum Domni HLVDEVVICI Serenissimi Regis EBERHARDVS „ Cancellarius ad vicem LVITBERTI Archicappellani recognoui „ et subscripsi. Datum XVII. Kal. Iulii Anno CHRISTO propitio XXXI. Regni Domni HLVDEVVICI, serenissimi Regis „ in orientali Francia regnantis Indictione IIII. Actum Tribu„ rias in Dei nomine feliciter. Amen.

XXX.

Subscriptio traditionis Cunihiltis apud Pistor. *Tradit. Fuld. lib. II. pag.* 569. et 574. collatae cum cod. MS. a Schannato, et editae, *Trad. Fuld. n.* 517. *pag.* 208.

ANNO 874.

„ FActa est haec traditionis chartula anno Dominicae incarnationis DCCCLXXIIII. Indict. VII. regni autem LVDOVICI „ gloriosissimi Regis anno XXXIIII. coram his testibus. † Signum „ KRISTANI comitis, cetera.

XXXI.

Subscriptio Chartae alterius apud Pistorium *lib. II. pag.* 571. et Schannat. *ibid. pag.* 209.

ANNO 876.

„ FActa est haec traditionis chartula in monasterio FVLDA. Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXVI. Indict. VIII. „ Anno XXXVI. LVDOWICI Imperatoris mense Iulio die XXIII. „ eiusdem mensis his Testibus praesenti adstantibus, cetera.

XXXII.

Subscriptio traditionis Elli, Ermanolti, et Baldi apud Pistorium *lib. II. pag.* 570. et Schannat. *pag.* 209.

ANNO 876.

„ ACta est haec Chartula Traditionis in monasterio FVLDA, Anno „ Dominicae Incarnationis DCCCLXXVI. Ind. VIII. XXXVI. „ HLVDOVVICI Imperatoris mense Februario die XIIII. mensis eiusdem, his Testibus subscriptis, cetera.

XXXIII.

XXXIII.

Subscriptio chartae Alam. LXIII. apud Goldast. *Script. rer. Alam. tom. II. pag.* 47.

ANN. 846.

„ EGo Marcellus monachus rogatus scripsi et subscripsi. Notaui „ diem dominicum VIII. Kal. Octobr. anno XV. (*) HLudo- „ uuici Regis Alamannorum sub Cuonrado Comite.

XXXIIII.

Subscriptio chartae LXIIII. apud *eund. ibidem.*

ANN. 836.

„ NOtaui diem Veneris VIIII. Kal. Decembr. anno XXIIII. „ HLudouuici Imp. et HLudouuici iunioris Regis Alamanno- „ rum V. sub Geroldo Comite.

XXXV.

Subscriptio chartae 74. apud *eumdem pag.* 51.

ANN. 875.

„ NOtaui diem lunae XVI. Kal. Decembris anno XXXV. Hlu- „ douuici piissimi Regis sub Karolo principe.

XXXVI.

Ex charta 93. apud *eumdem pag.* 58.

ANNO 875.

„ VSque in annum praesentem, qui est XXXV. HLudouuici piis- „ simi Regis, patris Karlomanni, HLudouici et Karoli Princi- „ pis nostri.

XXXVII.

Diploma Ludouici Germanici Argentoratense ex archiuo Tabernensi erutum a Ludou. Laguille *dans les preuues de l'histoire de la prouince d'Alsace, pag.* 21.

ANNO

(*) Ab anno 831. quo Alamanniam inuasit Ludouicus.

ANNO 856.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis: LVDOVICVS Diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam concedimus beneficii, et necessitates Ecclesiasticas per adpetitiones Sacerdotum nostro releuamus iuuamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum esse liquido credimus; proinde nouerit omnium nostrorum tam praesentium, quam futurorum solertia, quia vir venerabilis RVDVLPHVS Episcopus Argentinensis siue Strasburgensis nostram adiens praesentiam, detulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini et Genitoris nostri Ludouici bonae memoriae piissimi Augusti, in qua continebatur insertum, quod non solum idem Genitor noster, verum etiam praedecessores eius Reges videlicet Francorum sedem Ecclesiae Sanctae Mariae semper Virginis, in cuius amore et honore ipsa dicata est Ecclesia, sub suo nomine et defensione cum monasteriis et cellulis sibi subiectis, et rebus vel hominibus ad eam pertinentibus vel aspicientibus, tam infra ciuitatem, quam foras consistere fecerant, et earum immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine iudiciariae potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia. Sed pro rei firmitate postulauit, fatus RVDOLPHVS Episcopus, vt paternum, seu praedecessorum nostrorum Regum morem sequentes, huius modi nostrae Immunitatis praeceptum ob amorem Dei et reuerentiam ipsius sancti loci circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus, cuius petitionibus adsensum praebuimus, et hoc nostrae immunitatis praeceptum erga ipsam ecclesiam immunitatis atque tuitionis gratia pro Diuini cultus amore et animae nostrae remedio fieri decreuimus, per quod praecipimus atque iubemus, vt nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem Imperii nostri iuste et legaliter memorata tenet vel possidet Ecclesia, vel ea, quae deinceps in iure ipsius Ecclesiae voluerit Diuina potestas augeri, ad causas agendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos, quam et seruos super terram ipsius commanentes iniuste destringendos, nullasque redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris vel futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quae supra memorata sunt, penitus exigere praesumat: sed liceat memorato Praesuli suisque successoribus res praedictae Ecclesiae cum omnibus sibi subiectis, et rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus sub tuitionis atque immunitatis nostrae defensione remota totius iudiciariae potestatis inquietudine, quiete et ordine possidere, et nostro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate nostrae Coniugis ac prolis seu etiam totius Imperii a Deo nobis collati, et eius clementissima miseratio-

„ ne

„ ne per immensum conseruandi vna cum clero et populo sibi subiecto
„ Dei immensam clementiam iugiter exorare. Et quidquid de praefa-
„ tae rebus Ecclesiae (fiscus noster) exigere poterat, integrum eidem
„ concessimus Ecclesiae, scilicet perpetuo tempore ei ad peragendum
„ Dei seruitium augmentum et supplementum fiat; hanc itaque aucto-
„ ritatem vt pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fide-
„ libus sanctae Dei Ecclesiae et nostris verius certiusque credatur,
„ manu propria subter firmauimus, et anuli nostri impressione fir-
„ mari iussimus.

Signum  *HLudouici, Serenissimi Regis.*

„ Data tertio Calend. April. Anno Regni Christo propitio XXIII.
„ (*) HLudouici Serenissimi Regis in orientali Francia. Indictio-
„ ne IIII. Actum Franchenfurt Palatio regio in Dei nomine
„ feliciter, Amen.

XXXVIII.

Subscriptio Traditionis Werthinensis apud Leibnit. *Script. rer. Brunsuic. Tom. I. pag.* 118.

A N N. 848.

„ ACta in Werthina monasterio tertia decima Kal. Augusti anno
„ Incarnationis Dominicae DCCCXXXXVIII. regnante HLu-
„ douico iuniore anno VIIII. Indictione XI. feria sexta.

XXXVIIII.

Diploma Ludouici Pii et Lotharii imperatorum Cremisanense apud Sim. Rettenpacher in *Hist. Noric.*, *lib. I. cap. 9. pag.* 30.

A N N. 828.

„ IN nomine Domini Dei et Saluatoris nostri IESV Christi. Lu-
„ dewicus et Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperatores
„ Augusti. Si erga loca diuino cultui mancipata Imperiali more bene-

Hein. Tom. IIII. Z ficia,

(*) Ab anno 834. Vide, quae notauit Schannatus ad dipl. 14.

„ ficia largimur opportuna, id nobis procul dubio ad stabilitatem Imperii nostri et animae salutem proficere minime dubitamus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus sanctae Dei ecclesiae et nostris, praesentibus scilicet et futuris, quia ad deprecationem dilecti filii nostri LVDWICI Regis Wagoariorum et Geroldi Comitis concessimus cuidam Monasterio nostro, cuius vocabulum est Chremisa, quod est constructum in honore et veneratione Domini et Saluatoris nostri IESV Christi, situm in pago Trungowe, vbi praesenti tempore vir venerabilis Sigehardus Abbas praeest, et monachis ibidem per tempora degentibus quoddam territorium, quod est in pago Grunzwiti, iuxta montem Sumerperch, quod vsque modo serui vel Sclaui eiusdem Monasterii ad censum tenuerunt, qui ad partem comitis soluebatur; vbi etiam monachi de praefato monasterio Ecclesiam et domos et cetera aedificia construxerunt. Quod territorium ita terminatur. Incipit enim ex plaga orientali a Sumerperch, sicut missi Geroldi Comitis designauerunt, vsque in Dracisma ad locum, qui vocatur Hoboga, Plattchinn, et inde sursum vsque ad territorium Episcopatus Patauiensis Ecclesiae, et exinde ad plagam Australem vsque ad eum locum, vbi Flinspach exit de silua a parte aquilonis, sicut ipsa silua pergit vsque ad iam dictum montem, qui vocatur Sumerperch. Memoratum vero territorium, quantumcumque infra supra scriptam terminationem consistit, saluis tamen proprietatibus liberorum Sclauorum, reliquum quidquid infra has terminationes praesente tempore ad partem comitum pertinebat, omnia supradicto monasterio Chremisae per hanc nostram auctoritatem praesentialiter tradimus, et de nostro iure in ius et dominationem eius transfundimus, ita videlicet, vt quidquid de praefatis territoriis ob vtilitatem et profectum praescripti monasterii rectores et ministri eius facere vel iudicare voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Et vt haec auctoritas nostris futurisque temporibus domino protegente valeat inconuulsa manere, manibus propriis subterfirmauimus, et anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum † Hludouuici Serenissimi Imperatoris.
Signum † Hlotharii gloriosissimi Imperatoris Augusti.

„ Duiandus Diaconus ad vicem Fridagisi recognoui. Datum XI. Kal. April. Anno Christo propitio XV. Imperii Domini Ludovvici Serenissimi Imperatoris et Lotharii VI. (*) Indictione VI. Actum Aquisgrani in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXX.

(*) Legendum XI. Nam Lotharius imperii socius factus anno 817.

XXXX.

Diploma Ludouici Germanici adhuc regis Baiuuariorum apud Hundium in *Metropoli Salisburgensi*.

ANN. 846.

„ IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI DEI OMNIPOTENTIS. Ludouicus diuina fauente gratia Rex Baioariorum. Si
„ igitur erga loca diuinis cultibus mancipata propter amorem Dei eo-
„ rumque in iisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largi-
„ mur, praemium nobis apud Dominum in aeterna beatitudine reci-
„ pere confidimus. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei
„ Ecclesiae nostrisque, praesentibus scilicet et futuris, quia vir vene-
„ rabilis Gozbaldus, sacri palatii nostri summus Capellanus, et Ab-
„ bas monasterii, quod dicitur Altaha, quod est constructum in ho-
„ nore S. Mauritii Martyris Christi, adiens excellentiam nostram,
„ innotuit Clementiae nostrae, qualiter postquam terra Auarorum ex
„ parte ab auo nostro Domino Carolo Imperatore capta fuisset, ipsius
„ permissu atque consensu quaedam res in ipsa marcha ad ius regium
„ pertinentes eidem monasterio collatae fuissent, quas etiam vsque
„ nunc praedictum possedit monasterium. Sed quia auctoritas traditio-
„ nis exinde minime adparebat, deprecatus est idem Gozbaldus Ab-
„ bas, vt nostrae auctoritatis largitionem atque confirmationem eidem
„ daremus monasterio, per quam ipsas res in posterum praedictum
„ monasterium eiusque rectores, absque cuiuslibet impedimento aut
„ contradictione tenere et dominari potuisset. Cuius deprecationem
„ propter diuinum amorem et reuerentiam ipsius sancti loci libenter
„ annuimus, et ipsas res perpetuo possidendas sollemni datione eidem
„ concessimus monasterio, id est locum, qui nuncupatur VVachun-
„ ra, qui terminatur a fonte riuuli, qui vocatur Mystrica, vsque ad
„ eum locum, vbi ipse Danubium influit, ac deinde tendit sursum
„ in ripam Danubii vsque in Bochbach, et vltra Bochbach mansum
„ vnum, et inde iuxta Bochbach sursum vsque in verticem montis,
„ qui vocatur Ahornica, nec non alium locum, nuncupatum Ac-
„ cusbach iuxra ripam Danubii, cuius mensura est in longitudine mil-
„ liarium vnum et in latitudine similiter, nec non et campum vnum,
„ qui continet mansum vnum, quem interiacet caussa Frisingensis Ec-
„ clesiae. Has itaque res cum mancipiis, domibus, aedificiis, vineis,
„ terris, syluis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, quan-
„ tumcumque infra terminia praedicta de eisdem rebus continetur,
„ totum et integrum in ius et dominationem praedictae ecclesiae per-
„ petualiter ad habendum conferimus. Ita videlicet, vt quicquid in
„ ipsis vel de ipsis rectores vel ministri supra memoratae sedis ob vti-
„ litatem et commoditatem ipsius ecclesiae facere vel iudicare volue-
„ rint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi, quidquid ele-

Z 2 „ ge-

„ gerint. Et vt haec auctoritas largitionis atque confirmationis nostrae
„ per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat fir-
„ mitatem, manu propria subtus firmauimus, et anuli nostri im-
„ pressione signari iussimus. Adalleod Diaconus ad vicem Gozbaldi
„ recognoui. Datum prid Non. Octobr. anno Christo propitio deci-
„ mo septimo regalis Imperii Domini Ludouici, Serenissimi Aug. an-
„ no V. regni nostri, Indict. nona. Actum in Regenspurch ciuita-
„ te. In Dei nomine feliciter Amen. Signum Domini Ludouici Se-
„ renissimi Regis.



XXXXI.

Diploma Ludouici Germanici, adhuc regis Boiariorum, apud Hund. *Metrop. Salisburg.*

A n n. 831.

„ In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei omnipoten-
„ tis. Hludouicus diuina largiente gratia Rex Boiariorum. Si pe-
„ titionibus fidelium nostrorum quas auribus nostris insinuauerint, li-
„ benter annuimus, ea eas in Dei nomine ad affectum perducimus,
„ et Regium morem decenter implemus, et illos in nostro seruitio
„ promtiores reddimus. Idcirco comperiat industria atque vtilitas omnium
„ fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum. Quia Erchan-
„ fridus, Diaconus et Capellanus noster, nec non propinquus suus
„ Baturicus obtulerunt obtutibus nostris quandam chartam praestariam,
„ in qua continebatur, qualiter Baturicus Episcopus praestitisset eis
„ ad vsum meritum quasdam res ex ratione monasterii sui sancti Em-
„ merani, quas olim idem Erchanfridus ex suo proprio eidem largi-
„ tatis munere contulerat monasterio, nec non et alias ex ratione
„ eiusdem Monasterii eis ad vsum meritum diebus vitae eorum con-
„ cessisset. Quae sunt vtraeque res in villa, quae dicitur Aroochin-
„ ga, quae alio nomine Folinchoua vocatur, et in alio loco, quae
„ dicitur Buochusa, cum mancipiis, casis, domibus, aedificiis, terris,
„ pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, cum omni-
„ bus, quae in praedictis locis tam ex praedicti Erchanfridi donatio-
„ ne quomodocumque, et ex ratione eiusdem monasterii habere vi-
„ debatur, nec non et in alio loco, qui dicitur Alinchoba hobam

„ vnam

„ vnam et in Cailonesbach hobam vnam. Et deprecatus est excellentiam nostram, vt super hanc praestariam, confirmationis nostrae „ praeceptum fieri iuberemus, per quod diebus vitae eorum firmius „ et quietius, absque alicuius contrarietate, ipsas res tenere et possidere valerent. Quorum petitionibus libenter annuimus, et hanc „ auctoritatem confirmationis nostrae eis fieri iussimus, per quam praecipimus et iubemus, vt diebus vitae eorum ipsas res teneant et possideant. Et nullius quilibet Ecclesiasticae dignitatis praeditus, aut „ alius quilibet eis de ipsis rebus vllam inquietudinem aut contrarietatem facere praesumat. Sed liceat illis, sicut diximus, diebus vitae eorum vsufructuario ordine tenere et possidere, et post eorum „ amborum discessum cum integritate in potestatem et dominationem „ praedicti monasterii reuertatur. Haec vero auctoritas praeceptionis „ nostrae vt firmior habeatur, et a fidelibus nostris melius conseruetur, anuli nostri impressione subter iussimus adsignare.

„ ADALLEODVS Diaconus ad vicem Gauzbaldi recognoui. Da„ ta XV. Calend. Septembris Anno Christo propitio 18 Im„ perii Domini Hludouici, serenissimi Aug. et anno VI. (*) „ Regni nostri, Indictione 9. Actum Reginesburgch in Palatio nostro, in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXII.

Diploma Ludouici, regis Baiuuariorum, apud Hund. *Metrop. Salisburg.*

ANNO 85..

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus, diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis nostrae munere, „ de beneficiis diuinitus nobis collatis locis sanctorum quiddam conferimus, id nobi procul dubio ad aeternae remunerationis praemia „ capessenda profuturum liquido credimus. Proinde nouerit omnium „ fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum industria; quia „ nos pro mercedis nostrae augmento concessimus ecclesiae Patauiensi, „ quae est constructa in honore sancti Stephani prothomartyris, vbi „ etiam sanctus Valentinus, Confessor Christi corpore requiescit, cui „ praesenti tempore venerabilis vir, Reginarius Episcopus praeesse „ videtur, quasdam res proprietatis nostrae, quae sunt in prouincia „ Auarorum, in loco, qui dicitur Kirchbach, id est, Ecclesiam „ vnam constructam, cum territorio ad mansos centum faciendum et „ plus, quarum terminia sunt ab ipso loco pergens per unam semitam vsque ad locum, qui dicitur Tumus, et inde per circuitum „ vsque

(*) Legendum videtur anno XI. ab anno 821. quo Ludouicus Pius nouam regni partitionem faciens Ludouico nostro Boioariam attribuit.

„ vsque ad praedictum Kirchbach, et deinde vsque ad Markam „ Theotherii, et inde usque sursum Cyntenberg. Has itaque „ res cum praedicta Ecclesia cum vineis, terris cultis et in- „ cultis, pratis, syluis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, „ adiacentiis peruiis et exitibus et regressibus, totum et integrum, „ quemadmodum Rathodus Comes Annonicor Episcopo ipsas res „ consignauit, ita praedictae Ecclesiae poenitentialiter (potentia- „ liter) concessimus, et de nostro iure In ius et ditionem eius libe- „ ralitatis nostrae munere conferimus, ita videlicet, vt quicquid re- „ ctores et ministri supradictae sedis de ipsis rebus iure Ecclesiastico, „ facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, „ tantum scilicet, vt dum Annocor Episcopus atque Anno, Nepos „ eius aduixerint, ipsas res tenere et vsare faciant, et nullus eis „ ipsas abstrahere praesumat, et post illorum discessum cum integri- „ tate ad eamdem ecclesiam reuertantur. Et vt haec auctoritas largi- „ tionis nostrae per curricula annorum inuiolabilem atque inconcussam „ obtineat firmitatem, manu propria subterfirmauimus, et anuli no- „ stri impressione signare iussimus. Signum Ludouici gloriosissimi Re- „ gis. Adalleodus Diaconus ad vicem Grimaldi recognoui. Anno „ Christo propitio III. (*) Regni Domini Lndouici Regis in orien- „ tali Francia Indiction. XIIII. lectum Ostrerhoua, palatio Regio „ in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

ANNO 841.

„ LVDOVICVS, DIVINA FAVENTE GRATIA REX Baioariorum. Cum „ regalis excellentia vnius fidelis rationabilem petitionem ad ef- „ fectum perducere satagit, non solum ipsius, sed etiam cunctorum „ fidelium suorum animos ad fidelitatem debitam sincerissime conser- „ uandam promtiores deuotioresque efficit. Idcirco notum esse volu- „ mus cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae, et Deo dispensante suc- „ cessoribus nostris, qualiter petente et suggerente Goshaldo, venera- „ bili Abbate et fideli nostro, complacuit nobis propter suum fidelis- „ simum erga nostrae mansuetudinis obsequium, quasdam res proprie- „ tatis nostrae, quae sunt in villa, quae vocatur Ingolstat, et quas „ praefatus vir hactenus in beneficium habuit, ei deinceps ad proprium „ per nostrae largitionis munificentiam concedere. Id sunt ecclesiae „ duae, curtis dominicata cum ceteris aedificiis desuper positis et ter- „ ra arabili iornales centum triginta de pratis vbi possunt colligi de „ foeno carradae quadringenta Mancipia infra curtem inter pueros et „ fe-

(*) Immo legendum anno XIII. isque numerandus ab anno 838. quo patri bellum intulit Ludouicus.

„ feminas genecias numero viginti duo. Mansi seruiles vestiti ad eamdem curtem aspicientes viginti duo. Sint mansorum duodecim. Vnde etiam pro firmitatis ac maioris securitatis studio praesentem auctoritatem largitionis nostrae fieri iussimus, per quam memorato Abbati rem superius nominatam cum suis pertinentiis, campis scilicet, syluis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus atque immobilibus, seruis quoque vel ancillis, et quicquid ad eamdem curtem iuste et legaliter pertinere dinoscitur, ex nostri iuris atque potestatis iure proprietatis est, totum et ad integrum, quod ille, sicut praefati fuimus, in beneficium habuit, largimur, de potestate nostra in eius transfundimus dominationem iure proprietario ad habendum, ita, vt ab hodierna die nulla persona nostris vel successorum nostrorum temporibus aliquam ex his praesumat ei afferre inquietudinem, sed per hoc nostrae donationis praeceptum hoc cum quiete tenere liceat. Et inde quicquid elegerit vel facere voluerit liberam in Dei nomine in omnibus habeat faciendi potestatem. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis inconuulsam obtineat firmitatem, manu propria subtus eam firmauimus, et anuli nostri impressione signari iussimus. Datum XV. Cal. Septembr. anno VII. (*) regni Domini Ludouici Regis in orientali Francia indictione IIII. Actum Heilicobrunno palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXIIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hundium id *Metrop. Salisburgensi*

ANN. 854.

„ In nomine sanctae et individvae trinitatis. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Si petitiones praesulum sanctae Dei ecclesiae iuste et rationabiliter aures serenitatis nostrae petentium ad effectum perducimus, hoc nobis procul dubio ab aeterna remuneratione praemia capessenda profuturum liquido credimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque, praesentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis, Gotsbaldus, VVirtzburgensis Ecclesiae Episcopus nostram adiens serenitatem, postulans, vt fratribus in monasterio S. Mauritii, Martyris Christi, vocabulo Altaha consistentibus, qui nunc sub eius regimine Deo famulari noscuntur, post illius transactae mortalis vitae terminum, si talis frater inter illos inueniri poterit, qui fratris (patris) officio idoneiter et rationabiliter fungi valeat, eum eligendi nostra eis licentia tribueretur. Cuius petitioni aurem mansuetudinis nostrae „ acco-

(*) Ab anno 834. Vid. Schannat. *ad dipl.* 24.

„ accomodantes, hoc ita perdonasse per praesentem auctoritatem no„ stram, omnium fidelium nostrorum cognoscat, magnitudo, ita ta„ men, vt praefatum est, si talis secundum regulam S. Benedicti „ aptabilis et idoneus, tam in moribus, quam in scientia seu ceteris „ bonis ornatus ad seruitium Dei omnipotentis, ibi inuenitur, per „ praefati venerabilis Episcopi petitionem et amorem assensum prae„ bemus, vt eos melius delectet, pro nobis proleque nostra, et pro „ statu totius regni nostri Domini misericordiam attentius exorare. „ Et vt haec nostra largitionis auctoritas maiorem obtineat vigorem, „ manu propria nostra subtus firmauimus, et anuli nostri impressione „ assignari iussimus. Datum 8. Idu. Martii, Anno propitio Christo „ 14. regni Domini Ludouici gloriosissimi Regis in Orientali Francia, „ indictione 12. (*) Actum Regenspurg, ciuitate Regia, in Dei „ nomine feliciter Amen.

XXXXV.

Diploma Ludouici Germanici apud Marquard Freher. in *Lupoduno* *pag.* 26.

Anno 874.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS. HLUDOVVI„ CVS diuina fauente gratia Rex. Notum sit omnibus sanctae Dei „ Ecclesiae fidelibus nostrisque, praesentibus videlicet et futuris, qualiter „ nos ob nostrae mercedis augmentum et pro remedio animae Domini „ aui et genitoris nostri concessimus quasdam res proprietatis nostrae „ ad monasterium LAVRESHAM, quod est constructum in honore bea„ torum Apostolorum PETRI et PAVLI, vbi etiam requiescit corpo„ re S. Nazarius, hoc est, in pago Renense ad SENEIM et BIC„ CHVMBACH cum omnibus ibidem adiacentiis vel pertinentibus, in „ mancipiis, terris, vineis, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumue „ decursibus, exitibus et regressibus, mobilibus, quaesitum et ad in„ quirendum, totum et ad integrum ex iure et dominatione nostra „ ius et dominationem praefati sancti loci tradimus atque transfundi„ mus ea videlicet ratione, vt ab hodierna die et deinceps per hoc no„ strae auctoritatis praeceptum, plenius in Dei nomine confirmatum „ in vsus fratrum, Domino ibidem famulantium perpetualiter per„ maneant absque alicuius contradicentis obstaculo. Quod si nunc „ Nos easdem res cum consensu et voluntate dilecti filii nostri KA„ ROLI statim commutare possumus, hoc omnino desideramus. Si „ autem hoc esse nequiuerit, tunc firmiter praecipimus atque iube„ mus, vt post obitum nostrum perpetualiter ibi permaneant absque „ alicuius molestia atque inquietudine. Et vt haec auctoritas largi„ tionis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus „ nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu nostra sub„ ter

(*) Immo Ind. II. cum ea enim concurrit annus regni XIIII.

„ ter eam firmauimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus.
„ Heberhardus Cancellarius ad vicem Luitberti archicappellani recognoui et subscripsi. Data IIII. Non. Maias Anno Christo propitio XXXVII. (*) Regni Domini Hludouici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indictione VII. Actum Lobotenbure.

CHRISTE PROTEGE HLVDOVICVM REGEM.

SIGNVM DOMINI HLVDOVVICI SERENISSIMI REGIS.

XXXXVI.


Diploma Ludouici Germanici Tigurinum, cuius praeter Seb. Munsterum, Stumphium, Hottingerum, Heiderum mentionem facit Barth. Schobingerus in *notis ad Vadianum* apud Goldast. *Script. rer. Alam. tomo III. pag.* 110. totum vero edidit Mart. Mager. a Schoenb. *de aduocatia armata, cap.* 5. *pag.* 155. denique ex ipso autographo adcurate descriptum emendatius dedit Conring. in *Adpend. Censurae dipl. Lindau. pag.* 360.

ANNO 853.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. HLVDOVICVS diuina fauente clementia Rex. Si de rebus terrenis, quas diuina sumus largitate consecuti, ad loca sanctorum ob diuinum amorem et regium morem decenter implentes aliquid conferimus, hoc nobis esse profuturum ad aeternae remunerationis praemia capessenda liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos pro serenissimi Imperatoris aui nostri Karoli et praestantissimi Hludouuici Augusti, domni et genitoris nostri, nec non et nostra sempiterna remuneratione ac pro coniugis prolisque nostrae carissimae perpetua mercede curtim nostram Turegum in ducatu Alamanico in pago Durgaugense cum omnibus adiacentiis vel aspicientiis eius, seu in diuersis functionibus: Id est pagellum Uroniae cum ecclesiis domibus ceterisque aedificiis desuper positis mancipiis viriusque sexus et aetatis, terris cultis, et incultis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, adiacentiis, peruiis, exitibus et regressibus, quaesitis et inquirendis, cum vniuersis censibus et diuersis redhibitionibus: Insuper etiam forestum nostrum Albis nomine, et quicquid in eisdem locis nostri iuris atque possessionis proprietatis est, et ad nostrum opus instanti tempore pertinere videtur, totum et integrum ad monasterium nostrum tradimus, quod situm est in eodem vico Turegum, vbi Sanctus Felix et regula martyres Christi corpore quiescunt, quod nobis videlicet eo

(*) Ab anno 838. arma feralia patri intulit Ludouicus.

„ rationis tenore complacuit agendum, vt deinceps in poſterum ibi-
„ dem omni tempore ſanctimonialium feminarum ſub regulari norma
„ degentium vita conuerſatioque monaſterialis monaſtico cultu inſti-
„ tuta celebretur, et libentius propter huius loci ſupplementum a
„ nobis iam praedictis martyribus debiti Dei famulatus illic exhibea-
„ tur, ac pro noſtra debitorumque noſtrorum omnium mercedis aug-
„ mento diligentius ac vberius Domini miſericordia exoretur. Volu-
„ mus etiam, vt fidelium noſtrorum nouerit beneuolentia, quod pa-
„ terna pietate commoniti ſupradictum monaſterium cum omni inte-
„ gritate vna cum noſtra traditione in locis praefatis dilectiſſimae filiae
„ noſtrae Hildegardae in proprietatem conceſſimus, vt, quantum do-
„ mino permittente valeat familiam in eodem monaſterio Domino mi-
„ litantem ſuoque dominatui ſubiectam diſciplinis regularibus et ob-
„ ſeruantiae monaſterialis inſtitutione corrigat et nutriat, locaque ipſa
„ ſibimet conceſſa, quantum vires ſuppeditent profectibus et emenda-
„ tionibus augmentando prouehat ac emendet. Denique iubentes prae-
„ cipimus vt nullus iudex publicus nec comes nec quislibet ex iudi-
„ ciaria poteſtate in locis praefatis vel in cunctis rebus ad eadem lo-
„ ca reſpicientibus ſeu homines tam liberos quam ſeruos, qui illic
„ commanere videntur diſtringere aut infeſtare nec fideiuſſores tollen-
„ dos, aut vllas redhibitiones vel fredas aut bannos exigendo aut ali-
„ cuius iniuriae vim vllo vnquam tempore inferre praeſumat, ſed ſub
„ noſtra defenſione et munitatis tuitione cum aduocatis ibi conſtitutis
„ res illae ſecure per diuturna tempora permaneant. Et vt haec au-
„ ctoritas donationis atque confirmationis noſtrae firmior habeatur, et
„ per futura tempora a cunctis fidelibus ſanctae Dei eccleſiae noſtriſ-
„ que praeſentibus et futuris verius credatur, atque diligentius con-
„ ſeruetur, manu propria noſtra ſubter eam firmauimus, et anuli
„ noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.

Signum  *domni Hludouici glorioſiſſimi regis.*

Comeutus Notarius ad vicem
Radleici recognoui.

† Xte
protege
Ludouicum
Regem.

„ Data XII. Kal. Aug. Anno Criſto propitio XX. (*) regni dom-
„ ni

(*) Ab anno 832. quo Alamanniam inuaſit Ludouicus.

„ ni Ludouici sereniſſimi regis in Orientali Francia Indictione
„ prima. Actum Reganesburg in Dei nomine feliciter Amen.


XXXXVII.

Diploma Ludouici Pii Tigurinum ineditum antea, ſed protractum in lucem ex ipſo autographo ab Herm. Conrigio in *Adpend. Cenſ. diplom. Lindau. pag. 367.*

Ann. 858.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Hludouicus
„ diuina fauente gratia rex. Si de rebus terrenis, quas diuina ſu-
„ mus largitate conſecuti ad loca ſacra ob diuinum amorem aliquid
„ conferimus profuturum nobis eſſe ad aeternae remunerationis prae-
„ mia capeſſenda hoc liquido credimus. Quapropter comperiat omnium
„ fidelium ſanctae Dei eccleſiae noſtrorumque, praeſentium ſcilicet et
„ futurorum, induſtria, qualiter nos iuxta poſtulationem dilectiſſimae
„ filiae noſtrae Hildagardae pro ſereniſſimi Imperatoris aui noſtri Ca-
„ roli animae remedio, et praeſtantiſſimi Hludouuici auguſti domni
„ et genitoris noſtri, nec non et noſtra ſempiterna remuneratione ac
„ coniugis prolisque noſtrae perpetua mercede, curtim noſtram, quae
„ vocatur Chama conſiſtens in ducatu Alamannico in pago Turgaugenſi
„ cum omnibus adiacentiis vel appendiciis eius, ſeu in diuerſis fun-
„ ctionibus. Id eſt curtem indominicatam cum eccleſiis domibus ce-
„ teriſque aedificiis deſuper poſitis mancipiis vtriuſque ſexus et aeta-
„ tis, terriſque cultis et incultis, ſiluis pratis paſcuis aquis piſcatio-
„ nibus vel piſcatoribus aquarumque decurſibus vel adiacentiis peruiis
„ exitibus et egreſſibus quaeſitis et inquirendis cum vniuerſis cenſibus,
„ qui ad ipſam curtem pertinent, et, diuerſis redhibitionibus vel
„ quidquid in eiſdem locis noſtri iuris atque poſſeſſionis iure proprie-
„ tatis eſt, et ad noſtrum opus inſtante tempore pertinere videtur,
„ totum et integrum ad monaſterium noſtrum tradimus, quod ſitum
„ eſt in vico noſtro Turegum vbi Sanctus Felix et ſancta regula mar-
„ tyres Xriſti corpore quiescunt, quod videlicet rationis tenore pla-
„ cuit nobis hoc agendum, vt ab hoc die et deinceps in poſterum
„ ibidem omni tempore ſanctimonialium feminarum ſub regulari for-
„ ma degentium vita, conuerſatioque monaſterialis monachico cultu
„ inſtituere delectetur, et libentius propter huius loci ſupplementum
„ a nobis iam praedictis martyribus dedita Dei famulatus illic exhibea-
„ tur ac pro noſtrae debitorumque noſtrorum omnium mercedis aug-
„ mento diligentius domini miſericordia vberiuſque exoretur. Et vt
„ haec auctoritas noſtrae largitionis atque confirmationis firmior ha-
„ beatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus ſanctae Dei ec-
„ cleſiae noſtriſque praeſentibus et futuris verius credatur ſeu diligen-
„ tius obſeruetur manu propria noſtra ſubter eam firmauimus et anuli
„ noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.

Aa 2 Signum

Signum  *HLudouici Serenissimi Regis.*

„ Hadedeus subdiaconus ad vicem Wiegarii Cancellarii
„ recognoui.



„ Data XVI. Kal. Maii. anno XXVI. (*) regni Hludouuici Sere-
„ nissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Ind. VI. Actum
„ in villa Franckonofurt Palatio regio. In Dei nomine feliciter
„ Amen.

XXXXVIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hund. *Metrop. Salisburg.*

A N N O 876.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus
„ diuina fauente gratia Rex. Si petitionibus praesulum ac ser-
„ uorum Dei iuste ac rationabiliter petentium aures serenitatis nostrae
„ accommodamus, hoc nobis procul dubio a remuneratore omnium
„ in aeterna beatitudine credimus adfuturum. (fort. profuturum)
„ Quapropter nouerit omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae nostro-
„ rumque praesentium scilicet et futurorum industria, quia vir ve-
„ nerabilis, Gotzbaldus Wirzburgensis Episcopus, nec non et rector
„ monasterii, cui vocabulum est Altaha, nostram adiit Celsitudinem,
„ deprecans, vt sibi nostrae munificentiae praeceptum fieri iuberemus,
„ vt vbicumque inuenire posset aliquas res et mancipia, quae a no-
„ bilibus hominibus aptius et congruentius suo monasterio commutare
„ valeret, nostrae benignitatis auctoritate sibi successoribusque suis et
„ aduocatis eorum licentia commutandi tribueretur. Et contra quae
„ a par-

(*) Vid. not. ad dipl. 46.

„ a parte illius monasterii, qui cum eis commutare voluerint, ratam „ et stabilem perpetuo commutationem fieri hac auctoritate nostra „ decerneremus. Cuius petitioni, quia iuste et rationabiliter inde no- „ nostram mansuetudinem hortatum est, sicut vnicuique fidelium no- „ strorum rationabiliter petentium aurem benignitatis nostrae accom- „ modamus, ita istius petitionem ad effectum dignum duximus, sta- „ tuentes, vt deinceps quicquid pro vtilitate iam dicti monasterii „ praefatus Episcopus successoresque illius et Aduocati illorum com- „ mutauerint, in mancipiis ceterisque rebus, syluis, seu etiam ter- „ ritoriis, per hanc nostrae beneuolentiae concessionem firmum et „ inconuulsum perpetuo permaneat. Et vt nulli liceat illam commu- „ tationem infringere vel irrumpere, aut infestare, sed, vt diximus, „ quicquid pars altera alteri dederit, stabilitatum et incontaminatum „ futuris temporibus consistat. Illud tamen omnimodis praecipientes, „ vt cum maxima cautela et diligentia consideretur, ne peius aut „ deterius vel minus in vllo isto negotio parti et potestati praefato „ monasterio ex illa commutatione perueniat. Et vt haec nostrae con- „ cessionis auctoritas firmiorem atque diuturniorem obtineat vigorem, „ et a cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque melius cre- „ datur, et diligentius conseruetur, manu propria nostra subtus fir- „ mauimus et anuli nostri impressione signari iussimus: Data XI. „ Kal. Aprilis, anno Christo propitio 19. (*) regni domini Ludoui- „ ci, gloriosissimi Regis in Orientali Francia. Indict. 14. Actum „ Ratispona ciuitate, in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXVIIII.

Diploma Ludouici Germanici monasterio S. Emmarani Ratisponensi concessum, editumque a Caelestino, abbate S. Emmerani, in *Mausoleo S. Emmerani*, edito *Straubingae* 1672. *cap.* 30. *pag.* 82.

ANNO 833.

„ IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina „ fauente gratia Rex. Notum sit omnibus S. Ecclesiae fidelibus „ nostris praesentibus scilicet et futuris, qualiter carissima coniux „ nostra HEMMA vna cum ceteris nostris fidelibus nostram serenita- „ tatem deprecata est, vt quandam commutationem cum Batricio ve- „ nerabili S. Ecclesiae Regenesburgensis Episcopo faceremus, hoc est, „ vt supra memorata carissima coniux nostra monasterium, in eadem „ ciuitate quod dicitur Oberunmunester, in quo sanctimoniales femi- „ nae Domino famulari noscuntur, et quod praefatus venerabilis „ Episcopus hucusque habuit, per nostram auctoritatem habere me- „ reatur; et praefatus Episcopus e contra recipiat monasterium, quod „ dicitur Manenseo ad S. Petrum Principem Christi Apostolum, et „ ad

(*) Ab anno 814. quo bellum gessit cum patre.

„ ad S. Emmeranum Martyrem Christi, et iussimus fieri nostrae „ auctoritatis praeceptum, per quod decernimus atque iubemus, vt „ ab hodierna die demceps memoratus Episcopus per honorem B. „ Petri Apostoli et S. Emmerani Martyris Christi idem monaste- „ rium cum omnibus rebus ad hoc pertinentibus et omnes successores „ eiusdem Episcopi absque aliqua contradictione filiorum nostrorum „ omniumque in posterum successorum nostrorum firmiter habeant, et „ securiter possideant, quatenus fratres Domino et S. Emmerano fa- „ mulantes pro nobis atque coniuge, nec non pro carissima prole no- „ stra et statu totius regni nostri inde melius delectet Domini clemen- „ tiam exorare. Et vt haec auctoritas nostrae concessionis firmiter „ (firmior) habeatur, et per futura tempora ab omnibus fidelibus no- „ stris melius credatur, et diligentius obseruetur, manu nostra propria „ subter eam firmauimus, et anuli nostri impressione subter ea (eam) „ signare iussimus. Ita (data) XVII. Kalend. Martii, anno Domi- „ nicae Incarnationis DCCCXXXI. (*) Indictione XI. anno regni „ Ludouici Regis VII. Actum est Regenesburg, in Dei Numine „ (nomine) feliciter.

L.

Diploma Ludouici Germanici Altahense apud Hund. in *Metropoli Salisburgensi.*

ANN. 857.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus „ diuina fauente clementia Rex. Si liberalitatis nostrae munere „ res sanctae Dei Ecclesiae et loca diuinis cultibus mancipata per „ appetitiones fidelium nostrorum nostro releuemus iuuamine, atque „ regali tuemur munimine, praemium inde nobis apud Dominum „ aeternae remunerationis procul dubio rependi non diffidimus. „ Proinde nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentium sci- „ licet, quam et futurorum industria, qualiter vir quidam OTGA- „ RIVS, quem nos quidem ad monasterium nomine Altaha, quod „ in honore S. Mauritii, martyris Christi est constructum, Abba- „ tem esse statuimus, obtulit obtutibus nostris non solum auctorita- „ tem emunitatis beatae memoriae Caroli aui nostri Augustissimi „ Imperatoris, sed et Tassilonis quondam Ducis in Ducatu Baioa- „ rico super eadem re litteras ostendit, in quibus continebatur inser- „ tum, quod praefatum monasterium sub suo nomine et defensione „ cum cellulis et locis sibi subiectis rebus et hominibus et omnibus „ illic pertinentibus hactenus ab inquietudine iudiciariae potestatis „ munitum atque defensum firmissime fuisset. Vnde etiam pro rei „ firmitate suggessit vir praenominatus clementiae nostrae, vt pater- „ num seu praedecessorum nostrorum Regum videlicet morem se- „ quen-

(*) Est potius annus 833. qui cum indictione XI. et regni Ludouici in Bauaria concurrit. Et ita procul dubio rescribendum.

,, quentes, huius modi nostrae emunitatis praeceptum ob amorem
,, Dei et reuerentiam ipsius sancti loci circa ipsum monasterium
,, conscribere iuberemus. Cuius petitioni libenter acquiescentes hoc
,, emunitatis nostrae praeceptum erga ipsum monasterium gratia tui-
,, tionis et defensionis ac pro diuini cultus amore, nec non et ani-
,, mae nostrae (remedio) conscribi decreuimus, per quod firmiter
,, et omnibus modis imperamus, vt nullus iudex publicus vel quis-
,, libet, ex iudiciaria potestate, aut vllus ex fidelibus nostris, tam
,, praesentibus, quam et futuris, neque Comites, neque Centenarii,
,, neque exactores in Ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas pos-
,, sessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territo-
,, riis infra ditionem regni nostri iuste et legaliter tenet ac possidet,
,, vel etiam in ea, quae in iure ipsius monasterii diuina pietas auge-
,, ri, ad caussas audiendas, vel facienda freda, et tributa exigenda,
,, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam inge-
,, nuos quam seruos, sclauos, et accolas, super terram ipsius com-
,, manentes, nec iuste nec iniuste distringendos, et nullas redhibitio-
,, nes vel mansiones aut paratas faciendas, aut illicitas occasiones re-
,, quirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea,
,, quae supra commemorata sunt, ullo vmquam tempore exigere
,, praesumat, sed liceat memorato viro suisque successoribus res prae-
,, dicti monasterii cum omnibus rebus sibi subiectis et hominibus
,, tam ingenuis, quam seruis, cuiuscumque sint nationis, atque
,, omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus sub tuitionis atque
,, emunitatis nostrae defensione, remota totius iudiciariae potestatis
,, inquietudine et vulgari appellatione quieto ordine ac tranquilla se-
,, curitate possidere. Et aduocati ipsius ecclesiae omnem caussam in-
,, quirendam et discutiendam ipsi diiudicent et finiant, et quidquid
,, de praefatis rebus ecclesiae ius fisci exigere poterat, in integrum
,, praedicto viro Otgario, suisque successoribus concessimus, scilicet
,, vt perpetuo tempore ei ad peragendum Dei seruitium augmentum
,, et supplementum sint. Et vt haec auctoritas emunitatis per futura
,, tempora a cunctis fidelibus nostris melius conseruetur, verjusque
,, credatur, subtus eam manu propria firmauimus, et impressione
,, anuli nostri assignari iussimus.

Signum  *HLudouici, Serenissimi Regis.*

,, Hildebrandus Subdiaconus ad vicem Grunoldi Archicapellani reco-
,, gnoui. Data XI. Kal. Maii anno XXV. (*) regni Hludouici
,, vnam

(*) Ab anno 832. quo Alamanniam inuasit.

„ Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis, Indictione V.
„ Actum in villa Potamo, in Dei nomine feliciter. Amen.

LI.

Diploma Ludouici Germanici Altahense apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

A N N. 857.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus diuina fauente clementia Rex. Si loca diuinis cultibus consecrata nostro releuemus iuuamine, et augmentum illis in rebus transitoriis impendimus, hoc nobis procul dubio profuturum esse, liquido credimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque, praesentibus scilicet et futuris, qualiter nos ob petitionem Eginulfi, fidelis nostri, quasdam res proprietatis nostrae, quas quondam Reginbertus et Reginolf pater suus seruus noster de nostro iure habere visus fuit. Sunt autem ipsae res in coniacentibus terminis prope monasterium Altaha in pago Quinzingouue situm in territorio, quod est inter Schweinaha et Monasterium Altaha contiguum. Sed pro integra firmitate petiit praefatus Otgarius nostrae auctoritatis praeceptum super hac re sibi conscribi, cuius petitioni libenter annuimus et hoc praeceptum nostrae donationis scribi iussimus, per quod praecipientes imperamus, vt res superius comprehensae iure firmissimo in potestate eiusdem Otgarii successorumque ipsius perpetualiter sine vlla contradictione inconuulsae permaneant. Et quidquid inde elegerit faciendum, plenariam deinceps et liberam faciendi potestatem habeat. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis firmiorem obtineat vigorem, veriusque credatur, atque diligentius conseruetur, manu propria nostra subtus eam firmauimus, et sigilli nostri impressione assignari iussimus.
„ Data XV. Cal. Sept. Anno Christo propitio 25. regni Ludouici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione 5.
„ Actum in Ciuitate Ratispona, in Dei nomine feliciter Amen.

LII.

Diploma Ludouici Germanici Altahense apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

A N N. 860.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus, diuina fauente gratia Rex. Si enim ea, quae fideles regni nostri pro eorum opportunitatibus nos deprecati fuerint, implere studuerimus, non solum regium morem decenter implemus, verum etiam eos procul dubio fideliores et deuotiores in nostro effici-
„ mus

„ mus seruitio, et ad aeternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum solertia, qualiter Bribinus, fidelis Dux noster, veniens in procerum nostrorum praesentiam postulauit serenitatem nostram, vt de rebus proprietatis suae, quas ei in proprietatem concessimus liceret ei partem aliquam ob memoriam eius dare ad S. Mauritium, et ad Monasterium nostrum Altaha, cui tempore illo Abbas Otgarius praeesse videbatur et rector, cuius petitioni libenti animo assensum praebentes decreuimus ita fieri. Dedit itaque Bribinus fidelis Dux noster cum consensu et licentia nostra ad praefatum Monasterium S. Mauritii martyris Christi de sua proprietate in suo Ducatu, quicquid habuit ad Salapingiti infra terminos illos. In orientem vltra Salam fluuiolum vsque in Slougenzim Marchan et Stresmaren, et sic sursum per Salam vsque ad Waltungespach, et sic inde vsque in Hrabagisreit ad Chiristetin. Postea vero praedictus fidelis Abbas noster Otgarius deprecatus est celsitudinem nostram, vt easdem res per nostrae auctoritatis praeceptum confirmaremus. Cuius petitioni ob honorem Dei et S. Mauritii militis Christi et bonum illius seruitium libenti animo assensum praebuimus, et hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri iussimus, per quod decernimus atque iubemus, vt sicut praedicti termini in praedictis locis definiti sunt, ita deinceps ad iam dictum monasterium per hoc nostrae auctoritatis praeceptum ipsae res nullo inquietante Deo auxiliante perpetuis temporibus consistant in proprium. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu propria nostra subtus eam firmauimus, et anuli nostri impressione roborare iussimus. Data 10. Cal. Martii. Anno Christo propitio 28. regni Domini Ludouici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis. Indictione 8. actum Regenspurg ciuitate regia. In Dei nomine feliciter.

LIII.

Diploma Ludouici Germanici Altahense apud Hundium in *Metropoli Salisburgensi*.

A N N. 862.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus, et necessitates ecclesiasticas nostro releuamus iuuamine, atque regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum, liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et


„ nissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione XII.
„ Actum Altaha Monasterium in Dei nomine feliciter.

LV.

Diploma Ludouici Germanici Rataldo, Argentoratensi episcopo, datum, apud Culpis. *Script. rer. Germ. tom. II. pag.* 111.

„ IN Nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis HLudouuicus, di-
„ uina fauente gratia Rex cum petitionibus Seruorum Dei iustis
„ et rationabilibus diuini cultus amore fauemus superni muneris do-
„ num nobis a Domino impertiri minime diffidimus. Igitur omnium
„ fidelium Sanctae Dei ecclesiae et nostrorum praesentium videlicet
„ et futurorum comperiat industria. quia vir venerabilis Rataldus
„ Strazburgensis Vrbis Episcopus nostram adiit Excellentiam referens
„ mansuetudini nostrae qualiter ob incuriam ministrorum ipsius Ec-
„ clesiae omnia munimina chartarum, quae inibi haberi videbantur,
„ concremata fuerint. Idcirco nostram deprecatus est pietatem, vt
„ per nostrae pietatis praeceptum omnes res et familiam, quae tunc
„ temporis eadem ecclesia, quae constructa habetur in honorem bea-
„ tae domini genitricis semperque virginis Mariae, quae habuisse di-
„ noscitur quando haec res accidit, denuo confirmaremus et corrobo-
„ raremus. Sed vt Domino adiuuante et nobis opem ferente praefa-
„ tam ecclesiam ad pristinum posset reuocare statum et a nemine pro
„ hac re nullum de rebus vel familiis iuste et legaliter ibi pertinen-
„ tibus sentiat dispendium hanc nostrae auctoritatis praeceptionem
„ fieri decreuimus, per quam omnes res ac mancipia, quae a religio-
„ sis viris seu a praedecessoribus nostris vel a quibuslibet hominibus
„ eidem ecclesiae collatae fuisse noscuntur sub immunitatis nostrae
„ tuitione praefatus Rataldus successoresque sui quiete teneant atque
„ possideant. Et nullus hominum vel iudex publicus seu quislibet ex
„ iudiciaria potestate in ecclesia baptismales vel oracula curtes villas
„ loca vel agros seu reliquas possessiones memorati Episcopii quas
„ moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem
„ imperii nostri iuste et legaliter possidet vel quae deinceps in iure
„ ipsius sancti Loci diuina Pietas augere voluerit ad causas iudiciario
„ more audiendas vel freda aut telonea exigenda aut mansiones vel
„ paratas faciendas aut fideiussores tollendos, seu homines ipsius Ec-
„ clesiae tam liberos quam seruos fiscalinos et tabellarios distringen-
„ dos nec vllas redhibitiones aut inlicitas occasiones requirendas vllo
„ vnquam tempore ingredi audeat vel ea quae supra memorata sunt
„ penitus exigere praesumat, sed liceat memorato venerabili vocato
„ Episcopo suisque Successoribus praedictae Ecclesiae cum omnibus
„ sibi subiectis sub immunitatis nostrae defensione quieto ordine pos-
„ sidere absque cuiuspiam contrarietate quatenus pro nostra incolumi-
„ tate coniugis et prolis seu etiam totius imperii a Domino nobis
„ collati iugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Si quoque
„ ali-

„ aliquae querimoniae aduerfus iam dictam Ecclefiam tam de rebus „ et hominibus liberis et feruis ortae fuerint, quae abfque graui et „ iniquo difpendio diffinire nequiuerint, iubemus vt per idoneos circa „ vicinos et fideles noftros fideliumque noftrorum homines veriffime „ fub Sacramento inquiratur et ad finem rite vfque deducatur. Si „ quis vero contra hanc noftram auctoritatem aliquid agere temta„ uerit aut ex his quae praefcripta funt quippiam violare praefumfe„ rit, fciat fe XXX. libras auri optimi fecundum veterem morem „ parti praefatae Ecclefiae fe effe perfoluturum noftram infuper of„ fenfionem incurfurum. Conceffimus quoque venerabili Epifcopo „ Rataldo vel Succefforibus eius Rectoribus fcilicet iam dictae Ec„ clefiae vt in quacunque placuerit villa Epifcopii fui motum ftatuat „ quatenus pro mercedis noftrae augmento vtilitati ipfius ecclefiae de„ feruiat. Et vt hoc noftrae immunitatis praeceptum inuiolabilem „ atque inconuulfam obtineat firmitatem manu propria fubter illud „ firmauimus, et anuli noftri impreffione fubter figillare iuffimus.

Signum Domni  *HLudouuici Serenifs. Regis.*

„ Helarhardus Cancellarius ad vicem Luit„ berti Archicapellani recognoui.

„ Data II. Id. Iunii anno Xpō propitio XXXVI. regni HLudouuici „ Sereniffimi regis in Orientali Francia regnante indictione VI. „ actum Aquifgrani Palatio regio in Domini nomine feliciter Amen.

LVI.

Subfcriptio diplomatis
Caroli Craffi in *Formulis Alfaticis n.* 4. apud Eccard. *ad leg. Sal. pag.* 235.


A N N O 881.

„ DAta VIII. Kalend. Iulii anno quinto - - per mortem patris „ Hludouici in Francia, Alamannia, fecundo regni eius in „ Burgundia, Imperatoriae vero dignitatis et Apoftolicae benedictio„ nis primo. Ego N. Notarius et exceptor ad vicem N. Archimen„ tarienfis (*) recogno. Feci.


LVII.

(*) Leg. *archicommentarienfis* quod *Vita Ludouic. Pii ad a.* 812. pro *notarius* eft *archinotarius*. *Commentarienfis* in *vio* adhibetur. ECCARD.

„ rationis tenore complacuit agendum, vt deinceps in posterum ibi-
„ dem omni tempore sanctimonialium feminarum sub regulari norma
„ degentium vita conuersatioque monasterialis monastico cultu insti-
„ tuta celebretur, et libentius propter huius loci supplementum a
„ nobis iam praedictis martyribus dediti Dei famulatus illic exhibea-
„ tur, ac pro nostra debitorumque nostrorum omnium mercedis aug-
„ mento diligentius ac vberius Domini misericordia exoretur. Volu-
„ mus etiam, vt fidelium nostrorum nouerit beneuolentia, quod pa-
„ terna pietate commoniti supradictum monasterium cum omni inte-
„ gritate vna cum nostra traditione in locis praefatis dilectissimae filiae
„ nostrae Hildegardae in proprietatem concessimus, vt, quantum do-
„ mino permittente valeat familiam in eodem monasterio Domino mi-
„ litantem suoque dominatui subiectam disciplinis regularibus et ob-
„ seruantiae monasterialis institutione corrigat et nutriat, locaque ipsa
„ sibimet concessa, quantum vires suppeditent profectibus et emenda-
„ tionibus augmentando proueheat ac emendet. Denique iubentes prae-
„ cipimus vt nullus iudex publicus nec comes nec quislibet ex iudi-
„ ciaria potestate in locis praefatis vel in cunctis rebus ad eadem lo-
„ ca respicientibus seu homines tam liberos quam seruos, qui illic
„ commanere videntur distringere aut infestare nec fideiussores tollen-
„ dos, aut vllas redhibitiones vel fredas aut bannos exigendo aut ali-
„ cuius iniuriae vim vllo vnquam tempore inferre praesumat, sed sub
„ nostra defensione et munitatis tuitione cum aduocatis ibi constitutis
„ res illae secure per diuturna tempora permaneant. Et vt haec au-
„ ctoritas donationis atque confirmationis nostrae firmior habeatur, et
„ per futura tempora a cunctis fidelibus sanctae Dei ecclesiae nostris-
„ que praesentibus et futuris verius credatur, atque diligentius con-
„ seruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus, et anuli
„ nostri impressione adsignari iussimus.

Signum  *domni Hludouici gloriosissimi regis.*

Comeatus Notarius ad vicem Radleici recognoui.



„ **Data XII. Kal. Aug. Anno Cristo propitio XX. (*) regni dom-**
„ **ni**

(*) Ab anno 832. quo Alamanniam inuasit Ludouicus.

„ ni Ludouici sereniſſimi regis in Orientali Francia Indictione
„ prima. Actum Reganesburg in Dei nomine feliciter Amen.

XXXXVII.

Diploma Ludouici Pii Tigurinum ineditum antea, ſed protractum in lucem ex ipſo autographo ab Herm. Conrigio in *Adpend. Cenſ. diplom. Lindau. pag. 367.*

ANN. 858.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Hludouicus
„ diuina fauente gratia rex. Si de rebus terrenis, quas diuina ſu-
„ mus largitate conſecuti ad loca ſacra ob diuinum amorem aliquid
„ conferimus profuturum nobis eſſe ad aeternae remunerationis prae-
„ mia capeſſenda hoc liquido credimus. Quapropter comperiat omnium
„ fidelium ſanctae Dei eccleſiae noſtrorumque, praeſentium ſcilicet et
„ futurorum, induſtria, qualiter nos iuxta poſtulationem dilectiſſimae
„ filiae noſtrae Hildagardae pro ſereniſſimi Imperatoris aui noſtri Ca-
„ roli animae remedio, et praeſtantiſſimi Hludouuici augusti domni
„ et genitoris noſtri, nec non et noſtra ſempiterna remuneratione ac
„ coniugis proliſque noſtrae perpetua mercede, curtim noſtram, quae
„ vocatur Chama conſiſtens in ducatu Alamannico in pago Turgaugenſi
„ cum omnibus adiacentiis vel appendiciis eius, ſeu in diuerſis fun-
„ ctionibus. Id eſt curtem indominicatam cum eccleſiis domibus ce-
„ teriſque aedificiis deſuper poſitis mancipiis vtriuſque ſexus et aeta-
„ tis, terriſque cultis et incultis, ſiluis pratis paſcuis aquis piſcatio-
„ nibus vel piſcatoribus aquarumque decurſibus vel adiacentiis peruiis
„ exitibus et egreſſibus quaeſitis et inquirendis cum vniuerſis cenſibus,
„ qui ad ipſam curtem pertinent, et, diuerſis redhibitionibus vel
„ quidquid in eiſdem locis noſtri iuris atque poſſeſſionis iute proprie-
„ tatis eſt, et ad noſtrum opus inſtante tempore pertinere videtur,
„ totum et integrum ad monaſterium noſtrum tradimus, quod ſitum
„ eſt in vico noſtro Turegum vbi Sanctus Felix et ſancta regula mar-
„ tyres Xriſti corpore quieſcunt, quod videlicet rationis tenore pla-
„ cuit nobis hoc agendum, vt ab hoc die et deinceps in poſterum
„ ibidem omni tempore ſanctimonialium feminarum ſub regulari for-
„ ma degentium vita conuerſatioque monaſterialis monachico cultu
„ inſtituere delectetur, et libentius propter huius loci ſupplementum
„ a nobis iam praedictis martyribus dedita Dei famulatus illic exhibea-
„ tur ac pro noſtrae debitorumque noſtrorum omnium mercedis aug-
„ mento diligentius domini miſericordia vberiuſque exoretur. Et vt
„ haec auctoritas noſtrae largitionis atque confirmationis firmior ha-
„ beatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus ſanctae Dei ec-
„ cleſiae noſtriſque praeſentibus et futuris verius credatur ſeu diligen-
„ tius obſeruetur manu propria noſtra ſubter eam firmauimus et anuli
„ noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.

Aa 2 Signum

Signum  HLudouici Serenissimi Regis.

„ Hadedeus subdiaconus ad vicem Wiegarii Cancellarii
„ recognoui.



„ Data XVI. Kal. Maii. anno XXVI. (*) regni Hludouuici Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Ind. VI. Actum in villa Franckonofurt Palatio regio. In Dei nomine feliciter Amen.

XXXXVIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hund. *Metrop. Salisburg.*

ANNO *876*.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Si petitionibus praesulum ac seruorum Dei iuste ac rationabiliter petentium aures serenitatis nostrae accommodamus, hoc nobis procul dubio a remuneratore omnium in aeterna beatitudine credimus adfuturum. (fort. profuturum) Quapropter noverit omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, quia vir venerabilis, Gotzbaldus Wirzburgensis Episcopus, nec non et rector monasterii, cui vocabulum est Altaha, nostram adiit Celsitudinem, deprecans, vt sibi nostrae munificentiae praeceptum fieri iuberemus, vt vbicumque inuenire posset aliquas res et mancipia, quae a nobilibus hominibus aptius et congruentius suo monasterio commutare valeret, nostrae benignitatis auctoritate sibi successoribusque suis et aduocatis eorum licentia commutandi tribueretur. Et contra quae „ a par-

(*) Vid. not. ad dipl. 46.

„ a parte illius monasterii, qui cum eis commutare voluerint, ratam „ et stabilem perpetuo commutationem fieri hac auctoritate nostra „ decerneremus. Cuius petitioni, quia iuste et rationabiliter inde no- „ nostram mansuetudinem hortatum est, sicut vnicuique fidelium no- „ strorum rationabiliter petentium aurem benignitatis nostrae accom- „ modamus, ita istius petitionem ad effectum dignum duximus, sta- „ tuentes, vt deinceps quicquid pro vtilitate iam dicti monasterii „ praefatus Episcopus successoresque illius et Aduocati illorum com- „ mutauerint, in mancipiis ceterisque rebus, sylvis, seu etiam ter- „ ritoriis, per hanc nostrae beneuolentiae concessionem firmum et „ inconuulsum perpetuo permaneat. Et vt nulli liceat illam commu- „ tationem infringere vel irrumpere, aut inscilare, sed, vt diximus, „ quicquid pars altera alteri dederit, stabilitatum et incontaminatum „ futuris temporibus consistat. Illud tamen omnimodis praecipientes, „ vt cum maxima cautela et diligentia consideretur, ne peius aut „ deterius vel minus in vllo isto negotio parti et potestati praefato „ monasterio ex illa commutatione perueniat. Et vt haec nostrae con- „ cessionis auctoritas firmiorem atque diuturniorem obtineat vigorem, „ et a cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque melius cre- „ datur, et diligentius conferuetur, manu propria nostra subtus fir- „ mauimus et anuli nostri impressione signari iussimus: Data XI. „ Kal. Aprilis, anno Christo propitio 19. (*) regni domini Ludoui- „ ci, gloriosissimi Regis in Orientali Francia. Indict. 14. Actum „ Ratispona ciuitate, in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXVIIII.

Diploma Ludouici Germanici monasterio S. Emmarani Ratisponensi concessum, editumque a Caelestino, abbate S. Emmerani, in *Mausoleo S. Emmerani*, edito *Straubingae* 1672. *cap.* 30. *pag.* 82.

ANNO 833.

„ IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina „ fauente gratia Rex. Notum sit omnibus S. Ecclesiae fidelibus „ nostris praesentibus scilicet et futuris, qualiter carissima coniux „ nostra HEMMA vna cum ceteris nostris fidelibus nostram serenita- „ tatem deprecata est, vt quandam commutationem cum Batricio ve- „ nerabili S. Ecclesiae Regenesburgensis Episcopo faceremus, hoc est, „ vt supra memorata carissima coniux nostra monasterium, in eadem „ ciuitate quod dicitur Oberunmunester, in quo sanctimoniales femi- „ nae Domino famulari noscuntur, et quod praefatus venerabilis „ Episcopus hucusque habuit, per nostram auctoritatem habere me- „ reatur; et praefatus Episcopus e contra recipiat monasterium, quod „ dicitur Manenseo ad S. Petrum Principem Christi Apostolum, et „ ad

(*) Ab anno 814. quo bellum gessit cum patre.

„ ad S. Emmeranum Martyrem Christi, et iussimus fieri nostrae „ auctoritatis praeceptum, per quod decernimus atque iubemus, vt „ ab hodierna die deinceps memoratus Episcopus per honorem B. „ Petri Apostoli et S. Emmerani Martyris Christi idem monasterium cum omnibus rebus ad hoc pertinentibus et omnes successores „ eiusdem Episcopi absque aliqua contradictione filiorum nostrorum „ omniumque in posterum successorum nostrorum firmiter habeant, et „ securiter possideant, quatenus fratres Domino et S. Emmerano famulantes pro nobis atque coniuge, nec non pro carissima prole nostra et statu totius regni nostri inde melius delectet Domini clementiam exorare. Et vt haec auctoritas nostrae concessionis firmiter „ (firmior) habeatur, et per futura tempora ab omnibus fidelibus nostris melius credatur, et diligentius obseruetur, manu nostra propria „ subter eam firmauimus, et anuli nostri impressione subter ea (eam) „ signare iussimus. Ita (data) XVII. Kalend. Martii, anno Dominicae Incarnationis DCCCXXXI. (*) Indictione XI. anno regni „ Ludouici Regis VII. Actum est Regenesburg, in DEI Numine „ (nomine) feliciter.

L.

Diploma Ludouici Germanici Altahense apud Hund. in *Metropoli Salisburgensi*.

ANN. 857.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus „ diuina fauente clementia Rex. Si liberalitatis nostrae munere „ res sanctae Dei Ecclesiae et loca diuinis cultibus mancipata per „ appetitiones fidelium nostrorum nostro releuemus iuuamine, atque „ regali tuemur munimine, praemium inde nobis apud Dominum „ aeternae remunerationis procul dubio rependi non diffidimus. „ Proinde nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentium scilicet, quam et futurorum industria, qualiter vir quidam ORGARIVS, quem nos quidem ad monasterium nomine Altaha, quod „ in honore S. Mauritii, martyris Christi est constructum, Abbatem esse statuimus, obtulit obtutibus nostris non solum auctoritatem emunitatis beatae memoriae Caroli aui nostri Augustissimi „ Imperatoris, sed et Tassilonis quondam Ducis in Ducatu Baioarico super eadem re litteras ostendit, in quibus continebatur insertum, quod praefatum monasterium sub suo nomine et defensione „ cum cellulis et locis sibi subiectis rebus et hominibus et omnibus „ illic pertinentibus hactenus ab inquietudine iudiciariae potestatis „ munitum atque defensum firmissime fuisset. Vnde etiam pro rei „ firmitate suggessit vir praenominatus clementiae nostrae, vt paternum seu praedecessorum nostrorum Regum videlicet morem se- „ quen-

(*) Est potius annus 833. qui cum indictione XI. et regni Ludouici in Baaria concurrit. Et ita procul dubio rescribendum.

„ quentes, huius modi nostrae emunitatis praeceptum ob amorem
„ Dei et reuerentiam ipsius sancti loci circa ipsum monasterium
„ conscribere iuberemus. Cuius petitioni libenter acquiescentes hoc
„ emunitatis nostrae praeceptum erga ipsum monasterium gratia tui-
„ tionis et defensionis ac pro diuini cultus amore, nec non et ani-
„ mae nostrae (remedio) conscribi decreuimus, per quod firmiter
„ et omnibus modis imperamus, vt nullus iudex publicus vel quis-
„ libet, ex iudiciaria potestate, aut vllus ex fidelibus nostris, tam
„ praesentibus, quam et futuris, neque Comites, neque Centenarii,
„ neque exactores in Ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas pos-
„ sessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territo-
„ riis infra ditionem regni nostri iuste et legaliter tenet ac possidet,
„ vel etiam in ea, quae in iure ipsius monasterii diuina pietas auge-
„ ri, ad caussas audiendas, vel facienda freda, et tributa exigenda,
„ aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam inge-
„ nuos quam seruos, sclauos, et accolas, super terram ipsius com-
„ manentes, nec iuste nec iniuste distringendos, et nullas redhibitio-
„ nes vel mansiones aut paratas faciendas, aut illicitas occasiones re-
„ quirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea,
„ quae supra commemorata sunt, ullo vmquam tempore exigere
„ praesumat, sed liceat memorato viro suisque successoribus res prae-
„ dicti monasterii cum omnibus rebus sibi subiectis et hominibus
„ tam ingenuis, quam seruis, cuinscumque sint nationis, atque
„ omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus sub tuitionis atque
„ emunitatis nostrae defensione, remota totius iudiciariae potestatis
„ inquietudine et vulgari appellatione quieto ordine ac tranquilla se-
„ curitate possidere. Et aduocati ipsius ecclesiae omnem caussam in-
„ quirendam et discutiendam ipsi diiudicent et finiant, et quidquid
„ de praefatis rebus ecclesiae ius fisci exigere poterat, in integrum
„ praedicto viro Otgario, suisque successoribus concessimus, scilicet
„ vt perpetuo tempore ei ad peragendum Dei seruitium augmentum
„ et supplementum sint. Et vt haec auctoritas emunitatis per futura
„ tempora a cunctis fidelibus nostris melius conseruetur, veriusque
„ credatur, subtus eam manu propria firmauimus, et impressione
„ anuli nostri assignari iussimus.

Signum  *HLudouici, Serenissimi Regis.*

„ Hildebrandus Subdiaconus ad vicem Grunoldi Archicapellani reco-
„ gnoui. Data XI. Kal. Maii anno XXV. (*) regni Hludouici
„ vnam

(*) Ab anno 832. quo Alamanniam inuasit.

„ Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis, Indictione V.
„ Actum in villa Potamo, in Dei nomine feliciter. Amen.

LI.

Diploma Ludouici Germanici Altahenſe apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

A N N. 857.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus diuina fauente clementia Rex. Si loca diuinis cultibus conſecrata noſtro releuemus iuuamine, et augmentum illis in rebus tranſitoriis impendimus, hoc nobis procul dubio profuturum eſſe, liquido credimus. Quapropter notum ſit omnibus fidelibus ſanctae Dei Eccleſiae noſtriſque, praeſentibus ſcilicet et futuris, qualiter nos ob petitionem Eginulfi, fidelis noſtri, quaſdam res proprietatis noſtrae, quas quondam Reginbertus et Reginolf pater ſuus ſeruus noſter de noſtro iure habere viſus fuit. Sunt autem ipſae res in coniacentibus terminis prope monaſterium Altaha in pago Quinzingouue ſitum in territorio, quod eſt inter Schweinaha et Monaſterium Altaha contiguum. Sed pro integra firmitate petiit praefatus Otgarius noſtrae auctoritatis praeceptum ſuper hac re ſibi conſcribi, cuius petitioni libenter annuimus et hoc praeceptum noſtrae donationis ſcribi iuſſimus, per quod praecipientes imperamus, vt res ſuperius comprehenſae iure firmiſſimo in poteſtate eiuſdem Otgarii ſucceſſorumque ipſius perpetualiter ſine vlla contradictione inconuulſae permaneant. Et quidquid inde elegerit faciendum, plenariam deinceps et liberam faciendi poteſtatem habeat. Et vt haec auctoritas noſtrae largitionis firmiorem obtineat vigorem, veriuſque credatur, atque diligentius conſeruetur, manu propria noſtra ſubtus eam firmauimus, et ſigilli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus. Data XV. Cal. Sept. Anno Chriſto propitio 25. regni Ludouici ſereniſſimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione 5. Actum in Ciuitate Ratiſpona, in Dei nomine feliciter Amen.

LII.

Diploma Ludouici Germanici Altahenſe apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

A N N. 860.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus, diuina fauente gratia Rex. Si enim ea, quae fideles regni noſtri pro eorum opportunitatibus nos deprecati fuerint, implere ſtuduerimus, non ſolum regium morem decenter implemus, verum etiam eos procul dubio fideliores et deuotiores in noſtro efficimus

„ mus feruitio , et ad aeternam vitam feliciter obtinendam profutu-
„ rum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium no-
„ ſtrorum praeſentium ſcilicet et futurorum ſolertia , qualiter Bribi-
„ nus , fidelis Dux noſter , veniens in procerum noſtrorum praeſen-
„ tiam poſtulauit ſerenitatem noſtram, vt de rebus proprietatis ſuae ,
„ quas ei in proprietatem conceſſimus liceret ei partem aliquam ob
„ memoriam eius dare ad S. Mauritium , et ad Monaſterium no-
„ ſtrum Altaha , cui tempore illo Abbas Otgarius praeeſſe videbatur
„ et rector , cuius petitioni libenti animo aſſenſum praebentes decre-
„ uimus ita fieri . Dedit itaque Bribinus fidelis Dux noſter cum con-
„ ſenſu et licentia noſtra ad praefatum Monaſterium S. Mauritii
„ martyris Chriſti de ſua proprietate in ſuo Ducatu , quicquid ha-
„ buit ad Salapingiti infra terminos iſtos . In orientem vltra Salam
„ fluuiolum vſque in Slougenzim Marchan et Streſmaren , et ſic
„ ſurſum per Salam vſque ad Waltungeſpach , et ſic inde vſque in
„ Hrabagiſreit ad Chiriſtetin. Poſtea vero praedictus fidelis Abbas
„ noſter Otgarius deprecatus eſt celſitudinem noſtram , vt eaſdem res
„ per noſtrae auctoritatis praeceptum confirmaſſemus. Cuius petitioni
„ ob honorem Dei et S. Mauritii militis Chriſti et bonum illius
„ ſeruitium libenti animo aſſenſum praebuimus , et hoc noſtrae au-
„ ctoritatis praeceptum fieri iuſſimus , per quod decernimus atque iu-
„ bemus , vt ſicut praedicti termini in praedictis locis definiti ſunt ,
„ ita deinceps ad iam dictum monaſterium per hoc noſtrae auctorita-
„ tis praeceptum ipſae res nullo inquietante Deo auxiliante perpetuis
„ temporibus conſiſtant in proprium . Et vt haec auctoritas noſtrae
„ largitionis firmior habeatur , et per futura tempora a fidelibus no-
„ ſtris verius credatur , et diligentius obſeruetur , manu propria no-
„ ſtra ſubtus eam firmauimus , et anuli noſtri impreſſione roborare
„ iuſſimus . Data 10. Cal. Martii. Anno Chriſto propitio 28. regni
„ Domini Ludouici Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis.
„ Indictione 8. actum Regenſpurg ciuitate regia . In Dei nomine
„ feliciter.

LIII.

Diploma Ludouici Germanici Altahenſe apud Hundium in *Metro-poli Salisburgenſi*.

A N N. 862.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludoui-
„ cus diuina fauente gratia Rex . Si liberalitatis noſtrae munere
„ locis Deo dicatis quiddam conferimus , et neceſſitates eccleſiaſticas
„ noſtro releuamus iuuamine , atque regali tuemur munimine , id
„ nobis et ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam et ad aeter-
„ nam feliciter obtinendam profuturum , liquido credimus. Quapro-
„ pter comperiat omnium fidelium noſtrorum praeſentium ſcilicet et

„ futurorum solertia, qualiter venerabilis noster Abbas Otgarius adiit
„ celsitudinem nostram humiliter implorans, vt quasdam res proprie-
„ tatis nostrae ad monasterium, quod vocatur Altaha; constructum
„ in honore S. Mauritii in proprium concessissem. Nos itaque peti-
„ tioni ipsius libenti animo assensum praebuimus, et concessimus
„ quasdam res proprietatis nostrae ad monasterium Altaha, id est
„ villam, quae vocatur Nawawinida iuxta riuulum Trebinam. Ad-
„ monuit etiam Celsitudinem nostram praedictus Abbas, qualiter
„ Dominus Auus noster Carolus licentiam tribuit suis fidelibus in
„ augmentatio e rerum ecclesiasticarum Dei in Pannonia carpere
„ fort. capere) et possidere hereditatem, quod per licentiam ipsius
„ in multis locis et ad istud etiam monasterium factum esse dinosci-
tur. Fuerunt namque in vestitura praedicti monasterii quaedam loca,
„ nomine Scalcabach, sicut ipse riuulus fluit in occidentalem partem
„ vsque in Dagodeas Marcha, et inde in orientalem plagam vsque
„ in Ryzara Marcha, atque in eum locum, quem vocat (fort. vo-
„ cant) Cidalaribach in saltu Enisae fluuii, qui coniacet inter Da-
„ nubium et Ibysam atque Hurulam in meridianam partem, vsque
„ in verticem montis et ad Bingen mansos quinque, et quicquid ad
„ praedictas villas pertinet, hoc est in mancipiis, aedificiis, terris
„ cultis et incultis, vineis, pratis, syluis, venationibus, pascuis,
„ aquis aquarumue decursibus. Licet itaque fuissent in vestitura prae-
„ dictae res ad praescriptum monasterium, tamen ibi non erant con-
„ firmatae per illius auctoritatis praeceptum. Qua de re commoniti
„ hos nostrae auctoritatis apices fieri iussimus, per quos decernimus
„ atque iubemus, vt praedictae res cum omnibus praenominatis ad
„ praescriptum monasterium Altaha in nostra eleemosyna atque in
„ remedio animarum antecessorum nostrorum inuiolabiliter perennis
„ temporibus permaneant, nullo contradicente. Et vt haec auctori-
„ tas nostrae largitionis firmior habeatur, et per futura tempora a
„ fidelibus nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu
„ propria nostra subtus eam firmauimus et anuli nostri impressione
„ assignari iussimus. Data 16. Cal. Iulii, anno Christo propitio 31.
„ regni Domini Ludouici serenissimi Regis in Orientali Francia re-
„ gnantis. Indict. 10. Actum Ostermutinga in villa regia, in Dei
„ nomine feliciter.

LIIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

Anno 864.

„ **I**N NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ludouicus
„ diuina fauente gratia Rex. Oportet igitur nos, qui diuino su-
„ mus munere quodammodo prae ceteris mortalibus sublimati, eius
„ in omnibus parere praeceptis, cuius clementia praelati sumus, atque
„ cuius

„ cuius praecellimus munere, loca vti vnquam sibi sacrata per ap-
„ petitiones fidelium nostrorum nostro releuare iuuamine, atque re-
„ gali tueri munimine, atque in eis, qui ibi domino famulantur
„ munificentiam nostrae largitionis clementer impendere, quoniam
„ sit nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad
„ aeternam feliciter obtinendam profuturum, liquido credimus. Qua-
„ propter comperiat omnium fidelium nostrorum, praesentium scili-
„ cet et futurorum solertia, qualiter venerabilis Otgarius Abbas et
„ vocatus Episcopus adiit celsitudinem nostram, deprecans, vt ad
„ mercedis nostrae augmentum loca quaedam pertinentia ad suum
„ monasterium Altaha, quae ille una cum communi concilio fra-
„ trum ad illorum vsus necessarios deseruire constituit, nec non
„ etiam, quae antea habuerunt, quorum locorum nomina hic subtus
„ tenentur inscripta per nostrae auctoritatis praeceptum eis perpetua-
„ liter habere concederemus. Cuius petitioni ob amorem Domini
„ nostri Iesu Christi libenti animo assensum praebentes ita decreui-
„ mus fieri. Concessimus itaque praedictis fratribus, consistentibus in
„ monasterio Altaha ad eorum vsus necessarios res, quas antea ha-
„ buerunt in istis locis, quorum nomina sunt Buechofen, Heidolfin-
„ ga, Oparinhusa, Bogama cum Ansolfinga, Vrbach, et quae illuc
„ pertinent cum Schellmaha, Muliheim. Nec non etiam eas res,
„ quas venerabilis Otgarius Abbas ibidem ad illorum vsus necessa-
„ rios postea per nostram licentiam adauxit in istis locis, quorum
„ nomina sunt Altdorf cum Niunhusa et ad Walde, post obitum
„ Odali Zulinga Vsterlinga, Smidaha cum decem vineis ad Wahon-
„ ne ad Bouhhae, post obitum Slemari, et loca, quae Richoui et
„ Richardo ad obedientiam commendata sunt, post obitum ambo-
„ rum. Et quod Heribertus habuit, post obitum eius et coniugis
„ suae, atque tertiam partem salis ad salinas, et si deinceps aliquis
„ res suas ad praefatum monasterium tradiderit, in praedictorum fra-
„ trum redigatur seruitium. Has itaque praescriptas res cum omni
„ integritate in praedictorum fratrum seruitio perpetualiter per hoc
„ nostrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei nomine confirma-
„ tum permanere concedimus, ea videlicet ratione, vt nullus ex
„ successoribus nostris inde quippiam auferre praesumat, neque Ab-
„ bas, neque alia quaelibet opposita persona, sed absque alicuius mo-
„ lestia vel inquietudine easdem res ad illorum seruitium perpetuali-
„ ter habeant, teneant atque possideant. Reliquae vero res, vbicum-
„ que sint pertinentes ad monasterium Altaha sub dominio et guber-
„ natione Abbatis existant, quem ipsi fratres secundum regulam S.
„ Benedicti elegerint. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis firmi-
„ ter (fort. firmior) habeatur, et per futura tempora a fidelibus
„ nostris credatur, et diligentius obseruetur, manu propria nostra
„ subtus eam firmauimus, et anuli nostri impressione assignari iussi-
„ mus, nec non per manus Carlomanni roborari fecimus. Data 15.
„ Cal. Ian. Anno Christo propitio 33. regni Domini Ludouici sere-

„ nissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione XII.
„ Actum Altaha Monasterium in Dei nomine feliciter.

LV.

Diploma Ludouici Germanici Rataldo, Argentoratensi episcopo, datum, apud Culpis. *Script. rer. Germ. tom. II. pag.* 111.

„ IN Nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis HLudouuicus, di-
„ uina fauente gratia Rex cum petitionibus Seruorum Dei iustis
„ et rationabilibus diuini cultus amore fauemus superni muneris do-
„ num nobis a Domino impertiri minime diffidimus. Igitur omnium
„ fidelium Sanctae Dei ecclesiae et nostrorum praesentium videlicet
„ et futurorum comperiat industria, quia vir venerabilis Rataldus
„ Strazburgensis Vrbis Episcopus nostram adiit Excellentiam referens
„ mansuetudini nostrae qualiter ob incuriam ministrorum ipsius Ec-
„ clesiae omnia munimina chartarum, quae inibi haberi videbantur,
„ concremata fuerint. Idcirco nostram deprecatus est pietatem, vt
„ per nostrae pietatis praeceptum omnes res et familiam, quae tunc
„ temporis eadem ecclesia, quae constructa habetur in honorem bea-
„ tae domini genitricis semperque virginis Mariae, quae habuisse di-
„ noscitur quando haec res accidit, denuo confirmaremus et corrobo-
„ raremus. Sed vt Domino adiuuante et nobis opem ferente praefa-
„ tam ecclesiam ad pristinum posset reuocare statum et a nemine pro
„ hac re nullum de rebus vel familiis iuste et legaliter ibi pertinen-
„ tibus sentiat dispendium hanc nostrae auctoritatis praeceptionem
„ fieri decreuimus, per quam omnes res ac mancipia, quae a religio-
„ sis viris seu a praedecessoribus nostris vel a quibuslibet hominibus
„ eidem ecclesiae collatae fuisse noscuntur sub immunitatis nostrae
„ tuitione praefatus Rataldus successoresque sui quiete teneant atque
„ possideant. Et nullus hominum vel iudex publicus seu quislibet ex
„ iudiciaria potestate in ecclesia baptismales vel oracula curtes villas
„ loca vel agros seu reliquas possessiones memorati Episcopii quas
„ moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem
„ imperii nostri iuste et legaliter possidet vel quae deinceps in iure
„ ipsius sancti Loci diuina Pietas augere voluerit ad causas iudiciario
„ more audiendas vel freda aut telonea exigenda aut mansiones vel
„ paratas faciendas aut fideiussores tollendos, seu homines ipsius Ec-
„ clesiae tam liberos quam seruos fiscalinos et tabellarios distringen-
„ dos nec vllas redhibitiones aut inlicitas occasiones requirendas vllo
„ vnquam tempore ingredi audeat vel ea quae supra memorata sunt
„ penitus exigere praesumat, sed liceat memorato venerabili vocato
„ Episcopo suisque Successoribus praedictae Ecclesiae cum omnibus
„ sibi subiectis sub immunitatis nostrae defensione quieto ordine pos-
„ sidere absque cuiuspiam contrarietate quatenus pro nostra incolumi-
„ tate coniugis et prolis seu etiam totius imperii a Domino nobis
„ collati iugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Si quoque
„ ali-

„ aliquae querimoniae aduerſus iam dictam Eccleſiam tam de rebus „ et hominibus liberis et ſeruis ortae fuerint , quae abſque graui et „ iniquo diſpendio diffinire nequiuerint, iubemus vt per idoneos circa „ vicinos et fideles noſtros fideliumque noſtrorum homines [illegible]niſſime „ ſub Sacramento inquiratur et ad finem rite vſque deducatur . Si „ quis vero contra hanc noſtram auctoritatem aliquid agere temta- „ uerit aut ex his quae praeſcripta ſunt quippiam violare praeſumſe- „ rit , ſciat ſe XXX. libras auri optimi ſecundum veterem morem „ parti praefatae Eccleſiae ſe eſſe perſoluturum noſtram inſuper of- „ fenſionem incurſurum . Conceſſimus quoque venerabili Epiſcopo „ Rataldo vel Succeſſoribus eius Rectoribus ſcilicet iam dictae Ec- „ cleſiae vt in quacunque placuerit villa Epiſcopii ſui motum ſtatuat „ quatenus pro mercedis noſtrae augmento vtilitati ipſius eccleſiae de- „ ſeruiat . Et vt hoc noſtrae immunitatis praeceptum inuiolabilem „ atque inconuulſam obtineat firmitatem manu propria ſubter illud „ firmauimus , et anuli noſtri impreſſione ſubter ſigillare iuſſimus.

Signum Domni  *HLudouuici Sereniſs. Regis.*

„ Helarhardus Cancellarius ad vicem Luit- „ berti Archicapellani recognoui.

„ Data II. Id. Iunii anno Xρõ propitio XXXVI. regni HLudouuici „ Sereniſſimi regis in Orientali Francia regnante indictione VI. „ actum Aquiſgrani Palatio regio in Domini nomine feliciter Amen.

LVI.

Subſcriptio diplomatis
Caroli Craſſi in *Formulis Alſaticis n.* 4. apud Eccard. *ad leg. Sal. pag.* 235.

Anno 881.

„ DAta VIII. Kalend. Iulii anno quinto - - per mortem patris „ Hludouici in Francia , Alamannia , ſecundo regni eius in „ Burgundia , Imperatoriae vero dignitatis et Apoſtolicae benedictio- „ nis primo . Ego N. Notarius et exceptor ad vicem N. Archimen- „ tarienſis (*) recogno. Feci.

LVII.

(*) Leg. *archicommentarienſis* quod *Vita Ludouic. Pii ad a.* 812. pro *notario* eſt *archinotarius* . *Commentarienſis* in adhibetur. ECCARD.

LVII.

Diploma Ludouici *ibid. n. 6. pag.* 235.

IN nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. HL. Rex Germaniae, (**) si erga loca ab anterioribus nostris diuino cultui mancipata, et seruos Dei in eisdem commanentes liberalitas nostra aliquid beneficiorum contulerit mercedem nobis ob hoc a Deo credimus rependendam, et prolem nostram post nos feliciter regnaturam. Et idcirco omnes *fideles nostri et filiorum* nostrorum, praesentes scilicet et futuri cognoscant, quod venerabilis vir N. illius ecclesiae praesul, precibus quibus ausus est, serenitati suggessit, quod Canonici et familia ipsius Ecclesiae, sed et alii Clerici et cunctus populus eiusdem dioeceseos nimium solliciti essent et suspecti, quisnam illis aut cuius gentis per se Episcopus ordinaretur, timentes videlicet, ne, si ignotus ignotis, et etiam alterius linguae diuersorumque morum superponeretur, eis nequaquam conuenire potuisset. Cuius suggestioni assensum nostrae pietatis accomodantes et Christianae plebis utilitati prospicientes, per auctoritatem nostrae potestatis eidem Ecclesiae hoc pacto in eodem clero et etiam in ipsa parochia ius sibi eligendi Episcopum in eleemosynam nostram concessimus. Ideo si inter ipsos canonicos INGENVI et NOBILES homines Diuinae auctoritatis eloquiis et synodalium Decretorum constitutis instructi, et bonis moribus adornati fuerint inuenti, per consensum sacrorum ordinum et NATV MAIORVM NOBILIVM LAICORVM, qui dignus ex eis electus fuerit ad nostrae serenitatis deducatur aspectum, et per nostram comprobationem Clericis et Monachis et omni populo acceptus et honorabilis habeatur. Quod si inter eos talis inueniri nequiuerit, sed Dei gratia monasteria in eadem dioecesi NOBILIBVS et eruditis viris referta, inde dignum et industrium Ecclesiae Rectorem inuenientes, nostro conspectui perducant eligendum, ut per nos archiepiscopo commendatus officii sui auctoritatem per nostram obtineat potestatem. Si hoc noluerint, de tota parochia unum quemlibet NATALIBVS et doctrina pollentem cum consensu populi eligentes nobis videndum et comprobandum praesentantes petitionem suam apud clementiam nostram se obtinere confidant. Si vero, quod absit, personam SERVILI IVGO notabilem, et publicis exactionibus debitam, aut etiam vitiis suis consentaneam, et ipsi sine populo eligere, et nobis absque idoneis Parochiae testibus assignare praesumserint, liceat nobis potestate Regia uti, et iuxta scientiam nobis diuinitus concessam Ecclesiae Dei dignum constituere sacerdotem, qui et ecclesiam canonice sciat dirigere, et ad nostram obsequelam et obsequium per aetatis et industriae commoditatem sufficiat occurrere, quod et ceteri,

(**) Intelligitur sine dubio Hludowicus, Lodouici Pii imp. filius. Sed datum diplomatis ad Carolum Crassum pertinet, unde duas chartas in unam confusas esse, suspicor. ECCARD.

„ ri, si perueniant ad Episcopum, sibi nouerint subeundum. Vt autem „ haec concessio nostrae firmitatis suae diuturnum obtinere possit vi- „ gorem, placuit nobis eam propria manu roborare, et anuli nostri „ impressione munire. Signum K (*) Serenissimi Regis in Orientali „ Francia, data Kalend. Maii anno Imperii eius V. actum Regino „ curte publica, in Regno Boioariorum anno ab incarnatione Domi- „ ni qualicumque, indictione quauis.

LVIII.

Epistola episcopi ad archipresbyterum de ieiunio a tribus fratribus, Ludouici Germ. filiis decreto. *Ibid. n.* 18. *pag.* 242.

„ PRouidentia diuina N. Ecclesiae ille Episcopus N. Archipresby- „ tero pagi illius salutem. Notum sit dilectioni tuae, quia Do- „ mini nostri Reges, quando nuperrime in vnum congregati sunt „ (**), inter multa, quae pie ac salubriter obseruanda constituerunt, „ hoc etiam decreuerunt, vt pro multis necessitatibus triduanum ie- „ iunium pariter obseruare deberemus: quod hoc modo fieri debebit „ XIII. Kalend. et XIII. et XII. Kal. Iunii, pura confessione et „ pace praemissa ieiunent omnes vsque ad nonam: exceptis qui prae „ infirmitate et infantia aut senio (non) possunt abstinere, et vna- „ nimes contrito et humili corde veniant ad Ecclesiam, sequantur „ crucem cum Litania totus populus, Kirie eleison clamantes, cine- „ re aspersi et ciliciis induti, qui illa possunt inuenire. Ceteri qui- „ cumque habent, laneis vestibus induantur ad corpus. Pauperibus et „ non habentibus ipsa sua penuria pro afflictione sufficit. Discalceati „ omnes Missam in commune auscultent cum metu et reuerentia. „ Presbyteri singulis illis diebus Missam cantent. Ceteri Clerici et „ omnes, qui nouerint, viri ac feminae L. psalmos impleant, obse- „ crantes Conditoris nostri Clementiam, vt ab inuisibilium hostium „ insidiis, et gentibus variis et gentilium incursionibus Ecclesiam suam „ defensare, et ipsam pace sua, quae omnem sensum exuperat, inte- „ rius custodire dignetur, ne in sua viscera ipsa consurgere, et semet „ lacerare conetur: diuersas pestes et morbos ab hominibus et iu- „ mentis auferat, aeris temperiem tribuat, terram foecundet, fruges „ ad maturitatem perducat, fructus arborum multiplicet, vt exterio- „ ribus

(*) Hoc est *signum Karoli*, scilicet Crassi. Sed verba, *serenissimi regis in orientali Francia*, iterum ad patrem Karoli huius Ludouicum Germanicum pertinent. Annus vero imperii V. est Caroli Crassi, et conuenit in annum Christi 885. Vnde iterum confusio duarum chartarum Ludouici patris et Caroli Crassi filii manifesta est. ECCARD.

(**) Filii Ludouici Germanici, Carolomannus, Ludouicus, et Carolus Crassus mense Nouembri anni 876. conuenerunt in pago Reciensi, vt *Annales Fuldenses* habent. Sed cum a Kalendis Iunii hoc tempus remotius sit, puto chartam nostram loqui de Ludouici et Carolomanni iam morti vicini conuentu, qui anno 879. contigit. ECC. At tunc non adfuit Carolus. Nec insolitum est, talia semestri spacio ante indici. Quare haec omnino ad annum 876. referenda sunt.

„ ribus necessariis affluentes cum fide recta, spe firma, et caritate
„ sincera Deum diligere, et illius mandatis inhaerere possimus: et
„ his subsidiis vtentes in via, ad aeterna praemia peruenire mereamur
„ in patria. Pane sicco aluntur omnes, et crudis oleribus, et sale
„ atque pomis, et qui opus habent infusis vescantur oleribus, vno
„ vasculo de pura ceruisa refocillentur. Cunctis omnino a carne et
„ pinguedine, et omni quod ex lacte conficitur, interdicitur. Pisces
„ et oua praeter infirmitatem nemo praesumat. Similiter vinum et
„ omne, quod melle dulcioratum est, et vnusquisque, in quantum
„ poterit, quod sibi subtrahit, indigenti praebere non differat: quia
„ ieiunio innocens acquiritur vita, oratione religiosus animus enutri-
„ tur, eleemosyna misericordia, quae requiritur, invenitur, et quod
„ nuper in ministerio tuo semicorrectum dereliqui, sicut a te digre-
„ diens strenuitati tuae commendaui. Omnia ad certum finem, prout
„ poteris perducere curato. Vale.

LVIIII.

Pars epistolae episcopi Brixiensis ad episcopum Germanum, *ibid. n. 26. pag. 245.*

ANNO 876. vel 877.

„ DIlectissimo et religiosissimo Consacerdoti et firmissimo amico
„ N. Episcopo ille Brixiensis Ecclesiae Pastor. * Obsecro fide-
„ litatem vestram, vt veraciter mihi et diligenter demandare digne-
„ mini, quomodo se summa rerum habeat, quam pacati inter se Do-
„ mini nostri Reges sint, id est, filii Hludouici, qualemcumque pa-
„ cem ad consobrinum suum filium K. conseruent: quia nos habita-
„ tores Italiae, et potius inquilini, seu quod potissimum veritas ipsa
„ testatur, praeda nunc horum, nunc illorum, aegre nimis exspecta-
„ mus, donec inter se concorditer adinueniant, cuinam prouinciam
„ illam concedere velint, vt illi, prout oportet singulariter subiicia-
„ mur: ceteris etiam, in quibus possumus, laeti seruiamus.

LX.

Responsio ad hanc epistolam *ibid. n. 27. pag. 245.*

ANNO 876. *vel sequente.*

„ NObilitatis et religionis summique sacerdotii dignitate sublima-
„ to N. illi Ecclesiae Pontifici N. illius Ecclesiae indignus
„ Episcopus. Comperta sanctitate dulcedinis vestrae multum in Do-
„ mino

[*] Debet hic esse Antonius, episcopus Brixiensis, ad quem Ioannes VIII. papa plures epistolas scripsit. ECCARD.

„ mino gauisus sum, sed et gaudeo et gaudebo. De perturbatione „ vero Italiae tum propter vestram et Ecclesiarum Christi inquietu- „ dinem et vastationem, tum etiam propter nostra detrimenta nimium „ contristamur: quia pauperrima et arida prouincia nostra quid am- „ plius habitura est, matre diuitiarum suarum direpta? Sed Dei mi- „ sericordia confidimus hanc tempestatem in breui serenandam: nam, „ sicut demandastis mihi, vt de regni pace et statu vobis certi aliquid „ significarem, et qualem pacem ad inuicem inseruarent tres fratres, „ filii nostri Domini Hludouici, et vtrum nepotem et consobrinum, „ immo compatruelem suum filium K. in societatem suam adsciuis- „ sent? notum facio dilectioni vestrae, qualiter illi fratres ita se mu- „ tua caritate complectuntur, vt summam Trinitatem mediam in- „ ter illos diuersari credamus. A Deo omnia, quae ad illos seu pri- „ uato, seu publice pertinere videntur, humanas res vota supergre- „ diuntur: et vnusquisque eorum si posset et potest fieri, plus alios, „ quam seipsum diligit, et diligeret. Et Dominus quidem K. cum „ fratre Hl. Hludouici iunioris, id est, Galliam Lugdunensem et „ Treuerim cum omni Mosellana regione, nec non Agrippinensem „ prouinciam et Burgundioniam inter se diuidendas acceperunt. Ita- „ liam vero et Thusciam et omnem Campaniam Domno K. regen- „ das commiserunt, qui etiam modo sanitate indulta, et indepta, „ quantocius vos per gratiam Dei visitabit, et omnem aduersarium „ et praedonem de vestra prouincia fugabit. Cetera.

LXI.

Diploma Ludouici, quod in rariore libro Aventini, quem *Epitomen annalium* inscripsit, et prodromi loco anno 1522. edidit, Germanice versum occurrit, ex eoque erutum dedit Schilt. in *Thesauro antiqu. Teuton. tom. III.* 425.

„ IN dem Namen vnnseres Herren IEsu Christi Got des allme- „ chtigen HLudwig aus milde Gottlicher Gnade Kunig der Bairn, „ wan wir die gepet (so vnser getrewen an vns legen) geren vnd „ vvilliglich zvvlassen, vnd dieselbigen in Gottes namen vollziehen, „ so erfullen vvir angeporne, Konigklicher sitten, gute, Machen „ auch damit, vnser lieb getrevven, in vnserm Dienst passmuttiger, „ desshalben soll vvissen die Schilgklickait vnd frumme aller vnnser „ getrevven yttziger vnd kunfftiger, das Erchanfrid diacon, vnnser „ Caplan, vnd sein nachster freund Bathrich vns furbracht haben ein „ verleibtum brieffe, darin begriffen, vvi inen ir lebenlang zvv ver- „ dienter abnutzung Baturich bischoff zvv Regenspurg auff leib ver- „ lihen habe etliche gutter mit aigen leuten, mit Hutten, Scheyrn, „ Heusern, Gepeuen, Ackern, Velt, Wissmatten, Waiden, Holtz, „ Wasser, Wasserleuff, so mit eigentomb sandt Haymeran munster „ zugehoren in den nachgeschriben Dorffern ligen, nemlich zvv

„ Buchhusa, (*) Rhuochinga, (**) das sonst Folinchoua genant vvird,
„ (†) auch zu Alinchoba, (††) ain hub, vnd zu Cailonespach, (*)
„ ain hub Disser vrzerzelten stucke etliche synd voran des obgemel-
„ ten stiffte gevvessen, ain theil, hat der egenant Erchanfrid vor et-
„ lichen laren als sein aigen gutt darzvv verschriben vnd vbergeben,
„ vvelcher dan vnsser Konigliche vvirde vast gepeten hat. Das vvir
„ im vber solich Bischoffliche Leibgeding vnnser bestettum gepott
„ verschuffen, dadurch er vnnd sein nachster freund Bathrich ir le-
„ benlang dester ruehiger vnd sicherlicher an meniglichs vviderspre-
„ chen die obgemelten stucke inhaben nutzen vnd brauchen mohten.
„ Solchs gepet haben vvir angesehen, vnd disser vnnser bestetum
„ Ernstliche mainum in scrifft zuversast vverden verschafft, Byeten
„ hiemit vnnd schaffen, das die mergemelten Erchanfrid vnnd Ba-
„ thrich obgenanndt Stucke vnnd gutter ir leben lanng inhaben vnnd
„ pesitzen vnnd kainer vvas vvirden er sei Geistlich oder vveltlich
„ die an solchem zvv irren oder engen, sich vermessen vvolle, sun-
„ der sy macht haben ir lebenlang solchs nytzen vnnd brauchen,
„ nit anderst, dan vvie ob geschriben ist, vnnd nach ir Beider todt,
„ sollen obgeschriebne Stuck mit aller zugehorum vollentlich in
„ vervvaltum vnnd herschum dem obgenanten Gotzhauss vvider
„ haimgen vnnc fallen. Damin aber dis gescheffr vnssers Ge-
„ pots vnd Bestetum dest vester gehalten vnnd demselbigen dester-
„ bas vonn vnsern getrevven gelebt vverde, haben vvir solchs mit
„ vnsers Rings auffdruckum hie vnden zvv besigeln verschafft.

„ Ich Adalhold Diacon hab dissen Brieff an stat Gauzbold vberlesen
„ vnnd verfertigt. Geben am 18. tag des Augstmons, Im Acht-
„ zehenden (das Christus bey vnss sey) Iar des Keysertoms
„ vnsser lieben Vatters vnd Herren, Herren Hludwig des aller
„ Durchleuchtigsten Romischen Kaysers, vnnd vnsers Reichs
„ im sechsten, der Romischen steur Anlegum im neundien iare.

„ Geschehen zw Reginespurg in der stat in vnserm Palatio In dem
„ namen Gots mit Gluck Amen. Nach Christi Gepurt 831.

LXII.

Diploma simile eiusdem apud eumdem Schilterum *pag.* 426. ab eodem Auentino Germanice versum.

„ IN dem Namen vnnsers HErren Ihesu Christi Got des alme-
„ chtigen. HLudwig aus Gotlicher gnaden myltigkeit Konig der
„ Bairn, So wir durch Vnserer myltigkait gabe, von den guttern
„ vnns von Got verlihen, den stetten der Heyligen etwas vberge-
„ ben, Glauben wir gentzlich, solchs vns on allen zweysel zw
„ ent-

(*) Iam *Buchhausen*,
(**) Iam *Rocking*.
(†) Iam *Pfolkofen*.
(††) Iam *Alnkofen*.
(*) Iam *Kolnbach*.

„ entpfahum des lons ewiger widergeltum nutz zu fein, Darumb
„ kund fey gethan allen der heyligen GOttes kirchen vnd vnnfern
„ getreuwen, das wir von vnsers Lone merum wegen, Der heyli-
„ gen Reginesburger Kirchen (die in den Eren des Furften der
„ zwelffpoten fand Peter vnd des felichiften marterers Chrifti fandt
„ Haymeran, fo alda leibhefftig pegraben raftet gepawt dero in ge-
„ genwirtiger zeit der ervvirdig man Bifchoff Bathurich aus Gottes
„ vvirckum, als gefehen vvird, vervvalter ift) verlihen haben etli-
„ che gutter vnffers aigenthombs mit andern rhingvveif vmmligen-
„ den Nemlich die gegent, do vor alter ein Veft gevvefen Heri-
„ lungoburg gehaiffen So in der abarn zu latein Auarorum genant
„ vor zeitten landfchafft liget, vnd mit feinen orten alfo, vvie her-
„ nach befchriben vvird, auffzaigt ift Erftlich do das vaffer erlafa
„ (*) in die Thonavv feldt, hebt fich an ytz genanter krais vnd
„ zicht fich auff vvertz mit fampt dem geftatem egenants vvaffer-
„ flufs bis an das end Erdgaftegi genand, vveitter ftreckt fich folchs
„ ftuck von dem egedachtem flufs erlafa auf der Ofterfeyten pis mit-
„ ten auff den Perge bey den Windenn, Colomezza genandt do
„ dan in zvvaien paumen fichperliche zaichen angezait vverden, vnd
„ von dan lendt fich mengenanter flakt auff der Nord feiten bifs an
„ die Thunavv Aber gegen fuden vnd vveften durch die hoch des
„ pergs als fcheinperliche zaichenn der Baum auffzaigen bifs an das
„ obgefagt ort, fo man nent Erdgaftegi. Dife alfo befchribne vnd
„ angezaygte gegent mit den Sclauen fo alda vvonen mit Hevvfern,
„ gepevven, grunden, gepauten vnd vngepauten, Wifsmaten, Way-
„ den, Holtzern, vvafsern, vvafferleuffen, mit anftoffenden trifften,
„ auffgengen vnd eingengen fo vil innerhalb vorgeftimptes zirckels
„ march befcloffen vvirdt, haben vvir gar vnd gentzlich der vor-
„ gefagten Kirchen evviglich zvv inhaben verlihen, vnd aufs vnffer
„ gevvalt vnd rechten in iren gevvalt vnd herfchung durch vnffer
„ myltigkait gutte vbergeben, nemlich in der geftalt, Das von dem
„ heutigen tag vnd zeyte, nun hinfuran mit den vorgefagten Gut-
„ tern vnd leuten die regirer vnd diener des gemelten ftuels freien
„ gevvalt vnd macht, iren nuz vnd frummen zu fchaffen vnd fudern,
„ vvie fy verlangt, haben, vnd damit dyfer vvil vnffer myltigkait
„ zvv evviger zeit vnuergevveltigt vnd vnzerprochen bey feinen kref-
„ ften pleibe, haben vvir folchs hye vnnden mit vnnffer hand beue-
„ ftigt vnd vnterfchriben, Auch mit vnnffers Rings aufaruckung zu
„ fygeln verfchafft.

„ Hand

(*) Iam *Erla* in Auftria iuxta Pechlarn Ips et Mellicum.

„ Hand zaichen Herren Hludvvigs



„ des hochberomteſten Kunig in Bairn.

„ Ich Adalhold diacon an ſtat Gauzbald habe diſen Brieff vber-
„ ſchaut vnd verſertigt. Geben am ſechſtenſtag des VVeinmons
„ im Neuntzehenden Iar des Kaiſerthumbs vnnſers liebsn Vat-
„ ters vnd Herren Herren Hludvvig des allerdurchleuchtigiſten
„ gevveichten Romiſen Kaiſers.

„ Vnſers reichs im ſibenden, der Kaiſerlichen ſteur anlegum im XI.
„ iare Geſchehen zu Regineſpurg in der ſtat In Gottes namen.
„ Das vvol gerad Amen. Nach Chriſti Gepurt. 832,

LXIII.

Diploma eiſdem ex eiuſdem Auentini verſione apud Schilter. *p.* 427.

„ IN dem namen vnnſers Herren IEſu Chriſti Gott des almechti-
„ gen. HLudvvig von Gottlicher gnade miltigkait Konig der
„ Bairn, vvo vvir die ſtette zu Gotlichem dienſte gevvydent, durch
„ die lieb Gottes vnd dero, ſo im in ſolchen ſtetten dienen mit be-
„ quemlicher guthait miltigklich begaben, verſehen vvir vnns den
„ lon bey dem Herren in evviger Saligkait zu entpfahen. Darumb
„ kunt ſey allen vnſern getrevven, gegenvvirtigen vnnd kunfftigen,
„ das vvir, vmb vnſers lons merung vnd evviger vvidergeltung vve-
„ gen, zu ſand Haymeran des ſaſt vermerten Chriſti martters mun-
„ ſter, do dann er leibhafftig ruvvet, beſtet haben ain kirchen mit
„ leutend vnd grunden dazu gehorig, die dan ligt vor vnſerm palaſt
„ vnd konigklichen kamer, ſo genant vvirt Tinguluinga (*) vvel-
„ che gevveſen iſt eines konigklichen dieners Antkar gehaiſſen, vnd
„ also dyſe kirchen (als vvir oben gemelt haben) mit ſechs aygen
„ leutten dahyn gehorig, vnd mitt heuſern, gepevven, grunden,
„ vnd allen ſo dyſer kirchen zu gehort, gar vnd genntzlich beſtetten
„ vvir den vorgedachten ſand Haymeran monſter evvigklich zu be-
„ ſitzen, Nemlich diſer geſtalt, das von dem hevvtigen tage vnd
„ zeyte

(*) *Hodie* Dingelfing.

„ zeyte nun mer hynfuran die regirer vnd diener des obgemelten „ monsters, freyen vollen gevvalt vnd macht, haben, in allen sachen, „ vvie sie dann verlust mit solcher kirchen iren nutz vnd frummen „ zu fudern, vnd damit, dyse vnnserer myltigkait vnd bestetnuss „ ernstliche mainung zu evvigen zeytten vnvergevvaltigt vnd vnzer- „ brochen bey iren krefften beleybe. Haben vvir mit vnnser aygen „ handt folchs hie vnnden bestett, Auch mit vvnsers ringe auffdru- „ ckung zu besigeln verschafft.

„ Handtzaichen Herrn Hludvvigs



„ des hochberomptesten Konigs in Bairn.

„ Ich Adelholdt diacon an stat Gauzbold, hab dysen Brieff vber- „ lesen vnnd verfertigt. Gebem am XXVII. tag des Mayen, „ im XX. iar des Kaysertumbs vnssers lieben Hern vnd Vat- „ ters, Herrn Ludvvigs des allerdurchleuchtigsten Romischen „ Kaysers, Vnsers reichs im Achten, vnnd der Kayserlichen „ stevvr Anlegung im XI. Iare. Geschehen zu Reginespurg in „ der statt. In Gottes namen das glucklich ge. Amen. Nach „ Christi gepurdt 833.

LXIIII.

Diploma Caroli Crassi, imperatoris apud Freher. *Orig. Palat. part. II. pag.* 64. *c.* 6. et Toelner. *Cod. dipl. Pal. num.* 13. *pag.* 11.

Anno 884.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Karolus diuina fa- „ uente clementia Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis ex „ nostris rebus pro Dei amore et remedio animae nostrae et parentum „ nostrorum aliquid conferimus, et necessitates seruorum Dei assidue „ sibi famulantium nostro subleuamus iuuamine, id procul dubio et „ nobis ad aeternam vitam feliciter obtinendam et parentum nostro- „ rum animabus ad veniam consequendam profuturum liquido credi- „ mus. Qua de caussa omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium nostro- „ rumque, praesentium scilicet et futurorum comperiat mansuetudo, „ qualiter nos ob amorem Dei et remissionem peccatorum nostrorum,

„ atque pro remedio animarum piae recordationis genitoris nostri „ HLVDOVICI, nec non Karissimi fratris nostri HLVDOVVICI, glo- „ riosissimorum Regum, ad monasterium, quod vocatur Lauresham, „ vbi S. Nazarius corpore requiescit, et praefati Reges humati ha- „ bentur, exspectantes diem resurrectionis, vbi Gerhardus Abbas et „ rector eiusdem monasterii esse videtur, quasdam res iuris nostri, „ in ius et proprietatem perpetuo possidendum concessimus, videlicet „ in comitatu Wormatiensi ad villam, quae dicitur Alesheim, cur- „ tem indominicatam, sicut ad Imperatorem pertinet, cum mansis, „ aedificiis, vtriusque sexus mancipiis, terris, pratis, vineis, syluis, „ cultis et incultis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, viis et inuiis, „ et adiacentiis, finibus, et omnia ad se iure legitimo pertinentia. „ Eo scilicet rationis tenore, vt perpetuo monachis ibidem Deo fa- „ mulantibus in vsibus deputentur, atque indeficiens luminaria exinde „ in ecclesia, vbi praefati viri requiescunt, habeatur, et nulli prae- „ fatae res in beneficium tradantur, sed ita auxiliante Deo perma- „ neant ad vsus fratrum et luminariam inextinctam, veluti praeli- „ bando statuimus. Vnde et hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri „ iussimus, per quod decernimus atque iubemus, vt nec nostris, nec „ successorum nostrorum temporibus vllus habeat potestatem ex supra „ scriptis rebus aliquid minuere, subtrahere vel immutare: sed ita „ inuiolabiliter permaneant, veluti praelibauimus. Et vt haec nostrae „ concessionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmita- „ tem, et per futura tempora verius a cunctis credatur, et diligen- „ tius obseruetur, manu propria subter eam firmauimus et anulo „ nostrae impressionis iussimus sigillari. Karolus Imperator Augustus. „ Segoinus notarius ad vicem Luitvvardi Archicancellarii recognoui „ et subscripsi. Dat. III. Id. Iun. Anno ab incarnatione Domini „ DCCCLXXXIIII. Indictione II. Anno vero regni Domini Ka- „ roli Augusti VIII. Imperii autem IIII. Actum Wormatiae in „ Dei nomine feliciter, Amen.

LXV.

Diploma Ludouici Germanici ex archiuo ecclesiae Wormatiensis, id est, vt ego interpretor, ex apographo quodam depromtum a Schannato *Hist. Wormat.* in *codice probat. n. 6. pag. 6.*

ANNO 858.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVVICVS Diui- „ na fauente clementia Rex.

„ Si Ecclesias Dei nostra traditione et auctoritate, aliquatenus „ vt exaltentur, accommodauerimus, et cetera a praedecessoribus no- „ stris illuc tradita confirmamus, id procul dubio ad statum praesen-

„ tis

„ tis salutis et potestatis aeternique gaudii praemia capessenda nobis „ profuturum credimus. Idcirco omnibus Christianae fidei cultoribus „ nostrisque fidelibus praesentibus scilicet et futuris notum fieri de- „ sideramus: quia Nos Diuino compuncti amore quasdam res iuris „ Regalis infra Wormatiam ciuitatem ad Ecclesiam Sancti Petri, „ Principis Apostolorum, quae ibi honorificenter constructa videtur „ cui etiam SAMVEL venerabilis Episcopus praesidet, id est: monetam „ ad integrum, modium etiam Regis, quod vulgari nomine STOVF- „ KARI adpellatur, quidquid ad nostrum vsum et ius pertinet, ob „ animae nostrae remedium in proprietatem donamus et tradimus, et „ insuper omne telonium et vectigal, vel quicquid in dominicum „ fiscum de praedicta ciuitate infra vel extra, in vadiis, aut fredis, „ siue iustitiis legalibus redigi potest, seu ceteris vtensilibus, a prae- „ decessoribus nostris, Regibus videlicet vel Imperatoribus illuc tra- „ ditis, quae Regum Exactores in eorum vtilitatem vmquam posce- „ re solebant, nostrae auctoritatis praeceptione denuo confirmamus, „ ad haec itaque ob petitionem praefati Samuelis, dignissimi ponti- „ ficis, supradictae Ecclesiae et locis illuc aspicientibus hac nostra „ auctoritate concedimus, interdicentes, vt nullus iudex publicus, „ nec quispiam ex iudiciaria potestate in mansionibus ibi dandis, aut „ telonio, vel fredo, de familiis ecclesiae vspiam poscendo, aut homi- „ nibus eidem ecclesiae subditis, tam ingenuis, quam etiam seruis „ distringendis, aliquod ius habeat, nec vllam iuris exactionem de „ colonis, liberis, seu de seruis repetere praesumat, quin potius aduo- „ cato praefatae ecclesiae, sicut Regio exactori totum quod legi de- „ bebant, omnino persoluant. Iussimus etiam praesentem nostrae „ auctoritatis titulum inde conscribi, Regali iussu praecipientes: vt „ iam facta Traditio et confirmatio nostra in ius praescriptae eccle- „ siae penitus reducta sub tuitione Pontificis superius nominati suc- „ cessorumque illius aut ceterae ad eamdem Ecclesiam pertinentes „ causae absque vllius personae obstaculo perenniter maneant, qua- „ tenus parentum nostrorum nostrique Nominis memoria in Orationi- „ bus Deo ibi seruientium per succedentia saecula incessabiliter ha- „ beatur, et vt haec auctoritas nostrae traditionis et confirmationis „ perpetuum obtineat vigorem manu propria subtus eam notauimus „ et anulo nostro eam signari praecepimus.

„ Dat. XIII. Kalend. Februarii, Anno XXIIII. Regni HLVDOV- „ VICI serenissimi Regis in orientali Francia regnantis Indict. „ IIII. Actum FRANCONOFVRT, palatio Regio in Dei nomine „ feliciter, Amen.

LXVI.

LXVI.

Diploma Ludouici Germanici VVormatiense, apud *eumdem ibid. n. 7. pag. 7.*

Anno 858.

„ IN nomine Domini nostri Iesu Christi, Hludovvicus diuina
„ prouidente Clementia Rex.
„ Si petitiones iustas Sacerdotum Dei, quas ad nostram notitiam
„ de necessitatibus Ecclesiarum sibi commissarum, pertulerint, ad ef-
„ fectum perducimus, hoc nobis incunctanter ad temporalis regni
„ statum, et ad aeternae beatitudinis incrementum profuturum confi-
„ dimus; idcirco omnium Dei nostrique fidelium, praesentium vide-
„ licet et futurorum nouerit magnitudo, quia vir venerabilis Samvel,
„ Vangionum Vrbis Episcopus, Excellentiam nostram adiens queru-
„ la voce retulit, quod Regiae potestatis Procuratores et Exactores
„ frequens litigium facerent inter Rempublicam et suam ecclesiam
„ de vtilitatibus, quae sunt in pago Lobedungovve, et de syluatico
„ in syluis Otenvvalt, ac omnem vsum praedicti pagi vna cum syl-
„ uatico in dominicum Fiscum redigere vellent: ob hanc ergo dis-
„ sensionem nostris visibus obtulit Praeceptionem Domini aui nostri
„ beatae memoriae Karoli famosissimi Francorum Imperatoris, in
„ quo scriptum reperimus, quomodo Dagobertvs Rex Francorum
„ ad Basilicam Sancti Petri Apostoli in VVormatia Ciuitate con-
„ structam tradidit ciuitatem Lobenburg, in pago Lobedungovve si-
„ tam, cum omnibus vtensilibus illuc aspicientibus, aedificiis, man-
„ cipiis, vineis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, omni
„ syluatico in syluis Otenvvalt, cum omni vtensilitate in pago Lo-
„ bedungovve, telonium, mercatum, et quae dici aut nominari pos-
„ sunt, excepta stipe Regia, et Comitatu, illic omnia donauit, et
„ cetera ad eamdem basilicam pertinentia sua praeceptione confirma-
„ uit: sed ne haec contentio vlterius procederet, precatus est no-
„ stram serenitatem, vt hoc interdiceremus, et nostra auctoritate
„ denuo id ipsum confirmaremus, cuius precibus ob Diuini cultus
„ augmentum acquiescentes hoc nostri Culminis praeceptum eidem
„ Ecclesiae inde fieri decreuimus, per quod iubemus, vt nullus prae-
„ fato Samueli Episcopo, aut Successoribus suis vllum impedimen-
„ tum in praedictae Ecclesiae vtilitatibus vllo vmquam tempore fa-
„ cere praesumat, nisi sicut confirmatum est a praedecessoribus no-
„ stris, Regibus videlicet vel Imperatoribus Francorum, ita deinceps
„ per hanc nostram auctoritatem praefatus Samuel Episcopus, suique
„ successores hoc sibi habeant concessum, atque indultum, nullo in-
„ quietante possidendum, et vt haec auctoritas nostrae confirmationis
„ inuiolabilem teneat vigorem, manu propria subter eam notauimus,
„ et nostri sigilli impressione insigniri iussimus.

„ GODEBERTVS Subdiaconus, ad vicem BALDRICI Ab-
„ batis recognoui.

„ Dat. XIII. Kalend. Febr. Anno XXIIII. Regni LVDOVICI Se-
„ reniffimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indict. IIII.
„ Actum FRANCONOFVRT, Palatio Regio in Dei nomine feli-
„ citer, Amen.

LXVII.

Eiufdem diploma apud eumdem *num.* 8. *pag.* 8.

ANNO 858.

„ IN nomine Domini noftri Iefu Chrifti. HLVDOVVICVS, Diuina
„ prouidente Clementia Rex. Si petitiones facerdotum Dei, quas
„ ad noftram notitiam de neceffitatibus Ecclefiarum fibi commiffarum
„ pertulerint, ad effectum perducimus, hoc nobis incunctanter et ad
„ temporalis regni ftatum, et ad aeternae beatitudinis incrementa
„ profuturum confidimus. Idcirco omnium Dei noftrique fidelium,
„ praefentium videlicet et futurorum nouerit magnitudo, quia vir
„ venerabilis SAMVEL, Vangionum vrbis Epifcopus, Excellentiam
„ noftram adiens, querula voce retulit, quod Regiae poteftatis pro-
„ curatores et exactores atque Comites frequens incommodum fibi
„ facerent in rebus et locis ad Wimpinam refpicientibus. Nos igitur
„ divino tacti amore pro aeternae mercedis augmento noftrique regni
„ ftabilitate, ad Bafilicam Sancti Petri, principis Apoftolorum, quae
„ in Vangionum vrbe conftructa eft, per petitionem eiufdem praefati
„ Samuelis Epifcopi fub integra Emunitatis tuitione donauimus atque
„ conceffimus, vt nullus nofter aut fucceflorum noftrorum Comes,
„ aut aliquis publicus iudex in rebus aut locis ad Wimpinam afpi-
„ cientibus, quae certis nominibus et fignis fubnotantur, nec ad cau-
„ fas audiendas, nec homines ipfius ecclefiae, tam ingenuos quam et
„ feruientes diftringendos, placitum, vel aliquid incommodum audeat
„ facere, fiue aliquam deinceps poteftatem in eifdem locis et rebus,
„ nifi ad partem et vtilitatem Ecclefiae habeat; fed ipfe Pontifex
„ Samuel, et fucceffores fui hoc habeant conceffum atque indultum,
„ quieto ordine poffidere, atque dominari, quod partibus Fifci noftri
„ fuit confuetudo retinendi. Quae emunitas in eo loco incipit, vbi
„ ille fons in fluuium Neckar labitur, qui defluit de villa Ifeinsheim,
„ et fic furfum tendit vfque ad ortum eiufdem fontis, et ex ipfo
„ fonte tendit deorfum Kienbach, et de Kienbach pergit deorfum
„ vfque per mediam villam Biberaha, et de Biberaha pergit vnam
„ vallem vfque ad Quercum, quae fita eft ad villam Eychufa, et de
„ Eychufon tendit excelfam plateam vfque ad duos tumulos, et de
„ tumulis tendit omnem viam vfque ad Kirichbach, et de Kirichbach
„ per-

„ pergit deorsum in villam Gruonbach, et de Gruonbach tendit deor-
„ sum vsque ad finem Dunberges, et de Dunberge vsque ad cami-
„ num calcis, et de Camino vsque ad villam Offensegal, et de Of-
„ fensegal vsque ad Mittel-wisa, et de Mittel-wisa ad Ruodelache-
„ sewe, et de Ruodelachesewe vsque ad illum locum, vbi Miche-
„ lenbach cadit in Schwartzaha, et de Schwartzaha sursum vsque in
„ Helmstat, et de Helmstat sursum vsque ad Wollenberge, et de
„ Wollenberge ad Mulenbach, et de Mulenbach in medium fundi
„ Neckaris, et omnem fluuium Neckaris vsque ad fontem, qui fluit
„ per Ysenesheim in Neckar. Eamdem potestatem praefatae Ecclesiae
„ concessimus in villis ex vtraque Neckaris, quae aut per totum,
„ aut ex maxima parte ad VVimpinam pertinent. Similiter in his
„ villis, vbi quatuor, vel tres, siue duas hobas habent, nihil Regiae
„ potestatis aut Comes, vel iudex retineat, sed totum ad manus Epi-
„ scopi; eiusque aduocati respiciat. Et vt haec emunitatis tuitio fir-
„ ma stabilisque sub perpetua defensione permaneat, manus nostrae
„ subscriptione eam decreuimus roborari, nostrique anuli impressione
„ sigillare iussimus.

„ Dat. XIII. Kalend. Septemb. Anno XXIIII. Regni HLVDOV-
„ VICI serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indict.
„ IIII. Actum FRANCOFVRT, palatio Regio, in Dei nomine
„ feliciter. Amen.

LXVIII.

Diploma Ludouici Germanici ecclesiae Neuhausensi in dioecesi VVormatiensi datum apud eumdem *n. 9. pag. 9.*

ANN. 869.

„ IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVVICVS di-
„ uina fauente clementia Rex. Si liberalitatis nostrae munere
„ locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates Ec-
„ clesiasticas nostro releuamus iuuamine, atque Regali tuemur muni-
„ mine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam,
„ et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus.
„ Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, praesentium
„ scilicet et futurorum solertia, qualiter nos ob nostrae mercedis
„ augmentum, et pro remedio animae domni Aui ac Genitoris no-
„ stri concessimus ad Sanctum Cyriacum, in marcha ac villa Flari-
„ desheim quasdam res proprietatis nostrae id est, hobas III. et di-
„ midiam; et ad vnamquamque hobam pertinent jornales LX et ad
„ dimidiam XXX., et in tribus locis de vineis, vbi possunt collige-
„ re ficlas XL. In marcha vel in villa Albolfesheim Aream I. et
„ jornales XI. in marcha vel in villa Mouuenheim hobam I, et ad
„ eam pertinent jornales LX. de pratis ad carradas XII. et in No-

„ uale,

„ nale, qui dicitur prope Thoneresberg, inter cultum et incultum „ hobas III. de sylua inde possunt pasci porci XX. cum mancipiis „ XII. his nominibus Siego. Herimout. Irminsuuind. Reginbert. „ Gerheit. VVilligis. Engilsuuind. Sigimuot. Hildiburg. Item Gerheit. Liuthild. Benedicta. et Vucalgar, et filii eius. Has itaque „ praescriptas res, cum praenominatis mancipiis, totum et ad integrum ex iure et dominatione nostra in ius et dominationem Sancti „ Cyriaci ad opus Fratrum ibidem Domino famulantium tradimus „ atque transfundimus, ea videlicet ratione: vt ab hodierna die et „ deinceps per hoc nostrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei „ nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, perpetuis temporibus ad Sanctum Cyriacum permaneant in vsus Fratrum ibidem Deo famulantium, et nullus Episcopus, neque vlla „ iudiciaria potestas eis inde quippiam auferre praesumat, vt eis libentius pro nostra ac carissimae coniugis, ac dilecta prole, salute, „ Domini clementiam exorare delectet. Et vt haec auctoritas largitionis nostrae deinceps firmior habeatur, et per futura tempora a „ Fidelibus nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu „ propria subter confirmauimus, et anuli nostri impressione assignari „ iussimus.

„ Signum Hludovici Serenissimi Regis.

„ Hebehardus notarius ad vicem Grimaldi archicapellani recognoui et subscripsi.

„ Data VIII. Idus Iulii. Anno Christo propitio XXXV. Regni „ Domni Hludovvici serenissimi Regis in Orientali Francia „ regnantis, Indictione XV. Actum Franconofvrt, in Dei „ nomine feliciter, Amen.

F I N I S.

INDEX

INDEX

CAPITVM,

QVAE

Vitam, & res gestas

LVDOVICI GERM. IMP. COMPREHENDVNT.

AGIT

CODEX DIPLOMATICVS

CONTINET